

WPL RESEARCH LIBRARIES



3 3433 06826238 9




12 1/2 ... vol - 225
Hale May 22 ... P.D. him.

James Chrysta

In this ...

Estate of Rev James Chrystal
April 6 '09



Kennick

1 VM m 11
MS-1909
J

31.

THEOLOGIÆ MORALIS,

CONCINNATÆ

A FRANCISCO PATRICIO KENRICK,

Episcopo Arathensi, et Coadjutore Episcopi Philadelphiensis,

NEW YORK
VOLUME: I
LIBRARY


“Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitiis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium regimen animarum?”—S. Gregorius M. Reg. Past. C. I.



PHILADELPHIÆ.
APUD EUGENIUM CUMMISKEY.

MDCCCXLI.

49
100



Entered according to the Act of Congress, in the year 1841, by
FRANCIS. PATRICK KENRICK,
in the Clerk's Office of the District Court in the Eastern District of Pennsylvania.

TYPIS KING ET BAIRD.

PRÆFATIO.

PERFECTO opere de Theologia Dogmatica id nobis propositum est aliquantulum requiescere, et nonnisi post aliquot annos in lucem edere quæ de Ethice sacra paravimus volumina. Verum alumnorum Seminarii nostri diœcesani utilitates fecerunt ut moræ consilium deponeremus : nam aucto studiosorum Theologiæ numero, libri deerant quibus uterentur, nec copia fuit eos in hac regione comparandi, re semel iterumque tentata. Prodit igitur in lucem primum Theologiæ Moralis Volumen, veluti auspiciis S. Caroli Borromæi, quem Seminarii nostri patronum invocavimus. Quanta sit necessitas operis hujusmodi nostris usibus accommodati nemo ignorat : quamvis enim regulæ morum a divinis Scripturis derivatæ nullam patiantur mutationem, ob adjuncta quæcumque locorum vel temporum, attamen haud parva in eo exercenda est diligentia ut singularibus rebus quæ in dies occurrunt applicentur. De legibus ecclesiasticis et censuris plurimæ moveri possunt quæstiones, quænam hæc in regione vim obtineant : de civilibus quibus regimur legibus inquirendum est quousque conscientiam ligent.

Servitus, quæ tot in Statibus viget, utrum liceat, et quæ sint servorum et dominorum munera explicare oportet: de quibus in recentioribus operibus theologicis plerumque siletur, quum Ecclesiæ opera sublata sit a pluribus sæculis in Europa. Hæc plurimaque alia scitu necessaria demonstrant opus de Theologia Morali valde desiderari: quod etiam plures significaverunt qui minus se sollicitos de dogmatum vindictis ostenderant. In opus igitur pro studio nostro rei Ecclesiæ promovendæ, cum Cleri Americani utilitate et profectu, incubuimus. Nec tamen adeo nobis blandiebamur ut putarem nos posse veluti ex tripode de singulis proferre quod oraculi instar omnes exciperent: sed nostram qualemcumque opinionem de plurimis quæ per annos plusquam viginti in sacri ministerii exercitio nobis occurrerunt, eam utilitatem habituram speravimus, ut res diligentius expendere, et dijudicaretur. Omnem in eo posuimus operam ut S. Thomæ e schola veteri, et S. Alphonsi ex recentiori uteremur documentis, et ex iis quid de singulis casibus sentiendum sit colligeremus. Sæpe quidem acatholicorum, præsertim Anglicanorum, testimonia ad paginæ calcem subjecimus, quum juvet quæ sana ab iis agnita sunt morum principia præ oculis ponere, ut animi ad integram in omnibus concordiam disponantur. Jurisperitorum usurpavimus etiam dicta, ut in legibus civilibus, et juris ratione, sacerdotes non sint omnino hospites: quos tamen sanctorum patrum documentis instrui, et inhærere, præcipue decet. Non dubitamus pleros-

que nos faciles nimis, et indulgentiores habituros, in aliquibus severiora sectantes, morum nostratium haud habita ratione: sed id affirmare tuto possumus, nos nihil captandæ gratiæ causa protulisse, nec justitiæ nimis affectasse laudem. Cæterum quum de tot rebus agere oportuerit, quæ nullo Ecclesiæ decreto definitæ sunt, facile contingere potuit ut a recta semita sæpius deflecteremus: ideoque libenter patiemur sapientiorum iudicio maturiori nos instrui et emendari. In omnibus autem Apostolico præsuli Romanæ Urbis obsequentes nos semper futuros sancte pollicemur, quippe qui eum agnoscimus “omnium Christianorum doctorem,” fidei et morum divinitus constitutum iudicem et custodem.

PHILADELPHIÆ,

Festo S. Caroli Borromæi, 1841.

I N D E X .

Proœmium	-	-	-	-	-	-	-	-	-	1
----------	---	---	---	---	---	---	---	---	---	---

TRACTATUS I.—DE ACTIBUS HUMANIS.

C.	I.	De humana agendi ratione	-	-	-	-	-	-	-	5
C.	II.	De actibus voluntariis	-	-	-	-	-	-	-	8
C.	III.	De vi, metu, et concupiscentia	-	-	-	-	-	-	-	15
C.	IV.	De ignorantia	-	-	-	-	-	-	-	19
C.	V.	De actuum humanorum morali specie	-	-	-	-	-	-	-	25
C.	VI.	De Passionibus	-	-	-	-	-	-	-	32

TRACTATUS II.—DE CONSCIENTIA.

C.	I.	De Conscientia vera et erronea	-	-	-	-	-	-	-	41
C.	II.	De Conscientia scrupulosa	-	-	-	-	-	-	-	44
C.	III.	De Conscientia dubia	-	-	-	-	-	-	-	47
C.	IV.	De Sententiis probabilibus	-	-	-	-	-	-	-	52

TRACTATUS III.—DE LEGE DIVINA.

C.	I.	De Lege Naturæ	-	-	-	-	-	-	-	57
C.	II.	De Lege Veteri	-	-	-	-	-	-	-	63

C. III.	De Lege Nova	-	-	-	-	-	-	67
C. IV.	De Decalogo	-	-	-	-	-	-	70
C. V.	De primo præcepto	-	-	-	-	-	-	75
C. VI.	De secundo præcepto							
	§ I. De Blasphemia	-	-	-	-	-	-	78
	§ II. De Maledictione	-	-	-	-	-	-	80
	§ III. De Juramento	-	-	-	-	-	-	81
C. VII.	De tertio præcepto							
	§ I. De obligatione diei Dominicæ servandæ	-	-	-	-	-	-	90
	§ II. De operibus vetitis	-	-	-	-	-	-	92
	§ III. De excusationibus	-	-	-	-	-	-	95
C. VIII.	De quarto præcepto	-	-	-	-	-	-	98
C. IX.	De quinto præcepto							
	§ I. De homicidio	-	-	-	-	-	-	103
	§ II. De sui suorumque defensione	-	-	-	-	-	-	105
	§ III. De abortu	-	-	-	-	-	-	110
	§ IV. De sui ipsius cæde	-	-	-	-	-	-	113
	§ V. De malefactorum supplicio	-	-	-	-	-	-	117
	§ VI. De tyrannorum nece	-	-	-	-	-	-	119
	§ VII. De duello	-	-	-	-	-	-	120
C. X.	De sexto præcepto	-	-	-	-	-	-	124
C. XI.	De septimo præcepto	-	-	-	-	-	-	131
C. XII.	De octavo præcepto							
	§ I. De mendacio pernicioso	-	-	-	-	-	-	139
	§ II. De mendacio officioso	-	-	-	-	-	-	140
	§ III. De mendacio jocosio	-	-	-	-	-	-	144
	§ IV. De vocibus ambiguis	-	-	-	-	-	-	145
	§ V. De simulatione	-	-	-	-	-	-	151
C. XIII.	De prava cupiditate							
	§ I. De muliere concupiscenda	-	-	-	-	-	-	153
	§ II. De rerum cupidine	-	-	-	-	-	-	154

TRACTATUS IV.—DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

Pars I. De Legibus ecclesiasticis in universum.

C. I.	De potestate leges ferendi.							
	§ I. De potestatis origine	-	-	-	-	-	-	155
	§ II. De legum latoribus	-	-	-	-	-	-	158
	§ III. De legem ecclesiasticarum materia	-	-	-	-	-	-	159
C. II.	De legum obligatione.							
	§ I. De promulgatione legum	-	-	-	-	-	-	164
	§ II. De conscientis ligamine	-	-	-	-	-	-	165

INDEX.

ix

	§ III. De modo legis servandæ	168
	§ IV. De iis qui legibus ligantur	170
C. III.	De interpretatione legum	172
C. IV.	De consuetudine	174
C. V.	De pœnis	177
C. VI.	De dispensatione	181
C. VII.	De privilegiis	188
	Pars II. De præceptis Ecclesiæ.	
C. I.	De Missa audienda	192
C. II.	De Confessione annua	200
C. III.	De Communione paschali	204
C. IV.	De jejuniis et abstinentiis	207
C. V.	De Decimis solvendis	218
	Animadversio	221
Appendix I.	Juris Ecclesiastici fontes	222
Appendix II.	De Regularium privilegiis	227

TRACTATUS V.—DE JURE GENTIUM.

C. I.	De Juris Gentium origine	233
C. II.	De Rerum divisione	236
C. III.	De Gentium juribus	239
C. IV.	De Gentium commercio.	
	§ I. De mercium commutatione	242
	§ II. De alienigenarum accessu	244
C. V.	De bello	247
C. VI.	De servitute	255

TRACTATUS VI.—DE LEGIBUS CIVILIBUS.

C. I.	De potestatis civilis origine	259
C. II.	De lege civili	265
C. III.	De legum civilium obligatione	269
Appendix.	De legum civilium varietate	278

TRACTATUS VII.—DE PECCATIS.

C. I.	De peccatorum divisione	-	-	-	-	-	281
C. II.	De peccatorum distinctione.						
	§ I. De specie diversa	-	-	-	-	-	286
	§ II. De numero peccatorum	-	-	-	-	-	286
	§ III. De gravitate peccatorum	-	-	-	-	-	289
C. III.	De peccato mortali et veniali	-	-	-	-	-	293
C. IV.	De peccatis capitalibus.						
	§ I. De superbia	-	-	-	-	-	297
	§ II. De avaritia	-	-	-	-	-	301
	§ III. De invidia	-	-	-	-	-	303
	§ IV. De ira	-	-	-	-	-	304
	§ V. De acedia	-	-	-	-	-	308
	§ VI. De gula	-	-	-	-	-	310
	§ VII. De Luxuria	-	-	-	-	-	316
C. V.	De pravis desideriis	-	-	-	-	-	326

TRACTATUS VIII.—DE OBLIGATIONIBUS SPECIALIBUS.

C. I.	De obligationibus clericorum.						
	§ I. De clericis minoribus	-	-	-	-	-	331
	§ II. De castitate servanda	-	-	-	-	-	332
	§ III. De officio recitando	-	-	-	-	-	333
	§ IV. De obedientia	-	-	-	-	-	338
	§ V. De his quæ clericis vetantur	-	-	-	-	-	339
	§ VI. De obligationibus episcoporum	-	-	-	-	-	342
	§ VII. De Parochorum obligationibus	-	-	-	-	-	345
C. II.	De obligationibus Religiosorum.						
	§ I. De Professione	-	-	-	-	-	349
	§ II. De Castitate	-	-	-	-	-	352
	§ III. De Paupertate	-	-	-	-	-	357
	§ IV. De Obedientia	-	-	-	-	-	359
C. III.	De Parentum obligationibus	-	-	-	-	-	363
C. IV.	De heris et mancipiis	-	-	-	-	-	369
C. V.	De forensibus obligationibus.						
	§ I. De Judice	-	-	-	-	-	375
	§ II. De accusatore	-	-	-	-	-	380
	§ III. De testibus	-	-	-	-	-	381

INDEX.

xi

§ IV.	De reo	-	-	-	-	-	-	387
§ V.	De obligationibus advocati	-	-	-	-	-	-	389
§ VI.	De obligationibus officialium forensium	-	-	-	-	-	-	393
C. VI.	De obligationibus ducum et militum	-	-	-	-	-	-	396
C. VII.	De ordine civili.							
§ I.	De Magistratibus	-	-	-	-	-	-	398
§ II.	De Legumlatoribus	-	-	-	-	-	-	399
§ III.	De civibus universis	-	-	-	-	-	-	400
C. VIII.	De medicæ artis cultoribus	-	-	-	-	-	-	402

THEOLOGIA MORALIS.

PROŒMIUM.

1. THEOLOGIA Moralis appellatur morum disciplina ex divinis documentis derivata. Quid agere debeamus, quomodo mores nostros componere oporteat, docuit nos Deus non tantum lumine menti intimius affulgente, sed præceptis primis hominibus datis, et lege in monte Sinai lata, et plurimis quæ Christus Dominus tradidit. “Quia homo,” inquit S. Thomas, “ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, quæ excedit proportionem naturalis facultatis humanæ, ideo necessarium fuit, ut supra legem naturalem et humanam dirigeretur etiam ad suum finem lege divinitus data. Secundo, quia propter incertitudinem humani iudicii, præcipue de rebus contingentibus, et particularibus, contingit de actibus humanis diversorum diversa esse iudicia, ex quibus etiam diversæ et contrariæ leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit quid ei sit agendum, et quid vitandum, necessarium fuit, ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat, quod non potest errare.”¹ Juxta hanc de morum regulis agunt theologi; quum philosophi ethices disciplinam totam ex rationis dictaminibus, vel hominum consensu, derivent. Quæ Ecclesiæ præsules lege statuerunt, vel decreto firmarunt, adhibent etiam theologi in moribus informandis. In iis quæ divino aliquo documento, vel Ecclesiæ decreto non innotuerunt,

(1) S. Thom. 1, 2. qu. xci. art. iv. Resp.
Vol. I.—2.

ratio inservit ut investigetur veritas, quæ tamen vix habenda erit explorata, quamdiu altius auctoritatis præsidium defuerit. Hinc fit ut theologi in diversas abeant plerumque sententias de plurimis quæ ratiocinando deducuntur ex primis morum principiis, vel quæ iis vestiuntur adjunctis, quæ difficultatem novamque rerum speciem efficiunt. Non igitur ea a nobis expectanda est in hac disciplina tractanda sententiarum certitudo, quæ in dogmatibus vindicandis habetur; sed pro rerum indole verosimilitudo in plurimis tantum quærenda erit.¹

2. Ex iisdem quibus dogmata fontibus morum principia emanant: nam Scriptura imprimis continentur, et Traditione innotescunt, cujus monumenta præclara in sanctorum patrum scriptis habentur. Equidem veterum scripta non exhibent accuratissimam hanc et fusiorem disciplinæ rationem, qua morum principia enucleatius exposita singulis qui in dies occurrunt casus accommodantur; nam plerumque sacris concionibus virtutes commendabant, et in vitia invehebantur, et privatim veluti per manus tradebant regendi animas artem. Attamen in Tertulliani, Cypriani, Chrysostomi, Augustini aliorumque scriptis reperiuntur quidam casus singulares, in quibus quid liceat disceptatur: et morum principia optime exponuntur, quæ sua fecerunt qui deinceps morum disciplinam Scholarum methodo tractarunt. Claret præ omnibus sui ævi ethices christianæ cultoribus S. Thomas Aquinas, quem non immeritò, ob ingenii claritatem, Scholarum Angelum dixerunt posteri: cujus scripta purissimam sanctissimamque disciplinam accurate et feliciter explicant: quæ idcirco diurna nocturnaue versavimus manu, ut tanto ductore, inoffenso decurramus pede in semita hac satis aspera. Equidem ex quo theologi coeperunt disciplinam morum adeo diligenter persequi, contigit, quod timendum erat, humano ingenio ex certis principiis ratiocinia ad res remotissimas tenui deducendi filo, errorem aliquando pro veritate haberi. Ea tunc rectorum Ecclesiæ sollicitudo, quæ in fidei integritate tuenda omni claruit ævo, enicuit

(1) "In moral things there cannot ordinarily be a demonstrative or mathematical certainty; and in morality we call that certain, that is, a thing to be followed and chosen, which oftentimes is but very highly probable; and many things do not attain that degree; and, therefore, because it is very often impossible, it is certainly not necessary that the direct judgment should be sure and evident in all cases." Jeremias Taylor, Episcopus Anglicanus, in opere *Morali dicto Ductor Dubitantium*, ch. ii. p. 39. London, 1660.

etiã in morum vindicanda puritate, nam rejectæ sunt et damnatæ plurimæ propositiones a nonnullis theologis excogitatæ, qui nimio flagrabant studio hominum culpas extenuandi. Plerique quidem nihil cupiditati dederunt, nec vitiis ullatenus patrocinari voluerunt, sed salutis humanæ studio ea a graviore culpa vindicare studuerunt, quæ divinæ legi adversari haud manifestò videbantur. Offenderunt nonnumquam viri doctissimi piissimique, humani aliquid passi. Cæterum egregie de re christiana meriti sunt ethices sacræ auctores, inter quos Suaresius, Lessius, De Lugo, ut de innumeris aliis sileam, immortale sibi decus pepererunt. De rebus equidem lubricis fusius nonnemo egit, sed ut evitandæ innotescerent, et vulneribus adhiberentur remedia: numquid de re humana non bene merentur medici qui fœda quæque ulcera pertractant, et ut alios artis medendi imbuant principiis, omne quod hominis est explicant, subjiciuntque oculis discentium? Purissimæ sane vitæ Sanchez de matrimonio scribens ea exposuit quæ pleraque scitu sunt necessaria, ut animabus medeatur qui difficilem hanc artem profitetur. Immeritò eum aliosque iniquiores in matrimonium, et turpis curiositatis reos designat Jeremias Taylor: qui alioquin fatetur morum disciplinam apud suos neglectam ex quo confessionis usus viluit.¹

3. Præ recentioribus Ethices auctoribus eminent S. Alphonsus de Ligorio, qui sæculo proxime elapso ad finem vergente floruit ante annos paucos sacris Ecclesiæ honoribus auctus. Evolvisse videtur libros fere omnes de hac disciplina tractantes, et scientiæ adjuncti rerum peritiã nam per annos plurimos in animarum cura se exercebat, adeo ut scientiæ et exercitii fructus in Theologia Morali quam scripsit nobis reliquerit. Hanc semper præ manibus habuimus, dum opus hoc nostrum qualecumque pararemus, ejusque exscripsimus sæpe sæpius verba, et secuti sumus libenter auctoritatem; nostro tamen usi judicio, tenui licet et infirmo, cui nihil petimus fidendum, nisi quatenus suffragetur auctoritas et rationum momenta.

(1) *Negotia muniaque ministrorum prætexens animadvertit: "It was the less wonder that in the Reformed Churches there hath been so great a scarcity of books of cases of conscience; though it is not to be denied but the careless and needless neglect of receiving private confessions hath been too great a cause of our not providing materials apt for so pious and useful a ministration."* Ductor Dubitantium, or the Rule of Conscience. Pref.

TRACTATUS I.

DE ACTIBUS HUMANIS.

CAPUT I.

DE HUMANA AGENDI RATIONE.

1. SACRA morum disciplina actus hominum respicit, quos, Deo auctore, dirigit, ut legi ab ipso datæ convenient, justissime alioquin damnandi. Ab his igitur initium ducere solent theologi, inquirentes quid habeant probandum vel improbandum, ex divinæ legis auctoritate. Physicorum est actus prout in se sunt spectare: philosophorum eos, ratione magistra, perpendere: theologorum autem, rationis dictaminibus adjungere Dei jubentis auctoritatem, qua et norma agendi pateat, et necessitas obtemperandi. Non autem omnes hominum actus subjacent legi, quidam enim fiunt ab homine nil advertente, vel nullo utente voluntatis arbitrio: uti quæ dormientibus contingunt; quidam sunt actus naturales, uti respiratio, sanguinis per venas cursus; alii autem deliberante ratione fiunt, qui proinde legibus regi possunt. Verbis S. Thomæ discrimen istud explicare juvat.

2. "Actionum, quæ ab homine aguntur, illæ solæ proprie dicuntur humanæ, quæ sunt propriæ hominis, in quantum est homo. Differt autem homo ab irrationalibus creaturis in hoc, quod est suorum actuum dominus. Unde illæ solæ actiones vocantur proprie humanæ, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem: unde et liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illæ ergo actiones

proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt: si quæ autem aliæ actiones homini convenient, possunt dici quidem hominis actiones, sed non proprie humanæ, cum non sint hominis in quantum est homo."¹ Ita Angelicus Doctor, eas actiones quæ "non procedunt ex deliberatione rationis, quæ est proprium principium humanorum actuum"² recte negans esse humanas. Dum igitur de moribus agimus, intelligendi sumus de actibus vere humanis, qui deliberante ratione fiunt.

3. Agit homo propter finem, qui proinde actui speciem suam tribuit, nam "possibile est quod unus actus secundum speciem naturæ ordinetur ad diversos fines voluntatis: sicut hoc ipsum quod est occidere hominem, quod est idem secundum speciem naturæ, potest ordinari, sicut in finem, ad conservationem justitiæ, et ad satisfaciendum iræ, et ex hoc erunt diversi actus secundum speciem moris, quia uno modo erit actus virtutis, alio modo erit actus vitii."³

4. Finis ultimus quem homo agendo sibi proponit beatitudo est; ita enim sumus natura comparati, ut nonnisi beati esse velle possimus, quod animadvertit olim Augustinus: "Verum est quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, et propter hoc cætera quæcumque appetant."¹ In eo autem humanus apparet error, quod qua in re beatitudo sit posita, plerique non intelligant, adeo ut eam quærendo fiant miseres. In divitiis plerique eam quærent: quæ tamen nonnisi magnis laboribus et conatibus plerumque sunt comparandæ, et sæpe sequentem fugiunt; possessorem verò sollicitum faciunt, et inquietum. Honores munerave publica alios alliciunt: quos videris ad culmen niti per aspera quæque anxios et fatigatos, in ipso rerum fastigio plurimis solitudinibus infelices. Utique nulla inde derivatur voluptas, quæ vera sit, nisi ex virtute et animi præstantia derivetur. Fama aura levis est et inconstans, nec animam explet esurientem. Potestas quæ rectoribus populorum competit, metum haud depellit animo, sed potius curis obruit: quod Boetius pulchre animadvertit: "Potestas humana sollicitudinum morsus expellere, formidinum aculeos vitare nequit."—"Potentem censes, cui satellites latus ambiunt? qui quos terret ipse plus metuit?"⁵ Qui reponunt beatitudinem in affectibus quibus homines se invicem prosequuntur, et præsertim conjugum inter se, parentum

(1) 1. 2. qu. I. art. I. *Resp.*(2) *Ibidem, Ad tertium.*(3) *Ibidem art. III. Ad tertium.*

(4) L. xiii. de Trin. c. v.

(5) L. iii. de consol. prosa v.

erga filios,¹ haud cogitant quantum inde doloris nascatur, dum alter de alterius affectu dubitat, vel ejus dolet infortunio. Falluntur etiam qui in facultatum mentis vel virium corporis exercitio constituunt felicitatem;² quamvis enim inde derivetur nonnulla voluptas, plerumque parva est et admiscetur solitudini. Occupatum quis potest tenere animum, quin sit beatus, uti quotidiano rerum usu liquet. Ad altiorem beatitudinis fontem recurrendum est; et agnoscendum, animum nostrum nonnisi in Deo summe beatum esse posse, qui solus omnia nostra desideria valet explere, quique animum facit tranquillum et beatum, etiam in hac vita, componendo et regendo motus, et voluntatem humanam divinæ in variis rerum vicibus subjectam tenendo, ideoque lætam. Meritò Augustinus ait: “ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est.”³ “Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.”⁴

5. Quamvis autem in Deo beatitudo, quam necessario expetimus, reperitur, nulla tamen naturæ necessitate in eum ferimur; sed voluntatis electione varia amplectimur subsidia quibus felices evadamus. Equidem si Deus clare videretur, uti sanctis in cælo se dat frui, fieri non posset ut eum toto voluntatis affectu haud amplecteremur; sed “videmus nunc per speculum, in ænigmate;”⁵ ideoque pro voluntatis arbitrio, quæ sensibus nostris subjacent bona, seu vera, seu speciem præferentia, persequimur.

6. Beatitudo, quæ justis merces servata est, in Dei visione qua fruentur, posita est, quæ eos ipsi similes quodammodo efficiet: “Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.”⁶

7. Præter finem ultimum quem homo agendo quærit, fines alii sunt qui propinquius attinguntur, sed ultimo fini inserviunt. Sic conservatio sanitatis finis est ob quem quis animum a nimio studio aliquantulum relaxat. Sed ad gloriam Dei potest referri, si quis scilicet cupiat valetudine frui robusta, ut Deo famuletur.⁷

(1) Paley, Moral Philosophy, l. i. c. vi.

(2) Ibidem.

(3) L. xix. de civ. Dei c. xxvi.

(4) L. i. Confess. c. i.

(5) 1 Cor. xiii. 12.

(6) Joan. iii. 2.

(7) “Even he must have many ends, besides the *far end*: but then they will conduct to that, be subordinate, and in some way or other capable of being referred to that.” Paley’s Moral Philosophy, l. i. ch. vi.

CAPUT II.

DE ACTIBUS VOLUNTARIIS.

8. Actus voluntatis *elicitus* dicitur quem voluntas ipsa producit: v. g. amor, odium: actus *imperatus* nuncupatur, qui ex voluntatis imperio ab alia facultate fit: sic meditatio fit a mente, voluntate imperante. Quod fit contra voluntatis nisum vi externa non est actus imperatus. Sic manus brachio alieno arrepta ad aliquid, actus imperatus non est. *Voluntarii* sunt, quicumque actus fiunt ex principio quod est intra, prævia finis cognitione: *liberi* autem, qui fiunt ex voluntatis arbitrio et electione, nulla necessitate eam determinante. Beatitudinis desiderium voluntarium est, voluntas enim in eam fertur, prævia affulgente cognitione: haud tamen dicendum est liberum, quum homo ita constitutus sit natura, ut ab eo nequeat se abstinere. "Sic beati esse volumus ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus."¹ Liberi autem sunt actus qui fiunt ad eam consequendam, nam inter subsidia eligit homo, ex voluntatis arbitrio, quæ eum faciant felicem: et sæpe suo decipitur ingenio.

9. Vera libertatis notio omnem necessitatem excludit, et arbitrium indicat voluntatis, quod *indifferentia* vocatur; scilicet eam notat voluntatis vim ac potestatem, qua, positis omnibus quæ ad agendum requiruntur, agere vel non agere, pro sua electione et determinatione, valeat. Vanam tantum speciem exhibent, qui voluntatem a concupiscentia vel gratia determinari existimantes, eam liberam prædicant eo quod in illa determinatione sibi complaceat, quamvis necessario; nec enim a voluptate illa, in illis rerum adjunctis, eam se posse cohibere censent. S. Thomas Aquinas e contra dicit: "Ad rationem liberi arbitrii pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum, vel ad malum, quia liberum arbitrium per se in bonum ordinatum est, quum bonum sit objectum voluntatis, nec in malum

(1) Aug. in Enchir, c. cv.

tendat, nisi propter aliquem defectum, quia apprehenditur ut bonum: quum non sit voluntas, aut electio nisi boni, aut apparentis boni. Et ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere non potest: sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non facere possit: et hoc Deo convenit: bona enim, quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest.”¹

10. Probavimus alibi hominem, etiam in hac naturæ lapsæ conditione, liberum esse ab omni absoluta necessitate, seu illa constanti quæ ex natura fatove derivatur, seu *variabili*, quæ ex concupiscentiæ et gratiæ lucta et vi varia repetitur.² Meritò idcirco sacer scriptor arguit peccatorem qui audet suas culpas in Deum rejicere: “Non dixeris: Per Deum abest (*sapientia*): quæ enim odit ne feceris. Non dicas: Ille me implanavit: non enim necessarij sunt ei homines impij. Omne execrumentum erroris odit Dominus, et non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilij sui. Adjecit mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit ei, dabitur illi.”³ Quod autem homo aliquando se necessitate quadam ferri in vitia sentiat, sua culpa contingit, quum ea negligat præsidia, quibus infirmitati suæ consuleretur. Oratio et vigilantia præcipue adhibendæ sunt ut reprimatur cupiditas, et filiorum Dei libertas omni necessitatis vinculo immunis servetur: “Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi: sed ut non obsit ista necessitas, donat ille cui dicitur; de necessitatibus meis erue me.”⁴ Ita præclarus gratiæ vindex Augustinus.

(1) In $\frac{1}{2}$ dist. xxv. quæst. 1. art. 1. ad secundum. “If all our actions were predetermined, then one man were not better than another, and there could be no difference of rewards in heaven or earth; God might give what he please, but he shall reward none, not in any sense whatsoever.” Jer. Taylor, Ductor Dub. l. iv. c. 1. Vol. ii. p. 438.

(2) Theologia Dogmat. Vol. ii. tract. iv. c. iv. n. 151.

(3) Eccl. xv. 11. Versio Arisæ Montani habet: “Ne dicas: deficit impulsu Domini . . . ipse me induxit in errorem . . . omne nefas odit Dominus . . . ipse hominem creavit ab initio eumque arbitrio consilij sui permisit. Adjecit mandata et præcepta. Si volueris, mandata servabis, optimæque voluntatis fidem præstabis.”

(5) Aug. L. 1. oper. imperf. cap. 106.

11. *Voluntarium actuale, seu formale*, dicitur quod quis actu vult: voluntarium *virtuale* quod vult quidem, quamvis actu de eo non cogitet, sed agit ex prævia voluntate cujus effectus manet. Sic sacerdos qui accessit ad altare ad celebrandum sacrum, illud censeatur velle, etiam dum totus intentus verbis recitandis, nil de sacrificio cogitet. *Voluntarium habituale* est quod ex consuetudine et voluntate non retractata fit, quin advertatur. Sic juramenta ex consuetudine aliquando proferuntur, quin mens ad ea ullatenus se advertat. Quæ in somnis contingunt ex consuetudine haud retractata, voluntaria *habitualiter* sunt. *Voluntarium interpretative* dicitur quod quis certò noscitur velle si proponeretur, sed quod nullatenus vult, propositionis defectu. Sic paciscitur quis alterius nomine de munere levi obeundo causa magnæ hæreditatis adipiscendæ: persuasum sibi habens eum, si consuleretur, consensum libenter præstiturum. Sic et sacerdos alienus iter faciens invenit fideles omni salutis subsidio diu carentes, quos Missam celebrando, et concione sacra solatur, certum habens episcopum, si adeundi eum foret facultas, licentiam daturum. Attamen præsumptione hac uti non licet in sacramento pœnitentiæ ministrando, quum consensus prævius omnino exigatur ad jurisdictionis exercitium, ne sacramentum irritum sit.

12. *Voluntarium physice* dicitur quod quis sua voluntate eligit: *moraliter* voluntarium est quod voluntate aliena, quæ sua habetur, eligere censeatur. Sic parentum voluntas valet de minoribus ætate in plurimis quæ legum auctoritate aguntur.

13. *Voluntarium expresse* est quod quis, vel vocibus vel aliis signis, se velle indicat: *tacite* voluntarium est quod ex silentio colligitur iis in rerum adjunctis in quibus quis loqui deberet, nisi reapse consentiret. "Qui tacet, consentire videtur."¹ Sic filius consentire censeatur, quando tacet, parente ejus nomine sponsalia contrahente.² Attamen pluries contingit silentium nihil valere ad voluntatem probandam. Sic creditore interrogante aliquem extra judicium, utrum ei non debeat pecuniam, hujus silentium non potest in probationem adhiberi.³ Quoties verosimilis est silentii ratio ex prudentia, vel metu, vel alio capite derivata, consensus voluntatis non est præsumendus. Vir bonæ famæ a vili homine

(1) Reg. xliii. in 6.

(2) Can. *Sufficiat*, causa xxvii. qu. II. C. fin de Sponsa duorum.

(3) L. *Filius*, xxix. ff. de interrog. in jure faciendis.

gravissimi criminis publice accusatus, non censetur illud fateri, quamvis atrocem manifestamque calumniam patienti animo ferat.

14. Voluntarium *negativum* dicitur quod voluntas sinit contingere, quin repugnet, “sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore, inquantum desistit a gubernando.”¹ “Sic voluntarium potest esse absque actu, quandoque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, sicut cum vult non agere : aliquando autem etiam absque actu interiori, sicut cum non vult.”² Sic pravæ cogitationes quas quis rejicere negligit voluntariæ habentur.

15. Voluntarium *directum* vocatur quod voluntas in se amplectitur : v. g. nimiam potationem : voluntarium *indirectum* est quod non nisi in alio ex quo derivatur, respici videtur : v. g. libidinis motus ex nimia potatione verosimiliter excitandi. Quæ ex causa quam ponimus prævidentur secutura mala nobis imputantur, si *temere*, et nullo jure æquo, causam ponamus.³ Sic qui ex lectione libri obscæni libidinem vehementius inflammandam novit, peccat se objiciendo manifesto discrimini, nulla urgente necessitate. Non item peccat medicus res lubricas legendo et pertractando, quibus motus libidinis prævidet excitandos, si ita ferat scientiæ studium, vel curationis utilitas, dummodo reapse rejiciat omnem pravam delectationem. Quæ non potuerunt prævideri, non imputantur etiam temere et perperam agenti,⁴ non enim nisi casu et forte fortuna sequi videntur. Hinc incendium quod contigit, lucerna eversa a dormitante qui somno indulsit, periculum nullum suspicans, non poterit ei imputari, etsi culpandus aliquatenus sit ob negligentiam : imo latroni vix imputandum erit incendium quod casu accidit, dum res raperet, nisi temere causam posuerit. Quæ potuerunt quidem prævideri, sed non debuerunt ; nihil scilicet periculi notionem suggestit, vel quem obligavit ad illud præcavendum, non censentur in causa voluntaria. Sic abortus qui sequitur ex medicina data ad febrim levandam, voluntarius non censetur, quando data est

(1) S. Thom. 1. 2æ. qu. vi. art. iii. *Resp.*

(2) *Ibidem, Quia igitur voluntas.*

(3) Attamen in foro civili imputantur ei qui illicito vacat operi : “If a man be doing any thing *unlawful*, and a consequence ensues which he did not foresee or intend, as the death of a man or the like, his want of foresight shall be no excuse ; for being guilty of one offence, in doing antecedently what is in itself *unlawful*, he is criminally guilty of whatever consequence may follow the first misbehaviour.” Blackstone, l. iv. n. 27.

absque periculi suspitione, vel saltem absque abortus voluntate, licet quoddam foret periculum, quod in iis rerum adjunctis vitare non tenebatur medicus, febres corpore deducere tantum studens.

16. Juvat S. Thomæ hac de re recitare verba: “Nocumentum tripliciter se habere potest ad peccatum. Quandoque enim nocumentum quod provenit ex peccato, est prævisum et intentum: sicut cum aliquis aliquid operatur animo nocendi alteri, ut homicida vel fur: et tunc directe quantitas nocumenti adauget gravitatem peccati, quia tunc nocumentum est per se objectum peccati. Quandoque autem nocumentum est prævisum, sed non intentum: sicut cum aliquis transiens per agrum, ut compendiosius vadat ad fornicandum, infert nocumentum his quæ sunt seminata in agro, scienter, licet non animo nocendi: et sic etiam quantitas nocumenti aggravat peccatum, sed indirecte: in quantum scilicet ex voluntate multum inclinata ad peccandum procedit, quod aliquis non prætermittat facere damnum sibi vel alii, quod simpliciter non vellet. Quandoque autem nocumentum nec est prævisum, nec intentum: et tunc si per accidens se habeat ad peccatum, non aggravat peccatum directe; sed propter negligentiam considerandi nocumenta quæ consequi possent, imputantur homini ad pœnam mala quæ eveniunt præter ejus intentionem, si dabat operam rei illicitæ. Si verò nocumentum per se sequatur ex actu peccati, licet non sit intentum, nec prævisum, directe peccatum aggravat; quia quæcumque per se consequuntur ad peccatum, pertinent quodammodo ad ipsam peccati speciem: puta si aliquis publice fornicetur, sequitur scandalum plurimorum; quod quamvis ipse non intendat, nec forte prævideat, directe per hoc aggravatur peccatum.”¹

17. “Hic advertere oportet,” inquit S. Alphonsus, “quod ut aliquis effectus sequens suam causam jam voluntarie positam, dicatur et ipse voluntarius indirecte in causa, et simul imputetur ad meritum vel demeritum, tria concurrere debent: 1. quod agens ponendo causam advertat, saltem in confuso, hujusmodi effectum fore ex illa causa sequiturum: 2. quod possit impedire talem effectum causam tollendo: 3. quod teneatur tollere vel illam non ponere. Ita S. Thomas 1. 2. qu. 20. art. 5. ubi ait: ‘Eventus sequens . . . si est præcogitatus, manifestum est, quod addit ad bonitatem vel malitiam actus. Cum enim aliquis cogitat, quod ex opere suo multa mala possunt sequi, nec propter hoc dimittit, ex hoc apparet voluntas ejus

(1) 1. 2. qu. lxxiii. art. viii. *Resp.*

esse magis inordinata.”¹ Post aliqua notata pergit S. Alphonsus Angelici Doctoris verba referre, quæ plenius ex ipso fonte haurire placet: “Si autem eventus sequens non sit præcogitatus, tunc distinguendum est, quia si per se sequitur ex tali actu, et ut in pluribus, secundum hoc eventus sequens addit ad bonitatem vel malitiam actus. Manifestum est enim, meliorem actum esse ex suo genere ex quo possunt plura bona sequi, et pejorem ex quo nata sunt plura mala sequi. Si verò per accidens, et ut in paucioribus, tunc eventus sequens non addit ad bonitatem vel ad malitiam actus.”

18. Animadvertit iterum S. Alphonsus: “Si causa quæ ponitur natura sua inducat talem effectum malum, tamen necessario poni debet, tunc effectus malus, licet prævisus, non tamen volitus et intentus, nullo modo est imputabilis, si aliquam præcautionem operans adhibuerit. Sic non imputatur chirurgo pollutio, quam prævidit sibi sequituram ex tactu necessario mulieris in partibus verendis, dummodo eam non intenderit. Nec imputatur studenti ob propriam et aliorum utilitatem materiis sexti præcepti, si ipse hujusmodi effectum non intenderit, dummodo complacentiam repellat in actu quo sequitur pollutio. Ratio quia tunc non tenetur causam illam tollere, vel non ponere; et qui utitur jure suo non dicitur causa effectus non intenti, et per accidens sequuti, imo in tali casu videtur magis pati, quam agere. A fortiori, non imputatur effectus sequens ex causa alias honesta et licita, ut pollutio quæ oritur ex equitatione, vel cibo et potu moderato; tunc enim effectus non intentus est per accidens et secundum S. Thomam l. cit. non est imputabilis.”²

19. Quæ ex bonis actibus, vel qui per se licent, desumuntur peccatorum occasiones, non possunt ei imputari qui utitur jure suo, vel qui virtutis studio prudenter agit. Sic mulier quæ munia necessaria pietatis exequitur, non est culpanda, licet maritus inde excandescat, et in maledicta erumpat: sed si contra mariti voluntatem ultra quod præceptum est vacet pietatis officiis, cum pacis domesticæ dispendio, non erit facile excusanda, quum temere det iræ occasionem. Puella quæ modeste ornata in publicum procedit, suo jure utitur, et ideo non est culpanda, licet plures inde libidinis flammæ accendi in se experiantur: sed si brachia et pectus denudet, præsertim contra morem regionis, vel alias se induat minus honeste, culpa non erit immunis.

20. Involuntaria *absolute* et simpliciter dicuntur ea quæ nullatenus

(1) Theol. Mor. l. v. Art. ii. x.

(2) Ibidem xiv.

a voluntate procedunt: v: g: motus pravi qui piis hominibus invitis et reluctantibus insurgunt: stuprum quod patitur virgo, animo, voce, membrisque prorsus repugnans. Involuntaria *secundum quid* a Scholæ doctoribus dicuntur ea quæ voluntas ægre amplectitur, ad malum aliquod declinandum, licet alioquin ea aversetur. Sic projiciuntur merces a nauta ut naufragium evadat: traditur marsupium a viatore latroni: cedit vim inferenti puella, ne resistendo infamiam incurrat. Quæ sunt absolute involuntaria culpa omni carent. Sic Apostolus de motibus rebellibus: "Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum."¹ Quæ autem sunt quodammodo voluntaria, licet secundum quid involuntaria, culpa non carent, quoties legi divinæ adversantur. Sic adulterium quod admisit mulier, verens ne repugnando rumores excitaret cum famæ jactura, grave crimen est.

(1) Rom. v. 20.

CAPUT III.

DE VI, METU, ET CONCUPISCENTIA.

21. **VIOLENTIA** definitur id quod est a principio externo, repugnante eo qui vim patitur. Alia est *simplex* et *absoluta*, quæ inferitur contra totum nisum voluntatis, sicuti contingit aliquando martyribus, dum eorum manibus thus vi ingereretur, indeque coram idolis projiceretur. Alia est *secundum quid*, quando quis alium ægre cedentem cogit. Sic aliquis ad nimiam potationem aliquando a sociis, poculo ori propinato, impellitur. Ubi violentia est omnimoda et absoluta, tollitur omnis voluntarii ratio, ideoque peccatum est nullum, licet res prava fiat invito. Sic S. Lucia minanti ethnico magistratui eam violandam, respondisse fertur: "Si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam." Et Augustinus mulieres christianas, quæ, Roma capta, vim a Gothis passæ erant, excusatas habuit quod victorum manus evadere nequibant, nisi se interficiendo, quod nefas erat: "Quidquid alius de corpore, vel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non valeat evitari, præter culpam fit patientis."¹ Violentia secundum quid, seu quædam vis, non tollit, sed dumtaxat minuit voluntarii rationem. Ideo homo, qui, aliis cogentibus, morte etiam intentata, cum illis vadit ad alium interficiendum, excusandus non est, quamvis invitus agat.

22. Vis numquam inferitur voluntati, "nam invitus nemo potest velle, quia nemo potest velle, nolens velle."² Ita Anselmus. Quoad actus imperatos voluntatem vim posse pati dicit S. Thomas, eo quod impediatur aliquando ne exequatur quæ proponit: cæterum nullus actus, qui fit absque voluntatis imperio, dicendus est imperatus. Sic si manus inviti admoveatur, et characteres calamo efficiantur, actus hujusmodi non suus, sed alienus est. Communi tamen loquendi ratione vis dicitur illata voluntati, quando

(1) L. i. de civ. Dei c. xvi.

(2) L. de lib. arb. c. vi.

vis adhibetur ut voluntatis propositum mutetur, quod fieri tamen nequit nisi proprio voluntatis actu. De actibus violentis dicit Cardinalis Gerdil: "In illis actibus homo violentiam patitur, et quatenus tales actus natura sua subsunt imperio voluntatis, dici potest aliquo sensu etiam vim inferri voluntati, eo quod per actionem externi principii vel non exercentur actus quos imperat, vel quos non imperat, ea obsistente, exercentur."¹

23. Metus "est instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio."² Gravis dicitur quoties malum aliquod ingens probabiliter videtur futurum: sic carceris diuturni, percussione violentæ cum mortis quodam periculo, magnæ pecuniæ copiæ amissionis verosimilis, metus gravis censetur. Levis est metus levioris cujusdam damni, v: g: quod quis paucos obolos amittat; vel gravis mali haud verosimilis expectatio: sic dives mercator levi tantum metu tangitur ne omnes suæ naves subito pereant, omnesque sui debitores fiant solvendo impares. *Absolute* vel *relative* metus gravis, vel levis, nuncupatur prout in se malum grave, vel leve, est, vel respectu personarum. *Absolute* gravis est metus, qui habetur ne hostis subito quem telo conficiat: *relative* gravis est metus mulieris ne quis eam noctu per vicum transeuntem aggrediatur. *Levis* est metus *absolute* ejus qui timet ne quis eum vituperet; *relative*, viri robusti timentis ne juvenis, vel vir viribus inferior, eum manu percutiat. Metus non facit quod actus non sit voluntarius simpliciter, sed tantum secundum quid; nam qui metuit, agit quantumvis haud inclinatione voluntatis. Famulus qui timet ne munere dimittatur, nisi operam præstet hero flagitium patranti, voluntarie agit, quamvis quodammodo repugnet voluntas: "id enim," inquit S. Thomas, de metu disserens, "quod per metum agitur, in se consideratum non est voluntarium: sed fit voluntarium in casu, scilicet ad vitandum malum quod timetur."³ Quæ fiunt ex metu minorem præ se præferunt gravitatem iis quæ metu nullo urgente facta sunt.⁴ Hinc in jure canonico Pontifex decernit leviozem injungendam pœnitentiam episcopis, qui ex metu consenserunt injustæ depositioni episcopi:⁵ et metus dicitur attenuare, quin tollat culpam.⁶ Cæterum culpa plerumque mortalis manet: sed in iis quæ jure tantum *positivo* sunt præcepta vel vetita, metus ab

(1) Tract. de actibus humanus c. i. Prop. i.

(2) Lib iv. Digest. tit. ii.

(3) l. 2. qu. vi.

(4) 2. 2. qu. cxxv. art. iv. Resp.

(5) Cap. In primis, caussa 2. qu. i.

(6) Cap. Sacris, tit. de his, quæ in metu, &c.

omni culpa excusat, quum mens non sit legem ferentis, ut cum tanto incommodo et damno lex obliget. Sic excusatur ab audienda Missa, qui veretur ne eum ecclesiam aduentem inimicus interficiat.¹ Non autem excusandus est qui metu etiam gravi simulat sacramentorum administrationem, quum Christo eorum auctori fiat injuria, et errori in animarum perniciem de sacramento percepto detur locus: quapropter Innocentius XI. damnavit sequentem propositionem: “Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.”²

24. *Concupiscentia* plerumque peccati fomes intelligitur; latius tamen apud theologos patet, sumitur scilicet pro motu quolibet appetitus in res sensibus subjectas. “Per concupiscentiam,” inquit Angelicus Doctor, “voluntas inclinatur ad volendum id quod concupiscit: et ideo concupiscentia magis facit ad hoc, quod aliquid sit voluntarium, quam quod sit involuntarium.”³ Quæ ex prava consuetudine oritur concupiscentia peccati rationem auget, quum causa sit omnimodo voluntaria, et deliberato animo foveatur: “Passio autem consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis ejus, in quantum scilicet demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati, et sic verum est quod quanto aliquis majori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.”⁴ Hinc theologi solent dicere concupiscentiam *antecedentem* plerumque minuere peccatum, quo enim major est proclivitas et impetus appetitus, eo minor est facultas resistendi: concupiscentiam verò *consequentem* augere peccatum, quum oriatur ex causa libere posita.

25. Motus concupiscentiæ *primo-primi* a scholasticis dicti, quibus scilicet nullatenus voluntas consentit, quique in nobis oriuntur omnino absque nobis, culpa vacant quum non sint voluntarii; quapropter damnata est Baji propositio: “Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto: Non concupisces: unde homo eos sentiens et non consentiens transgreditur præceptum: non concupisces: quamvis transgressio in peccatum non deputetur.”⁵

(1) Jer. Taylor Duc. Dub. l. iii. c. i. ait. “No man is bound to go to church on a festival to hear divine service when an enemy lies in wait to kill him: that is, the laws of the church were intended for the good of the soul, and, therefore, not suffered to do hurt to the body.”

(2) Prop. xxix. inter damnatas, anno 1660.

(3) l. 2. qu. vi. art. vii. Resp.

(4) Ibidem qu. lxxvii. art. vi. Resp.

(5) Prop. 75.

Secundo-primi dicuntur motus, quibus voluntas aliquatenus assentitur, quique venialem, vel lethalem, inducunt culpam, prout assensus imperfectus, vel plenus est. Motus autem quos quis in se deliberato animo excitat, omnino voluntarii sunt, et lethales. Ex malitia peccat qui consultò excitat libidinem : infirmitate verò peccare videtur, qui vehementi titillante libidine assensum voluntatis præbet. Consuetudinis peccata malitiæ tribuuntur ob amorem studiumque peccati quod fovetur.

26. “Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ;”¹ scilicet voluptatis studium, avaritia, et ambitio præcipuæ sunt cupiditates quibus homines aguntur. Concupiscentia, de qua agimus, voluptates respicit, quas plerique nimio quærent studio : frustra allegantes tentationis vim, qua ad peccatum, captivorum instar, trahuntur ; nam subsidiis aquibus superetur adhibeant oportet, gratia divina implorata.

(1) 1 Joan. ii. 16.

CAPUT IV.

DE IGNORANTIA.

27. IGNORANTIA quædam *vincibilis*, quædam *invincibilis* dicitur : sed quæ fiunt ex alterutra voluntaria non sunt, nisi forsitan in causa, si ignorantia vinci potuerit. Ea igitur ignorantia vincibilis dicitur quæ vitari potuit ac debuit, consuetis ad veritatem detegendam subsidiis adhibitis. Invincibilis dicitur quæ tolli non potuit, diligenter debita impensa. Hanc culpa vacare constat, quum voluntatis consensum, absque quo peccatum non est, tollat, quapropter meritò dicit S. Thomas : “ nulla ignorantia invincibilis est peccatum.”¹ Vincibilis ignorantia vel est *affectata*, quando scilicet quis consultò omittit diligentiam studiumque, ne sua munera discat ; vel *supina*, quando negligit inquirere, tædio laboris, vel incuria. Psaltes affectatam impii ignorantiam videtur descripsisse : “ noluit intelligere ut bene ageret.”² De vincibili ignorantia scribit Augustinus : “ Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras.”³ Utramque describit S. Thomas : “ Contingit autem quandoque, quod talis ignorantia directe et per se est voluntaria : sicut cum aliquis sua sponte nescit aliquid, ut liberius peccet : et talis ignorantia videtur augere voluntarium et peccatum : ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult subire ignorantiae damnum propter libertatem peccandi. Quandoque vero ignorantia, quæ est causa peccati, non est directe voluntaria, sed indirecte, vel per accidens : puta cum aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem : vel cum aliquis vult bibere vinum immoderate, ex quo sequitur eum inebriari, et discretionem carere : et talis ignorantia diminuit voluntarium, et per consequens peccatum. Cum enim aliquid non cognoscitur esse peccatum,

(1) 1. 2. qu. lxxvi. art. ii. *Resp.*

(2) Ps. xxxv. 4. Heb. xxxvi. חָרַל לְהַשְׂכִּיל לְהַיְטִיב.

(3) L. iii. de lib. arb. c. xix.

non potest dici, quod voluntas directe et per se feratur in peccatum, sed per accidens. Unde ibi est minor contemptus, et per consequens minus peccatum.”¹

28. Ignorantia quæ dicitur *concomitans* ea est qua sublata actus æque fieret: ex. gr: “si voluntas alicujus esset sic disposita, quod non prohiberetur ab actu parricidii, etiam si patrem agnosceret: ignorantia patris non est huic causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum: et ideo talis non peccat propter ignorantiam, sed peccat ignorans, secundum philosophum in tertio Ethicorum.”²

29. De negligentia quæ sit causa ignorantiae dicit S. Thomas: “talis negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam, et peccatum, dummodo sit eorum quæ quis scire tenetur et potest.”³ Attamen si quis de ea doleat, et studium deinceps pro viribus adhibeat, ei imputanda non erunt quæ ex priori negligentia orta sunt. Vehemens aliquis animi motus inordinatus sæpe facit ut quis ignorans peccet, cupiditati vel odio inserviens. “Ignorantia fit voluntaria ob passionem, quam quis vult deliberate sequi: illi enim qui secundum suam passionem operatur, bene imputabitur omnis pravus effectus tali passioni connexus, licet in particulari non agnoscat; quia cum homo passionem aliquam amplexatur, consequenter ipse amplectitur omnes effectus communiter ex illa passione provenientes, qui etsi in particulari non prævidentur, prævidentur saltem in confuso.”⁴ Ita S. Alphonsus. “Ignorantia fit voluntaria ratione pravi habitus,— et tunc actus mali qui ex malo habitu proveniunt, sunt pariter voluntarii.—Ignorantia fit voluntaria et culpabilis... si homo in agendo advertenter negligit adhibere considerationem, quam res agenda meretur.”⁵ Ignorantia quæ dicitur *concomitans*, nihil quidem ponit in re; sed prava illa dispositio peccatum est.

30. Equidem dubitari non potest quosdam peccare ex ignorantia, quum Christus ipsos qui eum cruci fixerant quodammodo excusandos apud Patrem habuit: “Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.”⁶ Eorum crimen hac ratione extenuavit S. Petrus: “fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri.”⁷ Nemo autem dixerit eos omni vacasse culpa.

(1) l. 2. q. lxxvi. art. iv. *Resp.*

(2) *Ibidem*, art. i. *Resp.*

(3) l. 2. qu. lxxvi. art. iii.

(4) S. Alphonsus Theol. Mor. l. v. tract. de Pec. c. 1. Dub. 1. n. 4.

(5) *Ibidem*.

(6) Luc. xxiii. 34.

(7) Act. iii. 17.

31. Ignorantiam invincibilem juris naturalis principiorum dari non posse plerique contendunt; quum enim unicuique sit ratio, cujus sunt manifesta dictamina, vix potest quis ea ignorare, nisi culpa sua et voluntatis ea aversantis pravitate. Ipsos ethnicos juxta ea judicandos insinuat Apostolus, ea menti veluti impressa referens: "Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt... cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium red-dente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus."¹ Cæterum si contingat quemque ignorantia invincibili eorum laborare, reus haberi nequit; quapropter Alexander VIII. merito damnavit propositionem sequentem: "Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato."² Equidem quæ ratio quæritur culpæ a Jansenii discipulis in Adæ peccato, non potest ad ea quæ non necessariò inde profluunt referri; sed unius-cujusque libertatis exercitium attendendum est. Hinc si juvenis ignoraverit omnino pollutionis malitiam; si conjux ex ignorantia prolem impediverit, excusatio haberetur: plerumque tamen ipsa ignorantia in culpa causam habet. Negandum non est ignaros quosdam sine culpa esse posse circa ea quæ ratiocinando deducuntur ex juris naturæ principiis, quum gravissimæ nonnumquam inter doctos piosque homines quæstiones de iis agitentur. Sic de mendacio officioso aliquando disputatum est; et de innocentis damnatione a judice, juxta judicii ordinem, inter SS. Thomam et Bonaventuram quæsitum.

32. Jus divinum *positivum*, et revelationem christianam, si quis absque culpa ignoret, reus non erit judicandus, Christo ipso de Judæis dicente: "Si non venissem, et locutus fuisset eis, peccatum non haberent."³ Meritò igitur damnata est propositio: "infidelitas pure negativa in iis quibus Christus non est prædicatus, peccatum est."⁴ Equidem Augustinus de ethnicis agens, videtur eos peccati arguere, et damnandos prædicare: "illa ignorantia quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credit, quia non audivit omnino quod crederet, sed fortassis ut

(1) Rom. ii. 14.

(2) Prop. ii. inter damnatas, 7 Decembris 1690.

(3) Joan xv. 22.

(4) Prop. lviii.

minus ardeat; non enim sine causa dictum est effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.”¹ Cæterum intelligendus est loqui de peccatis contra legem naturæ, de quibus Apostolus loco jam citato dicit: “sine lege peribunt:” quæ non censentur invincibiliter ignorasse.

33. *Ignorantia facti, non juris, excusat*,² axioma est quo significatur in judiciis non admitti excusationem si quis legem ignoraverit, quam omnes nosse censentur; sed rei alicujus specialis ignorantiam posse probabilem subministrare defensionem. Reus judicabitur qui merces lege vetitas in rempublicam invexerit, licet eam ignoraverit: sed excusabitur a pœna qui chirographum fictum bona fide alteri tradiderit; nam et lex scientiam fraudis exigit.³

34. Ignorantia juris humani coram Deo a gravi culpa excusatur, quoties ex gravi negligentia non oritur, habita ratione cujusque muneris, scientiæ, opportunitatum: æquum quippe est non adeo arcte urgendam obligationem eorum quæ legibus humanis decernuntur, ac eorum quæ rerum natura et divina lege nituntur. Cæterum unusquisque diligentiam opportunam et necessariam debet adhibere: secus censebitur velle ignorare, et prætermittere quæ præcipiuntur. Qui consuevit diebus festis adstare sacro, et ex pastoris monitis nosse dies quibus jejunandum sit, excusatur, si ex necessitate abfuerit, et de die quodam jejunii nihil cogitaverit: sed qui culpa sua abfuit, et de diebus jejunii haud se habeat sollicitum, culpæ gravis reus est, quoties sua negligentia violat Ecclesiæ præceptum; vel saltem gravis negligentia reus est. Qui rure degunt, procul ab ecclesia, debent ex libris dies jejunii festivosque addiscere; nec excusantur, si, ea ommissa

(1) L. de gratia et lib. arb. c. III.

(2) Ex Reg. juris. “This must be an ignorance or mistake of fact, and not an error in point of law. As if a man, intending to kill a thief or housebreaker in his own house, by mistake kills one of his own family, this is no criminal action: but if a man thinks he has a right to kill a person excommunicated or outlawed, wherever he meets him, and does so; this is wilful murder. For a mistake in point of law, which every person of discretion not only may, but is bound and presumed to know, is in criminal cases no sort of defence. ‘*Ignorantia juris, quod quisque tenetur scire, neminem excusat*, is as well the maxim of our own law as it was of the Roman.’” Blackstone l. iv. n. 27.

(3) “If any one — shall pass, utter or publish, or attempt to pass, utter or publish as true, any false, forged, or counterfeit bill or note—*knowing* the same to be falsely forged, or counterfeited.” Act of 25th March, 1824. Laws of Pennsylvania.

cautela, passim carnes manducent diebus omnibus, præter diem veneris : quæ quorundam consuetudo, veluti suo arbitrio jejunandi et abstinenti aliis diebus obligationem tollentium, nullimode probanda est : sed si diligentia plerumque adhibita, aliquando casu omittatur, non erunt facile culpæ damnandi. Facile etiam excusantur qui legere non norunt, et inter A catholicos versantur, neminemque habent qui eos moneat festorum vel esurialium dierum. Si venialis fuerit negligentia discendi, a culpa graviore legis violatio excusabitur.

35. Ignorantia muneris quod quis suscipit excusationem haud facile admittit, præsertim si mercede accepta illud exerceat, vel si gravia incommoda ex errore sequantur. "Omnes tenentur scire communiter ea quæ sunt fidei, et universalis juris præcepta : singuli autem ea quæ ad eorum statum, vel officium spectant."¹ Equidem nemo tenetur eximiam prorsus ac singularem peritiã artis quam profitetur habere, vel muneris quo fungitur, nisi ipse se ad eam pacto adstringat : sed sufficiens muneris exercendi notitia ab omnibus exigitur, ne fraus fiat iis qui eorum operam, mercede præstita, quærent, vel detrimentum nascatur. Hinc qui artis medendi vix rudimenta callentes, eam profitentur et exercent cum manifesto infirmorum vitæ discrimine, gravissime peccant : qui advocati munere fungentes, vel notarii, vel scribæ, instrumenta sua imperitiã ita conficiunt ut robore careant, damna inde obvenientia debent reparare. Qui confessionibus excipiendis vacant, ethices christianæ principia et leges parum edocti, gravissimo versantur in discrimine se aliosque perdendi.

36. Utrum aliquando peccatum admittatur quin rei malitia menti ullatenus obversetur, disputant theologi : sunt enim qui censent de honestate actionis nonnumquam nihil dubitari, licet revera in peccatum imputetur ; quum alii contendant aliqualem dubitationem saltem requiri ut peccatum sit. "Quando nulla talis cognitio," inquit Suarezius, "in mentem subiit, qua possit voluntas excitari ad quærendam scientiam, non est in potestate hominis se ad illam movere, et consequenter non potest talis ignorantia homini imputari."¹ Qui igitur rem aliquam facit quam haud suspicatur esse injustam, non peccat, horum theologorum iudicio, licet forsitan in causa peccaverit. Alii e contra dicunt eum actu peccare licet de periculo peccandi nil prorsus

(1) S. Thom. 1. 2. qu. lxxvi. art. II. *Resp.*

(2) In 3 p. t. 5. D. 4 Sect. 8. n. 18.

advertat,¹ in pœnam scilicet prioris delicti fit ut non advertat actum esse inhonestum. Sic hæretici plurima faciunt quibus fidei catholicæ obviam eant, nil dubitantes se Deo obsequium præstare : quos tamen superbia et utilitatum suarum studio abreptos arguunt theologi peccati, tum in causa, tum in rebus singulis quas contra veritatem et pietatem ex præjudicio faciunt. Sic et peccatores alii qui cupiditatibus diu indulserunt, vel qui toti inhiant divitiis, plurima agunt divinæ legi adversa, nil suspicantes inhonesti. Equidem durum videtur asserere quemque peccare, dum deliberante ratione nullam detegit peccati speciem nullumque periculum, et probante conscientia agit : sed indubium est negligentiam addiscendi et cupiditatum studium esse peccata, et plurima secum trahere, quæ in causa saltem imputantur. Qui munia religionis omisit discere juvenis, sæpius præcepta Ecclesiæ negligit, vel violat, nil sibi conscius, qui idcirco ad bonam frugem redactus debet de negligentia addiscendi dolere, quæ tot annos in causa fuit cur prætermitteret plurima officia pietatis, sed non constat eum teneri ad singulos actus recensendos qui ex eo capite profluxerunt. Ad fidem conversus non est cogendus ad ea singula referenda quæ omisit vel fecit, bona, ut aiunt, fide, quamvis ex ignorantia forsitan quæ vinci potuerit : non enim liquet ea fuisse peccata, licet ex ignorantia culpanda orta. Quotiescumque quis in causa advertit effectum secuturum, ad eum declarandum tenetur, nam eum voluntate sua amplexus est : sic si adverterit reipsa peccandi periculum, vel aliqualem habuerit ejus notitiam vel suspicionem, peccati arguendus est, nec enim oportet ut plena et certa malitiæ notitia sit ad peccatum inducendum.

(3) Vide Bailly Tract. de actibus humanis, c. iv. prop. iv. qu. i.

CAPUT V.

DE ACTUUM HUMANORUM MORALI SPECIE.

37. Actus humani spectari possunt quatenus morum regulæ conveniunt, vel repugnant. Quidam sunt natura sua mali: v: g: mendacium, furtum, fornicatio; quidam sunt boni, ex. gr. amor parentum, oratio ad Deum: quidam nullam præferunt malitiam vel bonitatem, *indifferentes* idcirco dicti, uti sunt edere, ambulare, dormire. Quæsierunt theologi utrum actus, qui *in specie*, scilicet in se, nec boni sunt, nec mali, *in individuo* possunt malitia et bonitate pariter vacare; aliis verbis, utrum quis aliquid reipsa agat quod morali specie careat. Negans sententia, quæ D. Thomæ discipulorum est, verior videtur; quum enim de actibus qui deliberante animo fiunt sit sermo, eos moralem quamdam speciem desumere ex fine quem sibi quisque proponit, suadet ratio. Cæterum constat plurima fieri quæ merito apud Deum carent, quia agens non est justus, vel non agit propter finem supernaturalem: quæ tamen peccata non sunt, quum rationis dictaminibus convenient, et ob honestum finem fiant. Sic manducatio et potus quotidianus ad vitam sustentandam carent vitio, quum finis sit bonus, et rationi congruat; carent autem merito, nisi, quodam saltem pacto, ad Dei gloriam referantur, juxta Apostoli monitum: “Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.”¹ Optime autem animadvertit S. Thomas: “hoc ipsum quod aliquis agit ordinate ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis.”²

38. Longe distat theologorum sententia, actus dari indifferentes in individuo negantium, ab errore Joannis Huss, qui opera omnia in duas distribuebat classes, pro agentium diversitate: “Divisio immediata,” aiebat, “humanorum operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa: quia scilicet si homo est vitiosus et agat quidquam, tum agit vitiose: et si est virtuosus, et agat quidquam, tunc agit virtuose. Quia sicut

(1) 1 Cor. x. 31.
VOL. I.—4.

(2) 1. 2. qu. xviii. art. ix. ad iii.

vitium, quod crimen dicitur, sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.”¹ Constat e contra, ex theologorum consensu, pium hominem aliquando peccare venialiter; peccatorem autem actus plures elicere culpa carentes: sed non ideo actus aliquis agnoscendus est qui omni vacet nota morali, prout elicitur ob finem idoneum vel turpem. Equidem Hieronymus ait: “Bonum est continentia; malum est luxuria. Inter utrumque indifferens ambulare; . . . Hoc nec bonum, nec malum est: sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.”² Hæc de ambulatione rite dicuntur, nam ex ea nec justitia nec injustitia derivatur: nec ideo omni caret nota morali, si enim quis ambulet ad honestam animi oblectationem, actus bonus est, quamvis justitiam non inde comparet, quamdiu finis sublimior deest. Cæterum si ambulet quis ad ægrotos invisendos, charitate impellente, erit actus non tantum moraliter bonus, sed etiam supernaturalis. Si ambulet ad vanam sui ostentationem, erit malus; imo graviter culpandus, si insidias alienæ virtuti sic struat.

39. Sunt qui contendunt cum Augustinianis omnem actum ad Deum referendum, adeo ut defectu finis, actus, alioquin honestus, culpa veniali inficiatur: quod ex ipsa necessaria rerum omnium creaturarum ad auctorem supremum relatione probant, et ex recitato Apostoli testimonio. Sed ad Deum ipsa sua vi et natura refertur actus omnis probus et honestus, ideoque quoties pravo fine non vitiatur, culpa videtur carere. Quod ad Apostolum attinet, in eo est ut fideles moneat quomodo libertate sua frui oporteat absque aliorum offensione in idolothytis manducandis, ut Dei gloria præ omnibus attendatur, nec quid fiat, ciborum occasione, quod in ruinam cedat animarum. Ideo pergit: “Sine offensione estote Judæis, et gentibus, et Ecclesiæ Dei.”³

40. Externus actus, quum a voluntate totam suam malitiam vel bonitatem derivet, *per se* eam non auget: plerumque tamen ex eo vehementior voluntatis affectus innotescit, et ex adjunctis augetur. Qui pravam voluptatem animo concupivit, jam adulterii in corde reus est, Christo ita docente:⁴ sed si, occasione oblata, opus non

(1) Prop. xvi. in Sess. xv. Conc. Const.

(2) Ep. lxxiv. ad Augustinum. (3) 1 Cor. x. 32.

(4) Matt. v. 28.

patretur, non adeo efficax voluntatis propositum noscitur, ac illius qui rem opere complevit¹, qui et diuturniorem fovet peccati amorem, et fit ad peccandum proclivior: "Mala voluntate vel sola," inquit Augustinus, "quisque miser efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur."²

41. *Ex objecto* quod actus attingit modo regulæ morum conveniente, vel repugnante, bonitas vel malitia actus imprimis desumitur. Objectum *physicum* a *moralis* distinguendum est, nam quod idem est physice, sæpe est diversum morali respectu. Eadem femina a marito dilecta, et ab alieno, est objectum diversum morale, conjugii et adulterii. Primaria species moralis ab objecto desumitur, primum enim occurrit menti moralem ejus naturam consideranti. Sic eleemosynarum largitio misericordiæ erga indigentem exercitium primò offert considerandum: furtum rei alienæ injustam ablationem menti statim objicit, ut juxta morum legem de ea judicetur. De Israelitis ad idolorum cultum delapsis dicit Osee: "facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt."⁴

42. *Ex fine* actus bonitas vel malitia etiam determinatur. Finis *intrinsicus* ille est ad quem actus sua natura tendit: v: g: eleemosynæ ad pauperis levamen; legum latio ad reipublicæ ordinem: finis *extrinsecus* est quem agens sibi proponit: v: g: ut laudem, vel popularem auram captet. Actus per se malus numquam potest insito sibi vitio privari ex agentis intentione, proindeque mendacium ad vitam alterius servandam peccatum est: quapropter, inquit Apostolus, "non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere,) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio justa est."⁴ Pulchre Augustinus: "Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat: sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione faciendæ sunt."⁵ Quod autem obstetrices Ægyptiæ præmium a Deo acceperint, licet mendacio pueros servaverint, contigit ob misericordiam quam exhibuerunt, quæ præmio fuit digna: sed mendacium

(1) "Generally, a design to transgress is not so flagrant an enormity as the actual completion of that design. For evil, the nearer we approach it, is the more disagreeable and shocking: so that it requires more obstinacy in wickedness to perpetuate an unlawful action, than barely to entertain the thought of it." Blackstone l. iv. n. 15.

(2) L. xiii. de Trinitate c. v.

(3) Osee ix. 10.

(4) Rom. iii. 8.

(5) L. contra mendacium, n. 18.

quamvis leve, peccatum fuit: "Obstetrices," inquit S. Thomas, "habuerunt bonam voluntatem quantum ad liberationem puerorum; non tamen fuit earum recta voluntas quantum ad hoc, quod mendacium confixerunt."¹ At contingere posset ut quis actus malitiam in specialibus rerum adjunctis non perciperet, ideoque ex bona qua egit fide excusaretur.

43. Pravus finis omnino vitiat actum, quum cordis consilia Deo pateant, et præcipue attendantur, utpote actionum origo. "Cum aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, et hic actus totus est malus, licet non ab omni eo quod in eo est malitiam habet."² Hinc officia humanitatis et charitatis puellæ præstita, ut in peccatum trahatur, omni carent merito et laude, suntque veluti seductionis instrumenta reprobanda. Quæ fiunt ob finem inanem, quin ad vitium referantur, non sunt plerumque inter gravia peccata recensenda, quamvis virtutis laude vacent. Sic orationes Pharisæorum in vicis fusæ pietatis ostentandæ gratiæ, eleemosynæ, tuba insonante ut convenirent pauperes, distributæ, aliaque opera laudum cupidine vitata, præmia apud Deum non promeruerunt; non tamen supplicia inferorum provocassent, si graviora cordis vitia deessent: "Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypoeritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam."³ Audet dicere Hieronymus: "martyrium ipsum, si ideo fiat ut admirationi et laudi habeamur a fratribus, frustra sanguis effusus est."⁴ Monito igitur Christi Domino obaudiendum: "Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est."⁵ Mundanda est mentis intentio ut opera nostra Deo sint grata: "Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit."⁶

44. Primarius finis ille est quem quis imprimis sibi proponit: finis secundarius aliquando accedit, quo operis valor minuitur, quin penitus tollatur. Sic contingit præconi Dei gloriam et animarum salutem imprimis quærere, quin omnino famæ cupidini renuntiaverit:

(1) 1. 2. qu. cxiv. art. ult. ad. 2.

(2) S. Thom. 2. d. xxxviii. qu. 1 art. iv. ad 4.

(3) Mat. vi. 2.

(4) In cap. i. ep. ad Galatas.

(5) Mat. vi. 1.

(6) Ibidem 22.

sic et eleemosynam dat aliquis ut Christo obtemperet, laudem beneficiæ simul cupiens.

45. Nonnumquam sensus quidam et affectus imperfectus animum tangit, quamvis nullatenus sit finis quem sibi agens proponit. Ex sincero desiderio Deum colendi ingreditur quis templum, de laudibus humanis minime sollicitus. Contingit ut a spectatissimo viro videatur, unde fit ut ipse sibi in æstimatione majori qua habendus sit complaceat. Quidquid culpæ in hoc reperiatur, non ideo perit totum orationis meritum, ex studio divini cultus ortum.

46. Ex *circumstantiis*, seu adjunctis personæ, loci, temporis, variatur actionum humanarum moralis species. Quædam *mutant* earum speciem, inducendo oppositionem alteri virtuti, vel adjiciendo diversam convenientiam. Sic violenta percussio clerici justitiam et religionem lædit: eleemosyna sacerdoti ægrotanti impensa, præter charitatem, religionis est exercitium. Quædam circumstantiæ augent vel minuunt malitiam vel bonitatem actus, quin speciem diversam adjiciant, *aggravantes* idcirco nuncupatæ. Sic viduæ parva eleemosyna Deo fuit longe acceptior divitum majoribus donis:¹ proditoris crimen ex magna qua gavisus erat Christi Domini familiaritate auctum magnopere est.² Sic incestus facinus majus est, quo propinquior est gradus. Septem præsertim humanorum actuum adjuncta attendenda sunt, nempe *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*.

47. *Quis* fuerit imprimis considerandum est, ex personæ quippe dignitate, vel munere, actus bonitas vel malitia persæpe augetur. Humili loco natus mundo nuntium mittens non adeo ea re Deo sacrificat, ac regni hæres, vel ditissimus nobilisque vir, cui via ad honores patet. Ebrietas admissa ab operario non adeo grave est crimen, ut judicis, vel sacerdotis intemperantia. Hinc sacerdotum delicta in Scripturis maxime exaggerantur: "Et nunc ad vos mandatum hoc, O sacerdotes! . . . Vos autem recessistis de via, et scandalizastis plurimos in lege."³ De clericis dicit concilium Tridentinum: "levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant."⁴ Mutatur actus species, quoties ex personæ conditione fit, ut diversæ opponatur virtuti; sicut sanctimonialis impudicitia est religioni et castitati

(1) Luc. xxi. 3.

(3) Malach ii. 1. 8.

(2) Vide Ps. liv. 13.

(4) Sess. xxii. De Ref. c. 1.

adversa: aggravatur intra eandem speciem, quando eidem virtuti magis adversatur, sicuti rixa inter homines dignitate præstantes.

48. *Quid* objectum peccati denotat, quale aut quantum fuerit: “dicitur proinde circumstantia, prout designat extraneam quandam conditionem objecto adjunctam. Quod perspicuo exemplo docet S. Thomas. Nam quod aliquis perfundens alium aqua, eum abluat, non est ablutionis circumstantia. Pertinet enim ad vim aquæ, eidemque est proprium et intimum ut abluat: verum quod abluendo calefaciat, vel infrigidet, quod sanet, vel noceat, hoc advenit ex accidente, estque adeo circumstantia ipsius ablutionis.”¹ Sic sacrilegii malitia major est si ciborium sacris hostiis repletum abripiatur, quam si auferretur calix vacuus. Diversa est species adulterii a fornicatione; conjux enim illius, fœmina soluta hujus objectum est.

49. *Ubi* locum denotat, actus enim inde sumit aliquando speciem diversam malitiæ, aliquando verò gradum majorem. Homicidium in templo sacrilegium est: colloquium turpe longe gravius est, si in eo habeatur.

50. *Quibus auxiliis* quis usus fuerit, maxime interest nosse, nova enim vel major malitia actui ex iis sæpe provenit. Si quis puellam ut seducat, quempiam qui suo nomine eam alliciat mittat, hoc utens subsidio novi peccati fit reus. Si æmulum dejicere munere velit, ideoque calumniis, fraudibus, muneribus, utatur, his omnibus diversis rationibus peccat.

51. *Cur* finem alienum, quem agens sibi proposuit, denotat. Juvenis qui surripit pecuniam domino, ut theatrum adeat, vel potui cum sociis indulgeat, vel eam meretricibus largiatur, præter furti peccatum, alias, pro finis ratione, peccat.

52. *Quomodo* fiat actio etiam attendendum est: pudorem virgini vi eripere stuprum est, quum consentientem vitiare sit fornicatio. Iræ excessus ex vehementioribus contumeliis innotescit.

53. *Quando* tempus respicit; si enim quis die Parasceves ebrietati vacet, vel die festo publice vacet operi servili, gravius peccat, ob temporis sanctioris contemptum.

54. Eventus qui ex pravis actibus sequuntur eorum malitiam augent, quatenus prævidebantur, vel poterant et debebant prævideri. Sic qui ex libris obscœnis, vel alias pravis, lapsus plurimorum sequuntur, scriptoris malitiam ostendunt.

(1) Tract. de act. hum. c. iii.

55. Est apud theologos receptum et verissimum axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*: scilicet ut actus sit bonus, res, finis, et omnia adjuncta, legi morum convenient oportet: nam si quid desit, malus habendus erit. Sic stipem dare roganti res est per se bona; quod si quis eam conferat in malum finem, v: g: ut seducat puellam, actus pravus est. Si finis æque ac res probandus sit, ratione adjunctorum peccari poterit, qui enim eam confert sese inebriaturo, peccato fomitem præbere, et ideo peccare censetur.

56. Primaria morum regula est Dei voluntas, mandatis suis præsertim patefacta, ad quæ servanda omnino tenemur. Quæ autem adversa nobis contingunt, Deo volente, æquo animo patiamur oportet, quamvis ad ærumnas expetendas nulla nos cogat necessitas. Imo Deus vult nos affectu sincero parentes et propinquos amplecti, quorum infortuniis proinde doleamus necesse est, etsi divinam voluntatem et rerum summum arbitrium tota animi veneratione colamus. “Aliquando bona voluntate,” inquit S. Augustinus, “homo vult aliquid quod Deus non vult, tamquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori.”¹ Quando igitur orando dicimus: “fiat voluntas tua, sicut in cælo, et in terra;” divina impleri mandata optamus: sed non necessariò volumus quæ nobis propinquisve nostris contingunt adversa.

(1) In Enchir. c. CI.

CAPUT VI.

DE PASSIONIBUS.

57. His quæ de actibus humanis diximus, nonnulla de passionibus adjungenda sunt. Passio apud philosophos theologosque vocatur motus animi, seu affectus: qui, quatenus rationis et voluntatis imperio subjacent, boni sunt, vel mali. "Rectus amor," inquit Augustinus, "omnes istas affectiones rectas habet: metuunt enim peccare, cupiunt perseverare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis."¹ Equidem Stoici dicuntur veluti animi morbos, affectus omnes, seu perturbationes animi, uti a Tullio vocantur, damnasse: sed a D. Thoma explicantur de motibus extra limites rationis, quapropter censet eos voce, magis quam sententia, a Peripateticis dissensisse.² Amor præcipuus est animi motus et cæterorum radix; ex eo quippe desiderium nascitur, spesque adipiscendi, cum audacia ad aggrediendum quæ ad id inserviant, et gaudio de bono adepti. Ei opponitur odium mali, ex quo, timor fugaque oriuntur, vel tristitia si malum superveniat. Desperatio etiam obruit animum, quoties nulla spes evadendi affulget.

58. Amor *concupiscentiæ* est quo quis alterum propter suam utilitatem diligit: *amicitiæ* dicitur si dilectus propter se ametur. In bonum amor fertur, sed vana species sæpe nobis illudit: quapropter rerum noxiarum amore abreptos alloquitur Salomon: "Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient?"³ Rerum cognitio ad amorem excitandum inservit, qui maxime accenditur ex animorum similitudine, nisi inde oriatur obex alteri, uti superbis facile contingit. Ad conjunctionem tendit amor, nam affectu amantes unum sunt. Anima sancta Deo amando conjungitur miro prorsus modo: "qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo."⁴ Extra seipsum quodammodo fertur qui ardentem amat, adeo ut sui oblitus in amato conquiescat. Studium inde oritur

(1) L. xiv de c. ix.

(2) 1. 2. qu. xxiv. art. ii. *Resp.*

(3) Prov. i. 22.

(4) 1 Joan. iv. 16.

felicitationis, vel utilitatis amati, quod zelus, quoties de Deo agitur, vocatur, quo se totum flagrasse Christus Dominus testatus est: "zelus domus tuæ comedit me."¹ Eliam etiam eo non caruisse liquet: "zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum."²

59. Odium adversatur amori, ex quo tamen oriri dicitur, quatenus ideo quis aliud odit, quod rei dilectæ contrarium sit. Vehemens est animi affectus, et plurima parit mala. Nemo odit seipsum: "nemo enim unquam carnem suam odio habuit:"³ ita scilicet sumus natura comparati, ut necessariò quisque se diligat. Quod autem Christus neminem dicat discipulum ejus fieri posse, qui animam suam non oderit,⁴ intelligitur de minori sui dilectione, quæ divinæ legi subja- ceat: necesse quippe est ut quis se Deo minus amet.

60. Veritatem nemo odit nisi natura repugnante, nam intellectui veritas convenit: sed vitio naturæ fit ut oderint homines quæ suas coercent cupiditates, vel obstant præjudiciis. Hinc Apostolus Galatas interrogat, utrum veluti inimicum eum habeant, eo quod verum tradat: "Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?"⁵ Terentius dicit: "Obsequium amicos, veritas odium parit." Augustinus etiam: "Homines amant veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem."⁶

61. Concupiscentia est appetitus delectationis ex sensibus derivandæ. Naturalis dicitur cibi potus aliorumque ad vitam necessariorum desiderium, quod intra quosdam limites consistit, quamvis recurrente eadem necessitate desiderium quoque exurgat. "Omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterum;"⁷ dicit Christus, Samaritanam mulierem alloquens de putei aqua. Nequit quidem bonis terrenis humanum expleri desiderium, quod infinitum quodammodo est. Hinc qui divitiarum coacervandarum studio flagrant, majores cumulos sibi in dies quærunt.

62. Delectatio dicitur motus animi ex præsentia rei dilectæ. Gaudium est delectatio secundum rationem, ex rebus scilicet quæ menti præcipue obversantur: delectamur cibis gustatis; gaudemus amici consortio. Vehementior plerumque delectatio ex sensibus hauritur, sed perfectior intellectu: "multo enim magis delectatur homo de hoc, quod cognoscit aliquid intelligendo, quam de hoc quod cognos-

(1) Joan. ii. 17.

(2) III. Reg. xix. 10.

(3) Eph. v. 29.

(4) Luc. xiv. 26. Vide Mat. x. 37.

(5) Gal. iv. 16.

(6) L. x. Confess. c. xxiii.

(7) Joan. iv. 13.

cit aliquid sentiendo : quia intellectualis cognitio et perfectior est, et etiam magis cognoscitur, quia intellectus magis reflectitur supra actum suum, quam sensus : et est etiam cognitio intellectiva magis dilecta. Nullus enim est qui non vellet magis carere visu corporali, quam visu intellectuali, eo modo quo bestiae vel stulti carent : sicut Augustinus dicit in libro XIV de civitate Dei. Sed si comparentur delectationes intelligibiles spirituales delectationibus sensibilibus corporalibus, sic secundum se, et simpliciter loquendo, delectationes spirituales sunt majores. Et hoc apparet secundum tria, quæ requiruntur ad delectationem, scilicet bonum conjunctum, et id cui conjungitur, et ipsa conjunctio. Nam ipsum bonum spirituale est majus quam corporale bonum, et est magis dilectum. Cujus signum est, quod homines etiam a maximis corporalibus voluptatibus abstinere, ut non perdant honorem, qui est bonum intelligibile. Similiter etiam ipsa pars intellectiva est multo nobilior, et magis cognoscitiva, quam pars sensitiva. Conjunctio etiam utriusque est magis intima, et magis perfecta, et magis firma.”¹ Hinc quamvis delectatio ex tactu præcipua sit quæ ex sensibus derivatur, “ si consideremus delectationes visus secundum quod visus deservit intellectui, sic delectationes visus erunt potiores, ex ratione, qua et intelligibiles delectationes sunt potiores sensibilibus.”²

63. Ex spe boni adipiscendi delectatio etiam oritur, fit enim quodammodo præsens menti : memoria boni quo quis jam gavisus est delicias cogitanti præbet : sed res præsens longe majori plerumque perfundit mentem gaudio.

64. Tristitia cum delectatione conjungi potest, quando felicitas amissa in memoriam revocatur, et præsens sistitur, statim ploranda amissa. Ipse animi dolor, quem quis abjecit, memoriæ iterum præsens, delectationis præbet occasionem, quatenus quis gaudet se e tantis evasisse malis : “ Hæc olim meminisse juvabit.

65. Ex aliorum actibus qui nobis prosunt, delectatio oritur, sicut et ex iis quibus quanti nos faciant significant, vel alias nos prosequantur honore : inde enim plerumque fit ut præstantissimi optimique nobis videamur, licet alii forsitan nobis blandiantur. “ Propter hoc homines delectantur in hoc, quod laudantur vel honorantur ab aliis : quia scilicet per hoc accipiunt æstimationem, in seipsis aliquod bonum esse. Et quia ista æstimatio fortius generatur ex testimonio bonorum

(1) S. Thom. i. 2. qu. xxxi, art. v. Resp. (2) Ibidem, art. vi. Resp.

et sapientium, ideo in horum laudibus et honoribus homines magis delectantur.”¹ Aliis benefaciendo delectamur ob charitatem qua eos amplectimur, et spem quam fovemus mercedis, et optimam in quibusdam naturæ indolem ad benefacta proclivis.

66. Quæ mira videntur, et difficilia intellectu, inquisitionem dum provocant, secreta quadam delectatione titillant animum, quæ in magnam prorumpit lætitiā, si investiganti explorata fiat veritas. Hinc qui novi quid adinvenerunt, extra se delectatione rapti plerumque visi sunt.

67. Id interest discriminis inter delectationem quæ ex sensibus derivatur et eam quæ mente percipitur, ob cœlestia quibus ornatur anima dona, quod illa pariat fastidium, hæc animam divina beet dulcedine.

68. Fuerunt severiores quidam philosophi qui omnem se respuere delectationem jactabant, sed, ut S. Thomas dicit, male in ea re virtuti consuluerunt: “cum enim nullus possit vivere sine aliqua sensibili et corporali delectatione, si illi qui docent omnes delectationes esse malas, deprehendantur aliquas delectationes suscipere, magis homines ad delectationes erunt proclives, exemplo operum, verborum doctrina prætermissa.”² Est igitur delectatio innoxia, imo et bona, quæ rationi conveniat, et homini ad virtutum exercitium animos adjiciant: sed pessima est eorum, “qui lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis.”³ Pro majori voluntatis delectatione qua virtutem amplectitur, acceptior est Deo; sed quæ sentitur voluptas non est norma judicandi: sæpius enim animo veluti latet delectationis vis.

69. Dolor motus est animi ex malo præsentis: “sicut ad delectationem duo requiruntur, scilicet conjunctio boni, et perceptio hujusmodi conjunctionis; ita etiam ad dolorem duo requiruntur, scilicet conjunctio alicujus mali, quod ea ratione est malum, quia privat aliquod bonum, et perceptio hujusmodi conjunctionis.”⁴ Tristitia arctius sumitur pro animi sensu intimo ex re ingrata concepto. Quando tristitia rationibus supernaturalibus nititur, et intra limites consistit, animum parat lætitiæ: “quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.”⁵ “Beati qui lugent:

(1) S. Thom. 1, 2. qu. xxxii. art. v. Resp.

(2) Ibidem. qu. xxxiv. art. i. Resp.

(4) S. Thom. 1. 2. qu. xxxv. art. i. Resp.

(3) Prov. ii. 14.

(5) 2 Cor. vii. 10.

quoniam ipsi consolabuntur.”¹ “Luctus præsens,” inquit S. Thomas, “ad consolationem futuræ vitæ perducit: quia ex hoc ipso quod homo luget pro peccatis, vel pro dilatione gloriæ, meretur consolationem æternam. Similiter meretur etiam eam aliquis ex hoc, quod ad ipsam consequendam non refugit labores, et angustias propter ipsam sustinere.”² Aliquando lætitia miscet se tristitiæ, vel eam statim sequitur, ex re diversa, vel persona alia, solent enim pii homines “gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus.”³ De divina Sapientia dicitur: “non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiâ et gaudium.”⁴ Igitur qui Deum contemplantur, nullam inde concipiunt tristitiâ, ipse enim dolor ob eum peccato læsum, magnam inducit dulcedinem. Aliquando tamen tædet eos eorum quæ a contemplatione eos retrahunt. Cordis tristitiâ ex rebus menti intimius obversantibus concepta, longe excedit dolorem ex corporis malo: “omnis plaga tristitiâ cordis est,”⁵ maxima quippe voce illa “omnis” usu Hebraico designatur.

70. Animi vires tristitiâ valde minuuntur, unde fit ut mens nequeat eas exercere: corpus etiam plurimum læditur; viribus enim paulatim deficientibus, languescit. “Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.”⁶ “Sicut tinea vestimento, et vermis ligno: ita tristitiâ viri nocet cordi.”⁷ “A tristitiâ enim festinat mors, et cooperit virtutem, et tristitiâ cordis flectit cervicem.”⁸ “Tristitiâ,” iudice S. Thoma, “inter omnes animæ passiones magis corpori nocet. Cujus ratio est: quia tristitiâ repugnat humanæ vitæ quantum ad speciem motus sui, et non solum quantum ad mensuram seu quantitatem, sicut aliæ animæ passiones. Consistit enim humana vita in quadam motione, quæ a corde in cætera membra diffunditur passiones autem, quæ important motum appetitus cum fuga, vel retractione quadam, repugnant vitali motioni, non solum secundum quantitatem, sed etiam secundum speciem motus. Et ideo simpliciter nocent, sicut timor et desperatio, et præ omnibus tristitiâ, quæ aggravat animum ex malo præsentis, cuius est fortior impressio, quam futuri.”⁹

(1) Mat. v. 6.

(3) Rom. xii. 15.

(5) Eccl. xxv. 17.

(7) Ibidem, xxv. 29.

(9) 1. 2. qu. xvii. art. iv. Resp.

(2) 1. 2. qu. xxxv. art. iii. Ad primum.

(4) Sap. viii. 16.

(6) Prov. xvii. 22.

(8) Eccl. xxxviii. 19.

71. Tristitia minuitur delectatione aliqua superveniente, sed et fletu nonnunquam; quæ enim pectore manet clausa, cor solet obruere. Sic Augustinus amici mortem plorans in solis gemitibus et lacrymis aliquam requiem inveniebat.¹ Aliis condolentibus levatur plerumque animus, nam et onus dividi videtur, et delectatio ex eorum dilectione nascitur. Sed solamen majus afflicto animo fit ex cælestium contemplatione, est enim “Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.”² Hinc Augustinus de se scribit: “Videbatur mihi, si se ille mentibus nostris veritatis fulgor aperiret, aut non me sensurum fuisse illum dolorem, aut certe pro nihilo toleraturum.”³ “In contemplatione veritatis maxima delectatio consistit. Omnis autem delectatio dolorem mitigat, et ideo contemplatio veritatis mitigat tristitiam, vel dolorem, et tanto magis quanto perfectius aliquis est amator sapientiæ: et ideo homines ex contemplatione divina, et futuræ beatitudinis, in tribulationibus gaudent, secundum illud Jacobi I. ‘Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis:’ et quod est amplius, etiam inter corporis cruciatus, hujusmodi gaudium invenitur: sicut Tiburtius martyr cum nudatis plantis super ardentes prunas incederet, dixit; ‘Videtur mihi quod super roseos flores incedam in nomine Jesu Christi.’”⁴ Sed et prosunt remedia quibus corpus levatur, somnus scilicet, balneum, et alia hujusmodi; quum enim tristitia corpori lædat, cor veluti arcando, et opprimendo, quidquid conditionem hanc immutat et sublevat animi levamini etiam inservit. Qui igitur gravantur mœrore debent remediis hujusmodi uti, sed orationis præsidio præsertim: “Tristatur aliquis vestum? oret.”⁵

72. Tristitia quædam bona est, qui enim bono amisso dolet, illud se magni facere ostendit: qui malo pressus tristatur, sensum calamitatis, a quo nemo alienus sit oportet, manifestat. Licet igitur dolere, bonis vitæ hujus amissis, vel dum ærumnis premimur: sic enim habet hominis natura. Quod si ex fidei lumine ea ploremus mala, quæ divino adversantur honori, et cum animarum interitu conjunguntur, æquior et sanctior erit animi dolor: cæterum cavendum ne quis abundantiori absorbeat tristitia.⁶

73. Spes motus est animi in bonum futurum arduum, quod quis se adepturum putat. Ei opponitur desperatio, qua quis persuasum habet

(1) Vide *Confess.* l. iv. c. iv.

(2) 2 Cor. i. 3.

(3) *Soliloqu.* l. i. c. xii.

(4) S. Thom. l. 2. qu. xxxviii. art. iv. *Resp.*

(5) *Jac.* v. 13.

(6) 2 Cor. ii. 7.

se bonum illud optatum nunquam obtenturum. Experientia aliquando spem fovet; qui enim jam simili in rerum conditione felicem exitum novit, animosior fit ad appetendum finem. Sed et ex infelici rerum exitu sæpe gignitur desperatio; quapropter senes quos sæpius sefellit eventus, haud facile sperant, juvenibus e contra rerum imperitis sibi montes aureos, et felicem inceptorum successum pollicentibus. Ex spe fit ut quis suas exerat vires ad rem assequendam, ideoque diligentius et magis strenue plerumque agat: nisi in nimiam fiduciam exurgat.

74. Timor est motus animi recedentis a malo futuro, cui nequit resisti. Mala naturæ, v: g: mortem timemus; mala etiam culpæ, quatenus ab exteriori causa pendent, "puta cum aliquis timet commorari in societate malorum, ne ab eis ad peccandum inducatur;"¹ sed quatenus e nostra voluntate pendent, non dicimur ea timere, quum penes nos sit ea evitare. "Malum autem culpæ," inquit S. Thomas, "propriam causam habet, voluntatem humanam, et ideo proprie non habet rationem terribilis."² Timor ex amore contrarii boni oritur: "nulli dubium est non aliam esse metuendi causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum."³ Moderatus timor facit ut consilia de malo vitando ineamus, et ut in ea incumbamus opera quæ nos e periculo eripiant, quapropter Apostolus nos hortatur: "Cum metu et tremore vestram salutem operamini."⁴ Sed nimius timor obstat ne ea quæ oportet impleamus.

75. Audacia est motus animi ardua aggredientis, periculo neglecto. Ex spe oritur: "ex hoc enim quod aliquis sperat superare terribile imminens, ex hoc audacter insequitur ipsum."⁵ Contingit nonnumquam ex defectu considerationis, quapropter rei difficultate experimento cognita, minuitur: sed fortes, re mente perpensa, maturius lentiusque aggrediuntur periculum, et animosiores deinceps fiunt.

76. Ira motus est animi vindictam appetentis. "Ira respicit duo objecta, scilicet vindictam quam appetit, et eum de quo vindictam quærit: et circa utrumque quandam arduitatem ira requirit."⁶ Rationi quodammodo convenit, nam ira est appetitus vindictæ: hæc autem collationem importat pœnæ infligendæ ad nocumentum sibi

(1) S. Thom. 1. 2. qu. xlii. art. iii. *Resp.*

(2) *Ibidem.*

(3) S. Aug. L. lxxxiii. quæst. qu. 33.

(4) Phil. ii. 12.

(5) S. Thom. 1. 2. qu. xlv. art. ii. *Resp.*

(6) 1. 2. qu. xlvi. art. iii. *Resp.*

illatum.”¹ Præ odio ira levis est, nam “odiens appetit malum inimici in quantum est malum : iratus autem appetit malum ejus, contra quem irascitur, non in quantum est malum, sed in quantum habet quandam rationem boni ; scilicet prout æstimat illud esse justum, in quantum est vindicativum.”² “Vindictæ autem fit per illationem pœnæ. Est autem de ratione pœnæ, quod sit contraria voluntati, et quod sit afflictiva, et quod pro aliqua culpa inferatur. Et ideo iratus hoc appetit, ut ille cui nocumentum infert, percipiat et doleat, et quod cognoscat propter injuriam illatam sibi hoc provenire. Sed odiens de hoc nihil curat : quia appetit malum alterius, in quantum hujusmodi.”³

77. A S. Gregorio iræ effectus sic describuntur : “iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, et nequaquam recognoscuntur noti.”⁴ “Ira intelligentiæ lucem subtrahit, cum mentem permovendo confundit.”⁵ Sæpe manifestatur contumeliis, maledictis, et verborum copia : aliquando silentium inducit præ nimia indignatione.

De variis his animi motibus, prout regulis morum subjacent, deinceps dicendum erit.

(1) l. 2. qu. xlvi. art. iv. *Resp.*

(2) *Ibidem*, art. vi. *Resp.*

(3) *Ibidem*, art. vii. *Ad secundum.*

(4) l. v. *Moral.* c. xxxi.

(5) *Ibidem.*

TRACTATUS II.

DE CONSCIENTIA.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIA VERA ET ERRONEA.

1. **CONSCIENTIA** est iudicium animi de actus honestate : seu est intellectus actus quo quis quid sibi liceat, quid verò non liceat, in singulis rerum eventibus, iudicat.¹ Respicit actus mox peragendos, quæ enim habetur semper legis morum universim notitia, *συνηρησις synderesis* solet nuncupari. Sic quisque ex synderesi novit injurias haud irrogandas, creditoribus satisfaciendum, vitia fugienda : sed conscientiæ iudicium est, utrum inimico nunc probra jactanti ignoscendum sit ; utrum æs alienum solvendum sit, filiis neglectis.

2. *Conscientia vera et recta* dicitur, quoties ejus iudicium veritati est consonum : sic quis vere iudicat non sibi licere ignaros pauperes, etiam consentientes, fraudare, quum eorum consensus errore nitatur, vel metu. *Conscientia erronea et falsa* est, quæ aliquid licere dictat, quod revera non licet ; vel e contra illicitum ostendit quod nulla lege vetatur. Erronea est conscientia ejus qui putat licere mendacium proferre ad servandam vitam alienam, vel ne flagitium innotescat cum Religionis detrimento.

(1) Hæc conscientiæ notio præ aliis probatur Jeremiæ Taylor : " It is more reasonable which Aquinas and the schoolmen generally use, that conscience is a conjunction of the universal practical law with the particular moral action." *Ductor Dubit*, l. i. c. i. p. 9.

3. Error, sicut et ignorantia, *vincibilis* dicitur, seu *invincibilis*. Si vinci non potuerit, vel non debuerit, habita ratione indolis, dotumque personæ, et aliorum adjunctorum, qui sequitur conscientiæ dictamen non peccat, uti jam ostendimus de ignorantia invincibili. Qui ex hujusmodi errore putavit oportere invitum in exitu vitæ baptizare, excusabitur, quamvis alioquin invito baptismum injicere sit sacramenti indigna tractatio. Qui agit contra conscientiam semper peccat, quia violat legem sibi propositam, et sua voluntate eligit peccatum. “Quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis et Dei præceptum.” Ita S. Thomas.¹ Equidem ipse Apostolus Paulus de manducatione carnum idolis immolarum agens, certissimum hoc ponit principium, peccari quoties quis contra mentis judicium agit: “Beatus qui non judicat semetipsum in eo, quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.”² Igitur qui carnes manducat, judicans eas sibi vetitas, eo quod prius idolis fuerant immolatæ, peccat, quia contra fidem agit: “fidem verò hic non eam dicit, quæ ad dogmata pertinet, sed quæ propositi est argumenti,”³ uti optime animadvertit Chrysostomus. “Quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam.”⁴ Ita habetur in jure.

4. Quoties error est vincibilis, peccatur etiam sequendo conscientiam; in causa enim culpa adest. Sic qui Christum crucifixerunt procul dubio peccarunt, licet Christum crederent esse legi divinæ adversarium, et turbarum auctorem. Qui Apostolos persecuti sunt existimantes “obsequium se præstare Deo,”⁵ peccato immunes haberi nequeunt, quum, cupiditatibus et odio obsecuti, sua culpa errarint. Meritò igitur Chrysostomus ait: “Sunt enim multi qui

(1) 1. 2æ. qu. xix. art. v. ad II. Jeremias Taylor principium hoc illustrat exemplo: “He that omits to hear Divine service on a *festival* when he hath no reasonable impediment, and he who omits it upon a common day, which he erroneously supposes to be a festival, hath equally prevaricated the law of the Church, and the analogy of the commandment of God on which this of the Church is founded.” Ductor Dubitantium, l. i. ch. 3. Rule 3, p. 111.

(2) Rom. xiv. 22. In Pontificali Romano verba Apostoli accommodantur fidei Catholicæ, cui quidquid adversatur, “schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiæ est.” In ordin. subdiaconi.

(3) Hom. xxvi. in ep. ad Rom.

(4) Cap. xiii. de rest. spoliat.

(5) Joan. xvi. 2.

seipsos non judicant, tametsi vehementer delinquant, qui omnes eo sunt miseriores.”¹ Sic qui sibi persuaserunt conjuges licere impedire prolis generationem, ne filii victu necessario careant, et ita inter se consueverunt, pessimi delicti rei habendi sunt; error enim vincibilis plerumque saltem est. Sic et præcones plerique maledicta in Ecclesiam ingerentes, ex zelo haud secundum scientiam, haud facile excusantur, quum oporteat veritatem sedulo investigare: “quid enim iniquius,” inquit olim Tertullianus, “quam ut oderint homines quod ignorant, etiam si res meretur odium? tunc enim meretur cum cognoscitur an mereatur: vacante autem meriti notitia, unde odii justitia defenditur.”²

5. Quando quis ex errore putat gravem esse culpam quæ levis vere est, graviter peccat, voluntate quippe sua amplectitur grave peccatum. Sic qui censet mendacium de re levi sacerdoti dictum, etiam in communi vitæ consuetudine, peccatum esse lethale, mendacium hujusmodi proferendo graviter peccaret. Cæterum sæpe judicium gravitatis delicti sequitur actum, qui fit cum quodam sensu vago eum haud licere. Non ideo videntur peccati gravioris in singulis actibus arguendi, qui non certò sibi statuerint eos esse veniales; quoties enim eos non graviter illicitos judicarunt, censendi sunt eam malitiam in iis agnovisse quæ revera in iis inest. Sic de tactibus conjugum inter se, de ornatus mulierum excessibus, de verbis parum modestis, cæterisque plerumque judicandum.

(1) Hom. xxvi. in ep. ad Rom.

(2) Apologet. c. i.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

6. *QUUM lata* dicatur conscientia, quæ, levissimis rationibus nixa, pleraque licere judicat; *scrupulosa* e contra est, quæ, leves ob causas, malum adesse suspicatur in actibus licitis. Angitur homo peccati formidine, et umbram fugiens omnemque speciem mali, sine causa turbatur. Equidem apud mundanos homines, ii scrupulosi designari consueverunt, qui pietatem colunt, vel gravissima peccata declinant, quamvis alioquin non inani peccandi suspitione terreantur. Sic scrupulosus vocatur qui non vult Ecclesiæ legem die esurialia violare: vel contractum iniquum inire ex quo magnum lucrum derivandum sit.

7. *Causæ* scrupulorum plurimæ recensentur. Imprimis cerebri infirmitas, et phantasia excitata, quæ species quasdam mali creat. Huic affinis est bilis atra, qua qui laborant peccandi pericula facile suspicantur. Peccata præterita nonnumquam angunt animum, ne forsitan haud enucleatius enarrata sint, et defleta; nonnumquam mentem turbant plurimis fædisque imaginibus, quibus inquinari se quis credit, adeo ut confitendo se accuset plurimarum culparum, quas revera non admisit. Dæmonis astutia frausque facit, ut, periculorum formidine correpti, in via Dei progredi non audeamus, nullamque nobis salutis spem superesse putantes, jugum Christi abjiciamus. Superbia accedit, qua quis, suo nitens iudicio, de morum principiis, et singulis rerum eventibus judicare aggreditur; et ducem respuens, se dubitatione æstuarie sentit.

8. *Remedia*, pro causarum, e quibus scrupuli oriuntur, varietate adhibenda erunt. Edocendus erit ignarus, ut inter peccatum et res licitas valeat discernere: qui pusillo animo est, confortandus erit, ut metu deposito, spem in Deo constituat: bili atra laborans ad benignius de Deo sentiendum urgendus. Præ cæteris oratio est commendanda, qua lumen et solamen mens percipiat; et confessarii

jussio pro certa agendi norma sumenda. Equidem in ea mentis caligine nisi quis omnino obaudierit animæ duci, vix poterit evadere: ideo “ad sui pastoris consilium, conscientia levis et temerariæ credulitatis explosa, licite potest non solum reddere, sed exigere debitum conjugale.”¹ Ita de muliere ex levi causa dubitanti de conjugii vi, respondit olim Innocentius III.

9. Confessarius, igitur, qui scrupuloso mederi studet, debet omnino exigere ut obediat, et libere agat juxta principia sibi tradita. Non oportet plerumque frequentiora ei indulgere colloquia, vel singulares quoscumque casus definire; sed in universum ei jubeat ut faciat quidquid non certò novit peccatum esse, et communem proborum consuetudinem sequatur. Diuturno conscientiæ examine prohibendus est pœnitens qui scrupulis laborat, et ad sacrum tribunal, etiam nullo examine præmisso, invitandus. Si de peccatorum confessione angatur, quæ semel confessus est non sunt repetenda ob defectus quosdam: sed suppleri poterunt semel, vel iterum, ommissa, et reliqua divini misericordiæ penitus relinquenda: nec enim, si quid forsitan desit, ei illo in discrimine versanti imputabitur. Si de præcepti impletionem nimis sit sollicitus pœnitens, poterit confessarius eum solvere obligatione, quoties gravem molestiam, cum jactura animæ pacis, inde patitur. Sic recitans Breviarium nonnumquam adeo angitur scrupulis, ut gravi objiciatur discrimini usum rationis amittendi.

10. Scrupulosus, qui vere a peccato gravi abhorrent, commendandum ut eucharistiam sæpius recipiant, ad quam juvat accedere nonnumquam ommissa confessione, quando scilicet confessario est exploratum eos puram degere vitam. Ipsis se indignos profitentibus, et peccatorum gravium reos, non est fides præstanda, facile enim sibi persuadent ea quæ phantasiam turbant esse animi maculas. Solebat idcirco S. Philippus Neri hujusmodi pœnitentibus præcipere ut ad sacram mensam accederent confessione haud expiati. Monacho cuidam se dubitationis de Christi Domini in eucharistia præsentia accusanti, dixit S. Bernardus: “Vade, et in fide mea celebres:” quo obtemperante, dubietas illa penitus sublata est.

11. Benignitas plerumque scrupulosus est exhibenda; sed qui sua sequuntur placita durius aliquando tractandi sunt. Iis præ oculis ponenda est S. Bernardi sententia: “qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.”² Illud autem cavendum, ne dum

(1) Cap. xlv. de sent. excom.

(1) Ep. lxxxv. ad Ogerium.

scrupulos quis vitare studet, in latam viam præceps ruat; jugi enim dominici pertæsus facile fiet diaboli servus. Imo contingit ut quos conscientia angit de levi quacumque peccati umbra, gravia quædam delicta non sint sollicitudini. Sic de prece quadam ommissa angitur mulier quæ occulta aliorum crimina, conscientia haud eam mordente, pandit. De re levissima die Dominica peragenda hæret, qui alioquin injustis contractibus quotidie ditescit.

12. Conscientia *perplexa* dicitur quando quis ex alterutra parte putat adesse peccatum, adeo ut nullum sit effugium. Sic filia forsân censet se peccaturam, si patris latibulum hosti quærenti detegat, cum certo vitæ discrimine: sed e contra peccaturam se novit mentiendo. Sic et nutrix existimat se peccaturam Missam non audiendo die festo; sed a periclitante discedere religioni ducit. Quotiescumque menti peccati periculum ex utraque parte apparet, libertas quodammodo tollitur arbitrii, ideoque non peccatur, si minus quod videtur eligatur malum.

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

13. *CONSCIENTIA dubia* est suspensio iudicii de operis malitia ob rationum defectum, seu pugnam : certum enim iudicium conscientiam certam facit. Si rationes sint adversæ et oppositæ, *positive* dubia vocatur conscientia : *negative* verò dubia, si rationes neutra ex parte habeantur. Dubitatio vel respicit jus, vel facta specialia. Si rei veritas in dubio sit posita, dubium *speculativum* solet vocari : si rei honestas dubia sit, dubium *practicum* vocatur. Dubitat quis speculative utrum valeat baptismus a sectariis Baptistis collatus : practice, utrum ii qui ab illis in aquas submersi sunt, iterum sint abluendi.

14. Qui practice dubitat de actionis honestate, peccat, si dubitatione animi haud deposita agat, se enim peccandi discrimini objicit, ideoque periculum amare convincitur : “ Qui agit scienter,” inquit S. Antoninus, “ id de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, sumendo proprie et stricte dubitationem, prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem quam ad aliam.”¹ Si dubitet, utrum sit peccatum, quin ad mortalem vel levem ejus malitiam attendat, videtur plerumque leviter peccare, non enim gravitatem in ea agnoscit. Cæterum animi dispositionis et consuetudinis ratio est habenda. Mulier quæ mariti familiaritatem quandam admittit, utrum liceat dubia, non est facile peccati mortalis damnanda : quod si de ipsa conjugii natura et fine agatur, animi dubitatio gravi adeo nixa ratione, peccatum mortale potest inducere.

15. Speculativam dubitationem deponere potest quis, præsertim rudis et ignarus, confessarii, vel pastoris, iudicio suum emendans, et firmans : nam animarum rectores in aliorum salutem positi, duces

(1) 1 par. tit. iii. c. x. § x. Reg. vi.

sunt habendi. Practicam quoque certitudinem haberi posse, dubitatione speculativa manente, constat, si accesserit circumstantia qua dubitandi ratio tollatur.¹ Sic dubitari potest utrum in die jejunii collatiunculam mane sumere liceat: sed certum est licere si quis valetudine sit impeditus, vel nequeat prandere nisi vespertino tempore, ob negotia, vel consuetudinem inductam. Principiis etiam reflexis tolli posse dubitationem plerique theologi consentiunt, quamvis quæ sint admittenda, in controversiam vocent.² Nos S. Alphonsi de Ligorio vestigiis inhæremus.

16. *Lex dubia non potest certam parere obligationem.*³ Quum lex a ligando dicatur, de vinculo constet necesse est, ut quis obligatione teneri censeatur: "Nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti."⁴ Ita Angelicus Doctor. Equidem ut lex conscientiam liget, et libertatem humanam limite quodam coarctet, debet innotescere: quæ autem dubia videtur, non innotescit. Igitur quoties de lege non constat, vel de onere quodam a lege imposito, nemo ad onus vel legem tenetur. De voto pariter dicendum, nam legis instar est, quam quis sibi imponit. Igitur si quis dubitet, utrum voto se ligaverit ad donum dandum in ecclesiæ ædificium, non tenetur ad illud dandum: si votum castitatis se emisisse noscens, dubitet utrum se ordinem religiosum ingressurum voverit, non tenebitur ad professionem religiosam. Sic et qui dubitat utrum sit jejunii dies, nec potest rei certitudinem adipisci, ad jejunium eo die non tenetur. Hæc intelliguntur post seriam veritatis indaginem, quoties dubia lex manet, nec præsto est ratio qua certò innotescat.

17. Contendit tamen Gerdil legem dubiam parere obligationem certam, non directe vi sua, et propria, sed vi legis generalis vetantis ne quis exponat se discrimini peccati:⁵ sed pace tanti viri, lex illa generalis de peccato certo et explorato, ejusque periculo vitando intelligenda est, potius quam de re vitanda, quæ forsitan legi haud certò cognitæ adversetur. Utique vetatur ne quis se temere objiciat dis-

(1) Vide Gerdil de actibus humanis qu. ii. cap. i.

(2) Consentit Jeremias Taylor: "Although the conscience be uncertain in the direct act, yet it may be certain, right, and determined in the reflex and second act of judgment." Ductor Dub. l. 1. c. 2. p. 39.

(3) Vide S. Alphonsum, L. i. tract. de Conscientia.

(4) Opusc. de Verit. qu. xvii. art. iii.

(5) De actibus humanis c. v. prop. i.

crimini, consortium cujusdam frequentando, quod præsens peccandi periculum conjunctum habeat; vel apud se retinendo aliquam cum qua consuevit peccare. Sed de lege vetante ne quis actum eliciat, quem lege vetitum non novit, non constat: quamvis enim contingere possit actum esse legi adversum, erroris, potius quam peccati, adest periculum, quum peccatum exigat voluntariam legis transgressionem.

18. *Obigationi certæ satisfieri certo debet.* Equidem quoties de lege vel onere constat, æquum est ut illud impletum noscamus, antequam nos liberos habeamus vinculo. Sic si haud meminerim utrum recitaverim *Horas*, nec adsit ratio qua dubitationem tollam, erunt mihi recitandæ, ne muneri desim. Si dubitem seriò de pœnitentia impleta, de voto soluto, de legis onere servato, oportet ut rei certitudine tollam dubitationem. Hoc tamen de prudenti dubietate intelligendum, non de levi quacumque dubitatione, seu potius omissionis suspicione.

19. "*In pari delicto vel caussa melior est caussa possidentis.*"¹ Hæc regula juris maxime respicit judiciorum ordinem, in quibus possessori res eripienda non est, nisi plane probetur aliena; præsumendum quippe est, eum qui possidet, jure eam possidere, nisi contrarium pateat. Valet etiam in conscientia, juxta plerosque, nemo enim rem, quam bona fide possidere cœpit, dimittere tenetur, nisi constet eam suam non esse. Cæterum sunt qui dicunt eum qui ex possessione non habet fundamentum inferendi rem esse suam, debere pro dubii ratione aliquid restituere.²

20. "*Pro eo standum est pro quo stat præsumptio.*" Qui auctoritate aliqua ac munere fruitur, censendus est jus quod exercet habere, nisi contrarium liqueat. Sic leges præsumuntur haud excedere potestatem eas ferentium, quamdiu nihil contra apparet. Superior censetur potestatem quam exercet habere, nisi extra limites eum excessisse constet: quod si res sit valde molesta, et dubium sit exercitium potestatis, non videtur pro Superiore præsumendum, præsertim gravioribus imminentibus ex obedientia incommodis.³ Pro matrimonii valore præsumitur, donec impedimentum sit exploratum, ne temere rumpatur.

(1) Reg. Juris lxx. in 6.

(2) Vide plures apud Gerdil de act. humanis c. iv.

(4) S. Alphonsus Theol. Mor. l. i. n. 31.

tur conjugium dubium. Præsumentum pœnitentem qui pluries conscientiae latebras magna cum diligentia detexit, exposuisse peccata, saltem sub generali quodam capite, de quibus tamen eum pulsat dubitatio. Huic regulæ affinis est altera: "inspicimus in obscuris quod est verosimilius, vel quod plerumque fieri consuevit."¹

21. "*In dubiis via est eligenda tutior.*"² Equidem quoties dubitatio respicit rem summi momenti, præsertim animæ salutem, tutior omnino eligenda est pars: nam alias quis se temere exponeret salutis discrimini. Qui dubitat utrum baptismus sit ad salutem necessarius, debet eum suscipere, post necessariam institutionem. Dubitans graviter de baptismi suscepti valore, debet iterum expetere lavacrum, ne forte aliqua tanto salutis subsidio careat. Quando agitur de sacramentorum valore tutior eligenda est pars, ne Christi institutio culpa nostra fiat irrita, haud sine majestatis ejus dispendio.³ Sic dubitans utrum vinum quoddam verum foret, non posset, certo vino postposito, illud in sacrificio adhibere. Quando scandala gravioraque mala imminet, tutior eligenda est pars qua evitentur, ut omnium consulatur utilitati. Hinc quum episcopus quidam, neglecta fama publica de excommunicatione in eum lata, sacrum celebrasset, dubios habens perlatos ad se rumores, eum deposuit Innocentius III., animadvertens: "quia in dubiis via tutior est eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius abstinere quam sacramenta Ecclesiæ celebrare."⁴ Quando dubitatio versatur circa damnum alteri oriturum, tutior eligenda est pars, ne temere agendo innocenti noceamus. Hinc dubitans utrum domum suam diruendo, vicini ædificium subvertatur, non debet invito vicino tollere parietem, vel fundamenta fodere, adeo ut domus periclitetur. Qui dubitat utrum medicina infirmo graviter nocitura sit, non debet eam præbere, nisi alio omni deficiente remedio, et ex ejus consensu. Si de jure alterius agatur ei satisfaciendum est, ne negando fiat injuria: secus tutius est abstinere ab actu quem non constat licere. Sic quæ mala fide iniit conjugium, de prioris conjugis morte incerta, non debet dubia petere munus conjugii: sed negare nequit viro petenti, qui bona fide eam duxit, nisi constet priorem conjugem adhuc in vivis esse: "Cum

(1) Reg. xlv. Juris.

(2) Cap. *Illud*, de clerico excommunicato.

(3) Prop. i. inter damnatas ab Innocento xi.

(4) Cap. *Illud*, ubi supra.

conscientia pulsat animum ex credulitate probabili et discreta, quamvis non evidenti et manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra iudicium conscientiae committat offensam.”¹

(1) Cap. *Inquisitioni* de sent. excom.

CAPUT IV.

DE SENTENTIIS PROBABILIBUS.

22. *Probabilis* dicitur opinio gravi ratione, licet haud omnino certa, nixa. Tenuiter dicitur probabilis, quando ratio qua nititur levis est, et nullius fere momenti. Intrinsicus est probabilis opinio quæ rationibus documentisque fulcitur: extrinsecus quæ theologorum suffragiis commendatur. Constat non levem quamdam verosimilitudinem sufficere, ut quis prudenter agere censeatur; ideoque peccati periculum non vitari, si quis opinionem tenui ratione, vel suffragio parvi momenti suffultam, sequatur; nam damnata est sequens propositio: “Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.”

23. In opinionum conflictu probabilior est intrinsicus, quæ graviori rationum pondere fulcitur; extrinsecus quæ theologorum magni nominis suffragiis pluribus comprobatur. Probabilissima sententia est, quæ gravissimis argumentis, vel auctoritate insigni, sustentatur. Probabilis autem simpliciter dicitur sententia, cui ratio vel auctoritas non objicitur, quamvis ipsa non sit omnino liquida. Duæ sententiæ quæ paribus momentis rationum et suffragiis nituntur, æqua probabiles censentur: si pondus sit diversum ex altera parte, alia probabilior, alia minus probabilis vocatur. Improbabilis est sententia omni specie veri destituta.

24. Quum varia sint hominum judicia quædam sententia unice probabilis, vel probabilissima alicui videtur, quæ alteri minus probabilis habebitur. Sic quæ alii probabilior, alii minus probabilis erit. Fideles plerique de sententiarum pondere judicare nequeunt; sed ex ore pendent pastorum, et confessoriorum, qui doctrinam, iudicium, et pietatem theologorum, quorum sententias varias perpendunt, attendere debent, ut de harum majori verosimilitudine judicent.

25. Sententias probabiles quibus nullus adversatur alicujus nomi-

nis theologus, et probabilissimas sequi quis potest absque peccati formidine, quia prudenter agit, et ea certitudine quæ in rebus humanis possit haberi. Optimo igitur jure damnavit Alexander VIII. propositionem: "Non licet sequi opinionem probabilem, vel inter probabiles probabilissimam."¹

26. Tutior dici solet sententia quæ rigidior est, et humanam libertatem minuit. Sic tutior sententia est nihil supra sortem accipiendum ab eo qui pecuniam locat mercatori. Respectu pœnitentis tutior potest esse sententia quæ eum a peccato removet, spectata ejus indole. Sic hominem assuetum negotiis, et nil de auctuarii injustitia suspicantem tutius est non inquietare, ne mala fide deinceps agat.

27. In rebus ad salutem necessariis, sententiam minus probabilem sequi non licet, nam nulla nimia securitas ubi periclitatur æternitas. Temere quidem, et cum manifesto salutis discrimine, quis leviora momenta rationum sequitur, gravioribus neglectis indiciis divinæ voluntatis. Hinc merito damnata est propositio. "Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili."²

28. In sacramentis administrandis plerumque non licet sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: exigit enim reverentia erga Christi instituta, ut nil omittatur quo periclitentur: quod et suadet charitas erga proximum, qui alias exponeretur discrimini sacramentorum utilitates amittendi. Merito damnavit Innocentius XI. propositionem sequentem: "Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabilis tantum non est utendum in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, aut episcopalis."³ Igitur in confirmatione foret illicitum sequi sententiam quæ essentiam sacramenti in sola impositione manuum constituit; quia omittendo chrisma, non solum violaretur Ecclesiæ ritus et disciplina, sed sacramentum irritum esse posset cum fidelium jactura. Attamen urgente necessitate probabilis aliquando adhibetur sententia, uti si quis in mortis discrimine nulla pœnitentis animi indicia edere valeat.

(1) Anno 1690.

(2) Anno 1679.

(3) Eodem anno.

29. In judiciis minus probabilem sententiam sequi non licet: nam vel certam et probatam rei veritatem, vel quæ ad verum magis accedit sententiam debet sequi iudex; qui injuriam faceret parti potiori, si alteri minora habenti momenta rationum faveret. Hinc damnata est jure optimo propositio: "Probabiliter existimo iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem."¹ Antea damnaverat Alexander VII. sententiam haud absimilem; "Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio."² In judiciis de criminibus reo favendum leges decernunt "unusquisque enim naturaliter præsumitur bonus";³ et "satius est impunitum relinqui facinus quam innocentem damnare."⁴ "Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori."⁵

30. Quando agitur de actu honestate, si diversæ sint theologorum sententiæ, pondere rationum et doctorum suffragiis commendatæ, nec Ecclesiæ iudicium prolatum fuerit, poterit confessarius sinere ut pœnitens eas pro conscientiæ suæ dictamine sequatur: nec enim ilius est certum de rebus controversis ferre iudicium. Poterit ipse ex sententiis hujusmodi eas seligere, quæ pœnitentium conditioni, indoli, et animi dispositioni magis accommodentur, cumque a periculo peccati *formalis* magis faciant alienum. Sic si noverit pœnitentem aliqua uti consuetudine, quæ theologis nonnullis improbetur, aliis tamen, gravibus et doctis, probata, sententiam mitiorem poterit adhibere, si rigidior afferat ei lapsus periculum. Sic pictor die dominica absque aliorum offensione vacans suæ arti, post officia pietatis peracta, non erit cogendus ad consuetudinem hanc deserendam.

31. Rigidior est adhibenda sententia, quoties benignior periculum lapsus affert. Idcirco non facile absolvendus erit qui occasionem peccandi procul a se non abjicit, famam prætexens, et malignos rumores.

32. Quilibet peccato immunis videtur dum sequitur sententias graves et probabiles, rei veritate haud certò innotescente: nam prudenter agit, gravibus momentis rationum fretus, vel insignes secutus theologos, quorum sententias suas facit, tanti quippe facit eorum

(1) Innoc. xi. anno 1679.

(2) Prop. 26. damn. 24 Sept. 1665.

(3) Reg. Juris.

(4) Lege, absentem § de pœnis l. xlviii. tit. xix.

(5) Reg. xi. Juris in 6.

judicium. Vel igitur sibi persuadet eos veritatem assecutos; vel dubius manet qua ex parte stet veritas. Saltem pro certo habet legem, qua res forsan vetetur, non satis promulgatam esse, quum doctissimos piissimosque theologos latuerit, ideoque se ea non ligari; rem enim facit quam ulla lege vetitam non novit. Affirmat Gerdil prudentiam exigere ut agens sententiam quam sequitur probabiliorem habeat: ¹ sed quum adeo sint varia hominum de rebus incertis judicia, nobis videtur opus non esse ut quis aliquid de honestate actus apud se determinet, nisi quod sibi liceat, quum non constet de prohibitione. ² Quod autem quidem dicant eum periculo peccandi se objicere, falluntur quamvis enim fieri possit ut res sit vetita, nullum est peccandi periculum quamdiu vetitum non innotuit. Ad rem non facit celebre Ecclesiastici testimonium de periculi amore, respicit enim manifestum certumque periculum ex cordis duritie proveniens: “Cor durum habebit male in novissimo: et qui amat periculum, in illo peribit.” ³

33. Fusius de probabilium opinionum usu disserere non juvat, quum damnatis ex utraque parte sententiis extremis, in medio tutissime eatur. Præclare et feliciter S. Alphonsus de Ligorio moderatum usum opinionum probabilium vindicavit, qui quum zelo animarum salutis claruerit, et diuturna experientia, et plurima auctorum lectione suas commendaverit sententias, non est cursoliciores sint qui tantum ducem sequuntur.

(1) Tract. de actibus humanis c. v. art. iv.

(2) Ad rem Gousset, nunc episcopus Assuriæ Petrochoriorum: “Celui qui se défie de sa prudence, et de ses propres lumières, peut-il, généralement parlant, juger qu’une opinion au sujet de laquelle les théologiens sont divisés, soit réellement plus probable, précisément parce qu’elle lui paraît être telle? Pouvez-vous avoir, je ne dis pas la certitude, mais une probabilité réelle, que telle ou telle opinion soit aussi fondée ou aussi probable en réalité qu’elle est pour vous en apparence? Ne savez-vous pas que, si de deux opinions controversées dans l’école l’une vous paraît plus probable, l’autre est également plus probable pour un grand nombre de docteurs qui ne sont ni moins capables, ni moins instruits, ni moins zélés pour la pureté de la morale, que vous ne prétendez l’être vous-même.” Theol. cursus completus, vol. xi.

(3) Eccl. iii. 27.

TRACTATUS III.

DE LEGE DIVINA.

CAPUT I.

DE LEGE NATURÆ.

1. **CONSCIENTIA** dirigat oportet actus humanos juxta divinam legem, quæ est suprema eorum regula. Lex, a ligando dicta, est norma certa et fixa juxta quam res sunt peragenda, quæ divina vocatur, quatenus Dei voluntas est regula cui omnia subjacent. Equidem ipsæ res sensu animaque carentes certa quadam ratione reguntur, quæ legis instar est: quapropter rerum ordo divina Sapientia mire constitutus lex vocatur: "certa lege et gyro vallabat abyssos . . . et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos:"¹ ideoque "ignis, grando, nix, glacies, et spiritus procellarum . . . faciunt verbum ejus."² Strictius tamen lex dicitur agendi regula enti rationali præscripta.

2. *Lex æterna* ab Augustino recte definitur "ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans:"³ est quippe ipsa suprema Dei ratio, norma que recti et boni ab essentia divina derivata: nec ferri cœpit aliquando divino veluti arbitrio, sed ipsi Dei essentiæ necessariò inhæret.

3. *Lex naturalis* apud S. Thomam dicitur, "participatio legis

(1) Prov. viii. 27, 29.

(2) Ps. cxlviii. 8.

(3) L. xxii. contra Faustum c. xxvii.

æternæ in rationali creatura:”¹ in eo, scilicet, posita est, quod quis noscat discrimen quod intercedit vitium inter et virtutem, et ideo quid sit necessario declinandum, utpote per se et intrinsecus malum, quidque sit necessario faciendum ad finem naturæ rationalis consequendum. Ex lumine rationis lex hæc naturæ innotescit, quapropter eo saltem sensu Verbum Divinum “est lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;”² quam sibi affulgere ipsæ gentes barbaræ plurimis eorum actibus produunt; quippe qui, testante Apostolo: “ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.”³

4. Lex naturæ imprimis respicit hominis erga Deum officia; nec enim nexus est ullus in rerum natura sanctior arctiorve eo qui inter hominem et Creatorem suum intercedit: ideo vi ipsa naturæ tenetur Deum quærere, eique gratias de beneficiis agere, et omnia persolvere munera quæ infinita Numinis perfectio ab eo, pro virium tenuitate, exigit. Ipso instinctu debet homo Deo revelanti plenam adhibere fidem, ejus curæ se commendare, et implorare auxilium; eum amplecti amore: ejus jussa, quacumque ratione innotuerint, implere: et si forte aliqua deliquerit, veniam pœnitenti animo petere, testimoniis afflictæ cordis exhibitis. Debet eum summo prosequi cultu, cujus eximium indicium sacrificium est, quod supremum rerum omnium arbitrium testatur. Veritas divina etiam agnoscenda est, ipso teste in rebus difficillimis invocato; quem mendacii testem exhibere, gravis foret injuria, naturæ legi plane adversa.

5. Tenetur quisque etiam lege naturæ ad suos componendos mores, adeo ut in cibis, vestibus, corporisque vel animæ quibuscumque oblectamentis, nil admittat, quo mentis vis frangatur, vel cupiditas excitetur. Moderate igitur rebus uti oportet, et delicias nimias fugere, ut ratio vigeat, et desideria intra justæ rectique limites contineantur.

6. Societatis officia etiam lege naturæ reguntur, nam et marium fœminarumque contubernium certis legibus subjacet, ne vagum sit cum prolis detrimento, vel instabile cum conjugis injuria, vel ad plures simul extendatur, cum pacis dispendio. Quod igitur homo mulierque fœdere jungantur perpetuo et unico, ad procreandam prolem, ad legem naturæ merito refertur: sic enim dictat ratio naturalis propagationi generis humani esse consulendum.

7. Civilis societas ex naturæ jure derivatur, homines scilicet naturæ instinctu in unum conveniunt, mutui auxilii et jucunditatis causa, et

(1) l. 2. qu. xci. art. ii.

(2) Joan i. 9.

(3) Rom. ii. 15.

certo se ligant fœdere, quo possint permanere conjuncti. Nemo in alterum jure naturæ quid valet, sed omnes pariter liberi sunt: attamen servitus jure gentium inducta est. Imperia etiam variis rationibus constituta, hominibus ad unum vel plures rerum sollicitudinem et auctoritatem transferentibus, ut communi prospiceretur saluti. Deus potestatis regiminis, quacumque ratione legitima ex populi voluntate exerceatur, meritò censendus est auctor, quum instinctus quo sibi sic consulunt ab eo derivetur. Potestas suprema in legibus ferendis exercetur, in tuendo ordine, et in ulciscendis injuriis quæ genti fiunt ab aliena ratione, vel in puniendis civium sceleribus, ne salus omnium periclitetur.

8. Divisio rerum quæ jure gentium inducta est, juri naturæ conveniens erat, quum ordini et paci generis humani sic consulatur: quapropter ratio dictat eam servandam, nec absque injustitiâ violari.

9. Quisque cæteros homines debet affectu prosequi, eosque tractare benigne, qua vellet ratione ab iis haberi. Igitur subveniendum indigentibus, et data occasione, præstanda sunt omnia dilectionis officia. Fides in promissis, et veritas in dictis servanda est. Sibi præ altero quisque consulit in iis quæ utrique sunt paria: sed animæ corporis utilitates quærendæ sunt, et maximum alterius commodum levi nostro emolumento plerumque antefendum. Hæc veluti summa sunt capita legis naturæ.

10. Legis naturalis vis ab æterna Dei lege derivatur, quam violare censendus est quicumque, lumine rationis affulgente, cupiditatibus pravis obsequitur. Peccatum idcirco admittit non mere *philosophicum*, quod rationis dictaminibus refragetur, sed *theologicum*, quale scilicet theologi agnoscunt, et in Dei offensionem incurrit, nam ejus voluntatem transgrediendo, dum rationi repugnat, Auctorem naturæ censetur lædere ac spernere, licet de ipso forsitan non cogitet. Damnata est idcirco propositio quæ contrarium asserebat: "Peccatum philosophicum, seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi: theologicum verò et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum."¹ Equidem Apostolus dicit interitum manere peccatores quibus divina lex non est proposita,

(1) 2. damn. ab. Alex. viii. die 24 Aug. 1690.

nisi quatenus mentis cogitationibus quid ex ipsa rerum natura vetitum sit, liqueret: “ quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt—qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.”¹

11. Quæ jure naturæ prohibentur, ob insitam scilicet turpitudinem et malitiam, nullo pacto unquam possunt culpa vacare, nisi actus ipsius natura ob adjuncta quædam mutetur. Quod igitur Deus Abraham præceperit Isaac immolare, Deum vitæ et mortis dominium habere ostendit, non autem homicidii auctorem. Nec criminis hujus arguendus est carnifex, qui justam capitis sententiam, juxta legum ordinem, exequitur, nam magistratus “ non sine causa gladium portat, Dei enim minister est.”² Furtum, quod lex naturæ prohibet, nunquam licitum evadit: Deus tamen, rerum omnium Dominus, potest earum dominium ab uno ad alterum transferre, pro summa qua pollet auctoritate: quapropter Israelitæ vasa quæ fuerant Ægyptiorum auferentes, furti non erant rei, quum Deus, ob injurias illis illatas, vasum retinendorum jus eis contulisset. Osee prophetæ Deus dicitur jussisse ut meretricem duceret, et filios fornicationum ex ea procrearet: sed satis intelligitur sermonem esse de filiis procreandis in legitimo conjugio ex muliere quæ prius meretriciam artem exercuerat, cujus filii, notam matris ferentes, filii fornicationum vocantur.

12. Quod fratres et sorores in humani generis exordiis conjugium inierint, ex necessitate factum est,³ qua excusabile fuit: propagato autem genere humano, ab hujusmodi consortio naturalis retrahit pudor. Utrum autem ad legem naturæ referendus sit honestatis hic sensus disceptatur, sunt enim qui eum ad jus gentium referunt, naturali juri proximum et consonum.

13. Hæc exempla utique non infirmant legem, qua vitium a virtute secernitur, quam vim ubique et semper obtinere, agnovit ipse Tullius: “ Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem illam legem, et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis, aut ventantis Dei.”⁴

(1) Rom. ii. 12—15.

(2) Vide S. August. l. xv. de civ. Dei c. xvi.

(3) Rom. xiii. 4.

(4) L. ii. de leg.

14. Tanta est naturalis legis vis, ut quæ contra eam fiunt non tantum sint peccatis accensenda, sed et omni careant robore, quoties actus prohibetur ob potestatis defectum, vel ob turpitudinem quæ ei constanter inhæret.

15. Nulla fieri potest legis naturalis mutatio, nam rerum essentia nititur, et ex Dei essentia veluti derivatur. Attamen in quibusdam rerum adjunctis ejus obligatio suspenditur quoad rem aliquam specialem; quamvis enim præcipiat unicuique jus suum tribui, ideoque depositum domino petenti reddi, attamen non erit gladius reddendus amenti, vel venenatum poculum, quod quis sibi paravit, ei præbendum, quum dilectio proximi vetet ne justitiæ cum tanto ejus damno satisfiat. Sic secretum ex jure naturæ servandum est: quod tamen prodere oportet, si innocenti alioquin damnum enorme immineat, vel reipublicæ: nam et naturæ instinctu fit ut huic illique consulamus. Arcanum autem confessionis tanti est momenti, et divino jure adeo arcte injungitur, ut illud nullo in rerum eventu ullatenus prodere liceat.

16. Nulla est homini potestas in lege naturæ dispensandi, quæ nec potest consuetudine ulla vel hominum conventionem abrogari: quæ tamen lege naturæ licent, possunt vetari, isque induci potest rerum ordo, quo facultas naturalis plurimum restringatur. Sic homo natura est liber: hominum tamen conventionem et belli jure plurimis ablata est libertas: quo pacto rerum inducta est conditio quæ quidem naturali juri non repugnat, quamvis haud admodum conveniat. Naturale unicuique est jus propagandi genus humanum: quod nequidem mancipiis auferri potest, sed obices quidam sæpe objiciuntur ab heris vel legibus ejus exercitio: quod fit absque juris naturalis violatione, si moderate et æquas ob causas fiat. Optandum tamen ut tollantur, et facultas naturalis libera relinquatur. Secus dicendum, quoties quis sponte juri huic renuntiavit, uti contingit sacros ordines suscipientibus. Jure naturæ omnia omnibus communia sunt, quibus proinde pro cujusque necessitate frui licet: hominum autem conventionem justissima rerum divisio facta est: quapropter jam non licet rem alienam sibi usurpare.

17. Deus ipse non potest dispensationem concedere, qua quis ratione utens dispensetur a lege naturæ servanda, quatenus prima morum principia spectat: nec enim facere potest, ut blasphemare, mentiri, mœchari liccat, quum his inhæreat turpitudinem. Potest tamen tollendo materiam, vel mutando, facere ut plura extra legem naturæ

sint, quæ ea jam includebantur. Sic in bona aliena potest facere potestatem, et etiam in vitam alterius; ipse enim est supremus rerum Dominus, vitæ ac necis arbiter.

18. Epiikia—*ἐπιεικεία*—quæ est æqua legis interpretatio, qua casus singularis ob specialia adjuncta non censetur lege comprehendi, licet verbis ejus includatur, locum non habet in lege naturali: hæc enim verbis non constat, sed naturæ fertur instinctu, quæ singulis casibus est accommodata. Prohibet ne quis alterum interficiat: quod si quis mortem nequeat vitare nisi aggressorem injustum interficiendo, ipsa impellit ut nobis consulamus. Si quis verò legem naturalem consideret, prout decalogo explicatur, vel jure gentium recepta est, epiikia admittenda erit, ut casibus singularibus verbis legis comprehensis accommodetur. Sic promissa solvenda sunt ex jure naturæ, quæ tamen vim plenam non obtinent, si fuerint injuria extorta.

CAPUT II.

DE LEGE VETERI.

19. QUAMVIS Lex Naturæ dicenda potius sit Dei lex, quum sit ipse naturæ auctor, suamque voluntatem rationis dono patefaciat, obtinuit tamen mos, ut *divina lex* præsertim dicatur quæ a Deo revelata est hominibus, quæque plura juri naturali adjungit præcepta, vel prohibitiones. Adæ præcepit Deus ne ex quodam fructu comederet: Noe etiam plura præcepta tradidit: Abrahæ legem circumcisionis imposuit: sed *Lex Vetus* accipitur pro integro illo sanctionum codice, quibus Deus, per Moysen, populum Israeliticum obstrinxit. Eam rejecerunt Simon Magus et Marcionitæ, Manichæi et Priscillianistæ, asserentes duo esse principia, alterum malum, a quo lex vetus est profecta, alterum bonum, cui Evangelia tribuebant. Eorum errorem confixit concilium Toletanum I: “ Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum esse auctorem priscae legis, alterum Evangeliorum; anathema sit.”¹ Christus autem aperte declaravit decalogi præcepta Deum habere auctorem, quum Scribas et Phariseos argueret: “ Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? nam Deus dixit: honora patrem et matrem.”² Totam etiam legem probavit: “ Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum, et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.”³ Consonat Apostolus: “ Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.”⁴ “ Lex autem subintravit, ut abundaret delictum;”⁵ eo scilicet sensu quod ex legis occasione delicta orta sint, quum homines, suis obtemperantes cupiditatibus, excusatione jam carerent, lege promulgata et explicata: “ nam peccatum,” inquit Apostolus, “ occasione accepta per man-

(1) In Confess. fidei. Vide et Conc. Trid. Sess. iv.

(2) Matt. xv. 3.

(3) Matt. v. 17.

(4) Rom. vii. 12.

(5) Rom. v. 20.

datum seduxit me, et per illud occidit.”¹ Hinc apud Apostolum dicitur *ministratio mortis, et damnationis*.² Defectu autem non carebat: “Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.”³ sed nulli patrocinebatur vitio. Quæ duritiei cordis Judæorum accommodata in ea reperiuntur, auctoris divinam sapientiam, quæ gentis indoli se attemperabat, demonstrant.

20. Tria præceptorum genera complectebatur Lex Vetus, *moralia* nempe, *cæremonialia* et *judicialia*.⁴ Quæ ad mores informandos pertinent, et ipso naturæ jure injunguntur, decalogo præcipue explicantur; quum enim Deus videret homines suis cupiditatibus adeo abreptos, ut prima etiam morum præcepta conculcarent, ea, tabulis lapideis inscripta, Moysei in Sinai monte tradidit, populo altius et sæpe promulganda, ne qua eos teneret ignorantia. Ad legem tamen naturæ non pertinet, ut Sabbato præsertim Deus colatur, ea ratione quam præscribit decalogus; quamvis jus naturale exigat Deum aliquando colendum. *Cæremonias*, seu ritus colendi Deum, tradit etiam lex in libro Levitici præcipue. *Judiciorum* vero regulas, pœnasque delinquentibus irrogandas, statuit Deus, quas in Moysis libris videre est. Hæc tamen præcepta judicia ritusque spectantia, solos adstrangebant Judæos; quos idcirco beatos prædicat Moyses, singularem erga eos Dei benignitatem et sollicitudinem commendans: “Quæ est enim alia gens sic inelyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, et universam legem quam ego proponam hodie ante oculos vestros?”⁵ “Non fecit taliter,” inquit Psaltes, “omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis.”⁶ Cæteræ itaque nationes poterant salutem assequi absque legum Mosaicarum observantia, dummodo divinitus illustratæ fidem conciperent in Deum bonorum remuneratorem, et salutem ab ipso per Redemptorem, *implicite* saltem, expectarent, legesque servarent omnium cordibus insculptas: fidei autem veritates eis per totius generis humani traditionem, (cui tamen magna ubique offusa est caligo,) et per interius Spiritus Sancti lumen, poterant innotescere. Licuit etiam gentibus circumcidi, et ita Judaicæ legis observantiæ se subjicere.⁷ Fuerunt proinde apud Judæos *proselyti justitiæ*, qui, circumcisione accepta, genti Judaicæ conjungebantur,

(1) Rom. vii. 11.

(2) 2 Cor. iii. 7, 9.

(3) Heb. viii. 7.

(4) Vide Dogm. Theol. Tract. de Revelatione. c. vi.

(5) Deut. iv. 8.

(6) Ps. cxlvii. 8.

(7) Exod. xii. 48.

legique se subiciebant; et *proselyti domicilii* tantum qui ablutione quadam peracta, se veri Dei cultores, absque fœderis Judaici beneficio, vel onere profitebantur.

21. *Abrogatam* fuisse Legem Veterem, Christo adveniente, qui ejus figuras adimplens, se in victimarum Mosaicarum locum substituit, novamque præscripsit perfectioremque legem, constat: quamvis de tempore quo desiit obligare non una sit omnium sententia. Verosimile est non statim eam fuisse sublata, sed prout nova lege promulgabatur. Sæpissime Apostolus libertatem a lege Mosaica, quam per Christum adepti sumus, extulit: "Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi: ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo."¹ "Non enim sub lege estis, sed sub gratia."² Licuit tamen etiam post Christ mortem legis ritus servare, quamdiu Apostoli eos tolerarunt, ut Judæi ad fidem facilius traderentur; quapropter Paulus Timotheum, ex patre gentili et matre Judæa natum, "circumcidit propter Judæos qui erant in illis locis,"³ etiam post latum a concilio Hierosolymitano decretum, quod gentes non tenerentur ad legis observantiam. Cæremonias quoque Nazaræorum ipse servavit,⁴ et de consilio Jacobi et seniorum se purificavit cum Judæis, ut fratrum offensionem tolleret.⁵ Quædam etiam gentibus, quæ cum Judæis miscebantur Antiochiæ, aliisque in urbibus Asiæ minoris, Apostoli servanda sanxerunt, Judaicam legem et instituta præ oculis habentes, ut sic facilius gentes et Judæi in unam Ecclesiam coalescerent. Quod igitur abstinerent plerique fideles "ab immolatis simulachrorum, et sanguine, et suffocato,"⁶ etiam per plura sæcula post Christi adventum, tribuendum est apostolicæ sanctioni œconomiae causa latæ, non autem legi Judaicæ, cujus vis omnis desiderat, nec præceptis Noe datis. Vehementer autem Apostolus Paulus iis restitit, qui gentes legi Mosaicæ conabantur subicere, quos fidei Christianæ, et evangelicæ libertatis eversores jure optimo designabat: fideles monens ne iis obaudirent: "Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit."⁷ Imo promulgata jam fide Christiana non licuit amplius Judæis ad eam conversis ritus suos servare: quum omnis æqua ratio cur ea adhuc daretur venia sublata sit.

(1) Rom. vii. 4.

(3) Act. xvi. 3.

(5) Ibidem, xxi. 26.

(2) Rom. vi. 14.

(4) Ibid. xviii. 18.

(6) Ibid. xv. 29.

(7) Gal. v. 2.

22. Quamvis abrogata omnino sit lex Mosaica; quæ tamen naturæ præcepta decalogo continentur, totam vim suam obtinent, naturale enim jus temporum locorumque vicissitudines non patitur, sed idem ubique et semper manet. Quæcumque juri naturali addita reperiuntur in decalogo, Christi-fideles non adstringunt. Præceptum idcirco de Sabbato servando, seu de septima die Dei cultui dicanda, jam cessit apostolicæ legi, ex Ecclesiæ consuetudine innotescenti, qua diem Dominicam, primam scilicet hebdomadæ diem, in Christi Domini resurgentis memoriam, piis operibus dicamus. Cæremoniæ, seu ritus Judaici, nos haud obstringunt: eas igitur servare, Judæorum instar, ex falsa opinione eas etiamnum vigere, error foret et superstitio: licet tamen Ecclesiæ eas vel imitari, vel adhibere, utpote quæ Deum habent auctorem, et quæ referri possunt ad fidei Christianæ mysteria. Cæterum nullum ritum invenias apud Christianos, qui cum ritibus Judaicis omnino concordet.¹ Judicialia præcepta nullam vim obtinent. Quod si princeps vel respublica legem ferat, qua aliquid iis sancitum statuatur, ejus vis a potestate principis seu reipublicæ, non autem à lege Moysis derivabitur. Sic quæ vigeat apud Anglos *vadiatio legis*, qua in quibusdam rerum adjunctis, qui juravit se immunem esse ære alieno, vel re alia quæ illi imputabatur, absolutus evadere, minime nitebatur lege Mosaica, quamvis ei sit persimilis: “Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit, jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietque dominus juramentum, et ille reddere non cogetur.”²

(1) Consule elegantissimas litteras Wiseman ad Poynder.

(2) Exod. xxiii. 10. Vide Blackstone's Commentaries, l. 3, c. 12, et c. 22, § vi. *wager of law*.

CAPUT III.

DE LEGE NOVA.

23. **LEX NOVA**, seu *evangelica*, ea dicitur quæ a Christo Domino est lata, et ab Apostolis promulgata. Nulla lege teneri fideles Lutherus ausus est asserere: “Nullo opere, nulla lege homini Christiano opus est, cum per fidem sit liber ab omni lege.”¹ Hæc novatorum commenta anathemate percussit concilium Tridentinum: “Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.” “Si quis hominem justificatum, et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum; anathema sit.” “Si quis dixerit, Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem cui obediant, anathema sit.”² Hi canones adeo manifesta Scripturarum et patrum auctoritate fulciuntur, ut in iis probandis immorari non juvet. Pauca tamen recitabimus testimonia.

24. De Christo apud Isaiam legimus: “Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster.”³ Ipse Christus apud Joannem ait: “Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.”⁴ Apostolis etiam injunxit ut ejus mandata promulgarent universis gentibus: “docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.”⁵ Distinguunt tamen Novi Testamenti scriptores legem a gratia; legis quippe nomine apud omnes accipiebatur codex ille sanctionum quem Judæi venerabantur: cujus vim desiisse ut signifi-

(1) L. de libert. christ.

(2) Sess. vi. can. xix. xx. xxi.

(3) Is. xxxiii. 22.

(4) Joan. xiv. 21.

(5) Matt. xxviii. v. ult.

carent, sæpius fideles monebant eos legi non subjici, sed gratia salutis per Christum frui, quin tamen mandata a Christo tradita negarent. Sic explicandum est Divi Joannis testimonium: “Lex per Moysen data est: gratia et veritas per Christum facta est.”¹ Plura etiam Pauli testimonia eandem explicationem postulant: v: g. “Non enim sub lege estis, sed sub gratia.”² “Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.”³ Leges etiam omnes latas dicit Apostolus, ut impiorum improbi mores coerceantur, potius quam justorum regendorum causa; hi enim, sponte veluti sua, virtutis actus, quos leges præcipiunt, exercent: quia “lex justo non est posita, sed injustis et non subditis.”⁴ Libertas autem, quam in Christo consecuti sumus, a legis Mosaicæ observantia, tanta non est, ut cupiditatibus obsequi, vel a Christi ipsius mandatis resilire liceat, dicente Apostolo: “Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertatem in occasionem detis carnis.”⁵

25. Lex Nova constat morum regulis, fidei et sacramentorum præceptis. Morum regulæ pleræque ad jus naturæ referuntur, prout a Moyse in decalogo fuit promulgatum, et a Christo Domino enucleatius expositum, præcipue in sermone quem in monte habuit. Mandata servanda tradidit, ut ad vitam aditus pateret: “Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.”⁶ Dilectionem Dei et proximi, tamquam suæ legis basim, statuit: “Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum, et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.”⁷ “Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.”⁸ Quapropter Apostolus ait: “Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.”⁹ Credendi legem statuit Christus, quando Apostolos ad docendum omnia quæ iis mandaverat, misit, sanctione adjecta pænæ æternæ, iis qui evangelicam prædicationem rejicerent, irrogandæ: “qui vero non crediderit, condemnabitur.”¹⁰ Sacramenta etiam sub æternæ mortis pœna recipienda jussit: “Amen, amen, dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.”¹¹ “Amen,

(1) Joan. i. 17.

(3) Gal. v. 18.

(5) Gal. v. 13.

(7) Mat. xxii. 37.

(9) Gal. vi. 2.

(2) Rom. vi. 14.

(4) 1 Tim. i. 9.

(6) Mat. xix. 17.

(8) Joan. xv. 12.

(10) Marc. xvi. 16.

(11) Joan. iii. 5.

amen, dico vobis : nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.”¹ Cæterum disciplinæ leges reliquit præsulibus ecclesiæ statuendas, variandasque pro locorum temporumque diversitate, quum tot gentibus per tot sæcula lex una eademque haud conveniret.

26. Christi lex in eo a Mosaica distinguitur, quod hæc lapideis tabulis fuerit inscripta ; illa verò ore promulgata, et Spiritus Sancti gratia mentibus cordibusque credentium impressa, quamvis plura quæ ad eam pertinent Apostoli et Evangelistæ, pro occasione sibi oblata, scripto consignaverint : “ epistola estis Christi,” ait Paulus Corinthios alloquens, “ ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi : non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.”² “ Hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus : Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas.”³ Distinguitur etiam Lex Nova a Veteri dulcedine sua : “ jugum enim meum suave est,” inquit Christus, “ et onus meum leve.”⁴ Unde Augustinus : “ Hæc est apertissima differentia duorum testamentorum, timor et amor.”⁵ Plenitudinem etiam gratiæ secum affert nova lex Christum Redemptorem nobis offerens, quum nulla gratia in veteri lege tribueretur, nisi propter Christi merita prævisa ; quapropter Apostolus de populo antiquo ait ; “ bibebant autem de spiritali consequente eos petra : petra autem erat Christus.”⁶ Et S. Thomas docet eos “ qui in veteri Testamento habuerunt gratiam Spiritus Sancti et charitatem, secundum hoc pertinuisse ad legem Novam.”⁷

(1) Joan. vi. 54.

(2) 2 Cor. iii. 3.

(3) Heb. viii. 10.

(4) Mat. xi. 30.

(5) L. adv. Adamant. c. xvii.

(6) 1 Cor. x. 4.

(7) l. 2. qu. 107. art. i. ad secundum.

CAPUT IV.

DE DECALOGO.

27. **DECEM** legis præceptis contineri præcipua legis naturæ capita constat, Christianosque idcirco eatenus iis ligari, præsertim Christo Domino dicente: “ Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.”¹ Equidem Apostolus discrimen inter Judæos et Gentes, Christo adveniente, sublatum esse docet, totamque salutis summam fidelibus in mandatis servandis reponit: “ Circumcisio nihil est, et præputium nihil est: sed observatio mandatorum Dei.”² Hinc Augustinus optime animadvertit omnia decalogi præcepta ad nos spectare, si unicum de septimæ diei requie excipias, quod figuram requiei populo Dei servatæ quum contineat, cum cæteris Legis Veteris figuris transiit. Illud Moyses ex monte descendens Israelitis præsertim commendavit: “ nam ex decem præceptis hoc solum populo præcepit, quod figurate ibi dictum est: alia quippe novem sicut præcepta sunt, etiam in Novo Testamento observanda minime dubitamus. Illud autem unum de Sabbato usque adeo figurata diei septimi observatione apud Israelitas velatum fuit, et in mysterio præceptum fuit, et quodam sacramento figurabatur ut hodie a nobis non observetur, sed solum quod significabat intueamur.”³ Merito igitur concilium Tridentinum anathema tulit in asserentes decem præcepta nihil pertinere ad Christianos.⁴

28. Mandata hac verborum serie in Exodi libro relata sunt: “ Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes,

(1) Mat. xix. 17.

(1) 1 Cor. vii. 19.

(3) Quest. in Exod. l. ii. qu. 172.

(4) Sess. vi. can. xix.

visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum, qui oderunt me: et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea.

“ Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, et facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, et filius tuus, et filia tua, servus tuus, et ancilla tua, jumentum tuum, et advena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, et sanctificavit eum.

Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

Non occides.

Non mæchaberis.

Non furtum facies.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.”¹

29. Eisdem fere verbis præcepta in libro Deuteronomii recensentur, ordine tamen verborum nonnihil variato in ultima præsertim sententia. “ Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum et universa quæ illius sunt.”²

30. Quum sacer scriptor nulla ratione definierit singulorum præceptorum limites, variatum est veterum sententiis.³ “ Quæritur,” inquit Augustinus, “decem præcepta legis quemadmodum dividenda sint: utrum quatuor sint usque ad præceptum de sabbato, quæ ad ipsum Deum pertinent; sex autem reliqua, quorum

(1) Exod. xx.

(2) Deut. v. 11. In textu Hebraico versiculi distinguuntur, et verbum usurpatur ante domum.

(3) “ When Moses delivered the ten commandments to the people, he did not tell them in order which was second, which was fifth, and upon this account they have been severally divided as men did please to fancy.” Jeremias Taylor, Ductor Dubitantium, l. ii. ch. 2. Rule 6, p. 324.

primum est, 'Honora patrem et matrem,' quæ ad hominem pertinent: an potius illa tria sunt, et ista septem. Qui enim dicunt illa quatuor esse, separant quod dictum est, 'Non erunt tibi dii alii præter me:' ut aliud præceptum sit, 'Non facies tibi idolum,' etc. ubi figmenta colenda prohibentur. Unum autem volunt esse, 'Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces domum proximi tui,' et omnia usque in finem. Qui verò illa tria esse dicunt, et ista septem, unum volunt esse quidquid de uno colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro Deo colatur; hæc autem extrema in duo dividunt; ut aliud sit: 'Non concupisces uxorem proximi tui;' aliud, 'Non concupisces domum proximi tui.' Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc Scriptura testatur. Mihi tamen videntur congruentius accipi tria illa, et ista septem, quia et Trinitatem videntur illa quæ ad Deum pertinent insinuare diligentius intuentibus. Et revera quod dictum est, 'Non erunt tibi dii alii præter me,' hoc ipsum perfectius explicatur cum prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porro uxoris alienæ, et concupiscentia domus alienæ, tantum in peccando differunt, ut illi quod dictum est, 'Non concupisces domum proximi tui,' adjuncta sint et alia dicente Scriptura, 'neque agrum ejus, neque servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque subjugale ejus, neque omne pecus ejus, neque quæcumque proximi tui sunt.' Discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris alienæ a concupiscentia cujuslibet rei alienæ, quando utrumque sic cæpit, 'Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces domum proximi tui,' et huic cæpit cætera adjungere. Non autem cum dixisset, 'Non concupisces uxorem proximi tui,' huic connexuit alia dicens, neque domum ejus, neque agrum ejus, neque servum ejus, et cætera: sed omnino apparent et hæc esse conjuncta quæ uno præcepto videntur contineri, et discreta ab illo ubi uxor nominata est. Illud autem ubi dictum est: 'Non erunt tibi dii alii præter me,' apparet hujus rei diligentiore executionem esse in iis quæ subjecta sunt. Quo enim pertinet, Non facies tibi idolum, neque ullum simulacrum quæcumque in cælo sunt sursum, et quæcumque in terra deorsum, et quæcumque in aqua sub terra, non adorabis ea, neque servies illis, nisi ad id quod dictum est, Non erunt tibi dii alii præter me?"¹

(1) Quæst. in Exod. l. ii. qu. lxxi.

31. Ex hoc Augustini testimonio liquet eundem verborum ordinem in loco Exodi olim fuisse, qui in Deuteronomio adhuc reperitur, quem casu quodam immutatum deinceps fuisse verosimile est: quapropter fundamento caret objectio illa a Jeremia Taylor aliisque proposita, nos verborum ordinem invertere, ut unicum in duo dividamus præcepta. Equidem ordo quem sequimur præceptis non mæchandi, et non furtum faciendi congruit, et Deuteronomii loco probatur, ubi versiculi et præcepta in textu Hebraico plane distinguuntur, ea prorsus qua apud nos ratione.¹ Quod autem nihil in eo innovatum sit liquet ex Augustini testimonio. Id insuper animadvertendum Protestantes in divisione primi præcepti Judæos auctores non habere; quamvis enim in duo unicum illud dividere consueverint, ea tamen in unum conjungunt quæ Protestantes distinguere laborant: primum enim apud eos præceptum his continetur verbis: "Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis:" alterum incipit; "Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, etc."² Igitur frustra clamitant hæc necessariò distinguenda, quum illa distinctio ne quidem ab omnibus admissa sit, qui quatuor præcepta ad Deum pertinentia numerant. Nobis ea conjungentibus favet et rerum nexus, et Judæorum consensus, et Augustini cum plurimis aliis ex vetustis scriptoribus auctoritas. Quod autem præceptum de concupiscenda re aliena ab alio de uxore desideranda dividamus, Deuteronomii auctoritatem plane sequimur, favente ipsa rerum distinctione. Nihil igitur arbitrio veluti nostro, vel partium studio in decalogi divisione admisimus. Quod autem breviori forma omnia præcepta in quibusdam catechismis enuntientur, in puerorum rudiumque factum est utilitatem, salva omnino substantia.

32. Consentientes in præceptorum divisione habemus Lutheranos.

(1) וְלֹא תַחֲמוֹד אִשֶׁת רֵעֶךָ ס וְלֹא תַחֲאָדָה בֵּית רֵעֶךָ

(2) "That those two first commandments are but one was the doctrine of Philo the Jew, (at least it is said so,) who making the preface to be a distinct commandment, reckons this to be the second. . . . This division was usual in St. Cyril's time who brings in Julian thus accounting them . . . and the same way is followed by St. Jerome and Hesychius. These make the introduction to be one of the commandments; and those which we call the first and the second to be the second only. Of the same opinion as to the uniting of these two is Clemens Alexandrinus and St. Austin." Jeremias Taylor, *Ductor Dubitantium*, l. ii. c. 2. Rule 6, p. 325.

VOL. I.—8

Audiatur Walchius, celebris horum theologus: "De divisione decalogi multa disputata esse constat. Reformatae ecclesiae doctores ad priorem tabulam quatuor; ad posteriorem sex praecepta referunt, quum quae ad primum praeceptum de idolopœia pertinent, separant, atque ex illis peculiare quoddam, idque secundum praeceptum constituunt; nonum autem ac decimum solent conjungere. Acriter pugnant pro hac divisione; atque Anhaltini, Marpurgenses atque alii Lutherum de omisso idolopœias precepto arguunt. Nostrates enim tabulam priorem tribus; posteriorem verò septem praeceptis circumscribunt, ea quae Deus de fugienda idolopœia sancivit, ad primum praeceptum referendo; nonum autem ac decimum separando. Ipsa hæc dissensio non magni momenti est. Res enim, si in se spectatur, ita comparata est, ut cuique libertas sentiendi divisionemque instituendi, relinqui possit. Sufficit si singula praecepta recenseantur ac decem numerentur."¹ Ipse Turretini compendii auctor animadvertit "talem esse controversiam istam, de qua cum quoque odiose non sit contendendum; modo salva maneat totius decalogi doctrina, nec mutiletur numerus."²

(1) Introd. in lib. Eccl. Luth. Symbol. l. l. c. vi. § xl. p. 657.

(2) Locus xv. de Decalogo. p. 168.

CAPUT V.

DE PRIMO PRÆCEPTO.

33. "EGO SUM DOMINUS DEUS TUUS." Hæc verba quæ Hebræi primum præceptum designant, indicant Deo omnia illa munia persolvenda, quæ summam ejus majestatem et perfectionem decent, et quæ postulant innumera in nos collata beneficia. Intelligitur igitur præcipi: "Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua."¹ Quum autem tractatu speciali de Religione, et tractatu de virtutibus theologicis, ea explicare sigillatim in animo sit, necesse non est in iis impræsentiarum immorari. Populum Israeliticum Ægyptiacæ Deus eripuit servituti; nos e captivitate peccati liberavit: quapropter grates ei reddere oportet, et grati animi testimonia opera virtutis exhibere.

34. "NON HABEBIS DEOS ALIENOS CORAM ME." Vetantur plures dii colendi, quum unus Deus agnoscendus sit, in tribus tamen personis, uti fides Christiana docet. Ideo autem vetatur in universum ne plures dii colantur, quod nonnulli eos colerent, etiam absque imaginibus, uti de antiquis Romanis narrat Varro.² Quoniam polytheismus jam ubicumque Christi religio invecta est, penitus sublatus est, de eo disserere non vacat.

35. "Non facies tibi sculptile, etc." Hæc ad statuas, et imagines, quas gentes solebant fingere, ut deos suos venerarentur, plane referuntur: nam finis prohibitionis explicatur, iis verbis quæ sequuntur: "non adorabis ea, neque coles."³ Hinc arguuntur ab Apostolo

(1) Deut. vi. 5.

(2) Apud S. Aug. l. iv. de civ. Dei c. xxxi.

(3) "Being placed, as it is, among such precepts as respect the Almighty, and that honor and esteem which we ought to have for him; and being moreover immediately followed with the prohibition of bowing down to them and serving them; as that is with the jealousy of God, concerning his own honor; it is in reason to be extended no farther than the forbidding of such images as

qui "mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium."¹ Ex omnium sæculorum consensu constat sculpendi et pingendi artes non hoc vetari mandato: plerique enim qui in sacrarum imaginum venerationem et usum vehementissime insurrexerunt, non affirmarunt vetari ne fieret quælibet statua vel imago, sed ne in cultu adhiberetur, vel ne coleretur. Equidem in tabernaculo erant imagines Cherubim,² et plurimæ animantium statux et cælaturæ in templo.³ Cæterum imagines nullæ erant fingendæ in cultum, ob idololatriæ tum ubique grassantis periculum: "Apud alios autem erat cultus falsorum deorum sub quibusdam imaginibus. Et ideo opportune prohibetur etiam ipsarum imaginum institutio, cum dicitur: 'Non facies tibi sculptile': et ipsarum imaginum cultus, cum dicitur: 'Non coles ea, etc.'⁴ Optime autem animadvertit S. Thomas: "neque in veteris legis tabernaculo, seu templo, neque etiam nunc, imagines in Ecclesia instituuntur, ut eis cultus latriæ exhibeatur: sed ad quandam significationem, ut per hujusmodi imagines mentibus hominum imprimatur et confirmetur fides de excellentia angelorum et sanctorum."⁵

are made with a design to represent the Divine Nature, or to bestow upon them that honor which is due unto it." Explication of the Decalogue, by Gabriel Trowerson, Rector of Wellwyn, p. 109. London, 1676.

(1) Rom. i. 23.

(2) Exod. xxv. 19.

(3) III. Reg. vii. 29. "Beside that, they who teach all images to be forbidden the Jews, are forced to confess their admitting of some, and particularly of images in their coins, what shall we say, (that may be satisfactory, I mean,) to God's giving orders for the Cherubims over the Mercy-seat, and for the making of the brazen serpent in the wilderness? for his admitting into the ark the five golden mice, and five golden hemorrhoides of the Philistines? for the pomegranates, and twelve brazen bulls upon which the laver in the temple was placed? For though it be true that God might dispense with his own command, especially a positive one, yet as there is no evidence of those orders of his being a dispensation, so it is not easy to believe, that, having made so strict a law against image-making, he would not only dispense so soon with it, as we see he did in the cherubims and brazen serpent; but dispense with it in a manner for ever, by placing those cherubims and bulls for perpetuity. For what were this, but to tempt men to think he had abrogated the command, and not only dispensed with it, but taken it away?" Trowerson, *ubi supra*.

(4) S. Thom. 2. 2. qu. cxxii art. ii. *ad secundum*.

(5) 2. 2. qu. xciv. art. ii. *ad primum*.

36. Contra præceptum peccant si qui in imaginibus divinam aliquam virtutem inesse putent, qui ethnicorum fuit error; vel in iis fiduciam reponant, tamquam in causis beneficiorum quæ postulant, vel eas cultu prosequantur, qui in iis consistat, nec ad eos quos præsentant referatur. Cæterum non facile damnandi sunt fideles simpliciores, quorum sermo vel actus nimiam quandam imaginis venerationem videatur proderet: plerumque enim mens eorum rectis imbuta est principiis, quamvis haud feliciter se explicent. Id omnibus certum et exploratum est Deo soli supremum cultum tribuendum. Quæ quibusdam imaginibus virtus videtur adscribi ob beneficia plurima ejus occasione impetrata, ad Dei voluntatem referenda est, qui dona sua impertitur, in iis quibus vult rerum adjunctis.

CAPUT VI.

DE SECUNDO PRÆCEPTO.

“ Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.”

§ I. DE BLASPHEMIA.

37. Secundo præcepto, ne Dei nomen temere¹ usurpetur, vetatur. Gravissimum igitur peccatum *blasphemix* est, quod quis loquendo lædat divinam majestatem, seu Deo ipsi contumeliam veluti inferendo, seu sanctis detrahendo, seu rebus sacris et divinis. Hæresis cum blasphemia sæpe conjungitur, quando scilicet vitia Deo tribuuntur, crudelitas, tyrannis, injustitia; vel denegantur ejus perfectiones, omnium scientia, omnipotentia, bonitas: vel creaturæ tribuuntur quæ Dei sunt. Imprecatione continetur blasphemia quando quis malum Deo optat, ut scilicet esse desineret, ut scelera ulcisci non posset. Juramentum Deo contumeliosum blasphemix labem inducit: uti si quis per sanguinem et vulnera Christi haud reverenter juret. Dehonestata est blasphemia, quando membra Christi temere nominantur: qualis est illa nonnullorum vox: O sanguinem Dei!

38. Blasphemia omnis per se grave peccatum est, utpote secundo præcepto plane repugnans. Mortis pœna lege veteri huic sceleri adsignata est: “ Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo.”² “ Nihil horribilius blasphemia,” inquit Hieronymus, “ quæ ponit in excelsum os suum.”³ Equidem fideles vix proferunt aliquid eo consilio ut Deum contumelia afficiant; sed rei sunt, quoties dictorum vim norunt, vel nosse

(1) לַשְׁמָיִם De vi vocis hoc loco controvertitur; vulgatus interpres sensum obvium secutus est. Plerique consent perjurium præsertim hic vetari. Vide *Criticus Sacros in loc*

(2) Lev. xxiv. 16.

(3) L. vii. in Isaiam, c. xviii.

debent. Infideles et hæretici fidei mysteria sæpe verbis contumeliosis tractant. Sic quæ contra Eucharistiam dicuntur blasphemiarum habent rationem: sicut et quæ Virginis Deiparæ detrahunt puritati illibatæ. Gravius peccat qui Deum loquendo lædit, quam qui Virginem Deiparam: sed et hic gravius quam qui sanctos alios minus reverenter tractat. Sæpius autem Dei honor simul læditur, cum sancti contumeliose nominantur.

39. Blasphemiarum aliquando ex subito animi motu proferuntur, quin advertatur vocum sensus: qua ratione excusari potest a peccato mortali qui eas inopinatè profert.¹ Sed si quis consuetudini ita loquendi indulserit, censetur vocum vim nosse et probare, quum negligat consuetudinem emendare: secus si eam retractaverit, et tollere nitatur.²

40. Blasphemia in Spiritum Sanctum gravissima est: "sive Spiritus Sanctus accipitur, secundum quod est nomen essentialis conveniens toti Trinitati, cujus quælibet persona et Spiritus est, et Sanctus est: sive prout est nomen personale unius in Trinitate personæ. Et secundum hoc distinguitur Matthæi XII. blasphemia in Spiritum Sanctum contra blasphemiam in Filium hominis. Christus enim operabatur quædam humanitus, comedendo, bibendo, et alia hujusmodi faciendo; et quædam divinitus, scilicet dæmones ejiciendo, mortuos suscitando, et alia hujusmodi: quæ quidem agebat, et per virtutem propriæ divinitatis, et per operationem Spiritus Sancti, quo secundum humanitatem erat repletus. Judæi autem primo quidem dixerant blasphemiam in Filium hominis, cum dicebant eum voracem, potatorem vini, et publicanorum amatorem, ut habetur Matt. XI. Postmodum autem blasphemaverunt in Spiritum Sanctum, dum opera quæ ipse operabatur virtute propriæ divinitatis, et per operationem Spiritus Sancti, attribuebant principi dæmoniorum. Et propter hoc dicuntur in Spiritum Sanctum blasphemasse."³ "Dicitur irremissibile: non quod nullo modo remittatur, sed quia quantum est de se, habet meritum ut non remittatur. . . dicitur irremissibile, secundum suam naturam, in quantum excludit ea per quæ fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non præcluditur via remittendi

(1) Vide S. Thom. 2. 2æ. qu. xiii. art. ii. *Ad tertium.*

(2) Mayol. Expos. 2. præc. art. ii.

(3) S. Thom. 2, 2æ. qu. xiv. art. i. *Resp.*

et sanandi omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.”¹

41. Blasphemiae in Spiritum Sanctum rei sunt quotquot divina dogmata noscentes, ea, sua reluctantante conscientia, impugnant. Sic qui Eucharistiam fœde inhonestant, ut sectis blandiantur, animo dum habent persuasum, eam Corpus esse et Sanguinem Christi, gravissimae hujus blasphemiae rei sunt.

42. Animadvertendum nonnullos confitendo se blasphemiae accusare, qui tamen si diligentius interrogentur, reperientur vel juramenta, vel maledictiones, vel voces quae nullum sensum praeseferunt, tantum emisisse. “Nec est blasphemia, quando verbum mutatum, aut dimidiatum pronuntiatur” inquit S. Alphonsus.² Graviter tamen reprehendendi sunt qui vocibus illis utuntur, offensionem enim piiis auribus praebent. Asserit S. Alphonsus blasphemiam non esse dicere contra homines “Sanguis Dei,” nisi indignatio sit directa contra Deum.”³

§ II. DE MALEDICTIONE.

43. “Maledicere rebus irrationabilibus in quantum sunt creaturae Dei, est peccatum blasphemiae; maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum, et vanum.” Ita D. Thomas.⁴ Hinc blasphemia foret maledicere cruci, Scripturae, festo diei, aut alteri rei, quae ad Deum refertur: caeterae autem quae solent proferri maledictiones, blasphemiae malitia carent. Mortuis hominibus maledicere specie non videtur differre a maledictione in vivos prolata; nec enim solent in animas mortuorum, sive in paradiso, sive in purgatorio existentes, maledictiones specialiter dirigi.

44. “Maledictio est,” inquit S. Thomas, “per quam pronuntiatur malum contra aliquem, vel imperando, vel optando. Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius, secundum se repugnat caritati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius. Et ita secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare et revereri tenemur. Unde dicitur (Lev. xx.): ‘qui maledixerit patri suo, et matri, morte moriatur.’ Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse veniale, vel

(1) S. Thom. 2. 2æ. qu. xiv. art. iii. *Resp.*

(2) L. iii. n. 123.

(3) *Ibidem.*

(4) 2. 2æ. qu. lxxvi. art. ii.

propter parvitatem mali, quod quis alteri imprecatur, vel etiam propter affectum proferentis, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione alia verba proferuntur, quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.”¹ Juxta hæc principia, quibus nullus theologus contradicit, pleræque maledictiones a gravi culpa valent eximi: vel enim proferuntur in animantia irrationalia, vel in res inanimatas; vel leve malum respiciunt; vel si gravius, deest affectus et desiderium efficax. Quæ autem ex vehementiori ira in inimicum effunduntur, ex animo facile prodeunt, gravemque induunt malitiam. Cæterum omni studio eniti oportet, ut fideles a maledictionibus omnibus, aliisque vocibus, quibus divino derogatur honori, abstineant, quum eos valde dedeceat iis uti, quæ etiam offensionem magnam pariunt. Nec tamen debent confessarii aut concionatores adeo in eas invehi, ut putent fideles grave se admittere delictum quoties eas proferunt, “ne tot animæ ex ignorantia ob erroneam conscientiam peccati mortalis misere pereant.”² Ad praxim quod attinet voces illæ: “Diabolus te rapiat,” “Deus te damnet,” plerumque non sunt mortalia peccata. Multo minus voces mutilæ, omnisque sensus expertes, quas adhibent plerique ad veras maledictiones evitandas, sunt peccata gravia. Quod attinet ad anathemata Ecclesiæ, dicit S. Thomas: “Etiam Ecclesia maledicit anathematizando, sicut etiam prophætæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam divinæ justitiæ: licet hujusmodi imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi.”³

§ III. DE JURAMENTO.

45. Juramentum est invocatio divini nominis ad fidem faciendam. Invocatur autem Deus, vel *expresse*, vel *implicite*: *expresse*, si dicatur “Deum testor,” “Per Deum ita est,” &c. *implicite* dum quis invocatur Deum in creaturis in quibus specialiter ejus attributa refulgent; ut si quis juret “per cælum,” “per infernum,” “per Evangelia,” “per animam suam.” Quæcumque animo jurandi proferuntur, vim juramenti coram Deo obtinent: cætera, etsi speciem juramenti præferant, juramenti carent ratione. Idcirco maxime attendenda est loquentium mens, et communis consuetudo, ut dignoscatur quænam inter juramenta recensenda sint. “Formulæ hæ, ‘Deus novit,’

(1) 2. 2æ. qu. lxxvi. art. iii.

(2) S. Alphons. l. iii. n. 130.

(3) 2. 2æ. qu. lxxvi. art. i. *Resp.*

‘Deus testabitur suo tempore,’ ‘coram Deo loquor,’ ‘Deus novit omnia,’ ‘Deus videt meam conscientiam,’ censentur tantum narrative proferri, non invocative (atque adeo non sunt juramenta), nisi aliud constet, aut circumstantiis probetur,” inquit Busembaum apud S. Alphonsum.¹ Idem dicendum de formula illa quæ communiter usurpatur: “Deo declaro.” “Non sunt juramenta,” pergit Busembaum, “quæ dicuntur per modum sponsionis; verb. gr. ‘expono caput meum,’ ‘amputentur mihi aures, ni ita sit.’” “Non sunt juramenta, (quod confessarii et catechistæ moneant, ne ex erronea conscientia peccetur) vere, certe, in veritate, fide boni viri, per fidem meam.” “Nec per conscientiam meam, super conscientiam meam.” “Item dicere ‘juro ita esse,’ non est vere juramentum, quia tunc nec explicite, nec implicite divinum testimonium imploratur—nisi præcesserit interrogatio de jurejurando.”² “Non jurat qui dicit tam verum est quam sol lucet, quam hic sedeo, ambulo, &c.” “Quamvis hæ et similes comparationes: tam verum est, quam Deus est, quam Christus est in venerabili Sacramento, quam verum est Evangelium—communiter videantur continere juramentum cum blasphemia, id tamen non satis apparet, quia nullus in testem invocatur. Neque videtur esse blasphemia, si sit verum, et animus proferentis sit significare tantum similitudinem, ut sensus sit, hoc verum esse solummodo, sicut alterum est verum suo modo.—Non est juramentum, cum quis jurat per creaturas, in quibus nihil divinæ bonitatis specialiter elucet: quia tunc non censentur adduci cum relatione ad Deum: ut si dicas: juro per hanc herbam, vestem, &c.”³

46. Juramenta varie distinguuntur, quamvis speciei ejusdem omnia sint, juxta communiorem sententiam. Juramentum aliquod verbis declaratur: aliud actione aliqua exhibetur, v. g: manum elevando, vel Evangelia osculando, vel ea manu tangendo: aliud verbis et actione simul exprimitur. Invocatur nonnumquam Deus, simpliciter ut testis: alias ut vindex mendacii, execratione prolata. Communis illa jurandi formula: “Sic me Deus adjuvet,” execrationem includit, auxilium scilicet divinum non dandum optamus, nisi veritas dictis constet. Sic etiam execrationibus accensendæ sunt voces hujusmodi: puniat me Deus; faciat Deus, ut hinc nunquam sanus surgam, tollat me Deus subitanea morte: in æternum me damnet Deus. Cæterum si Dei nomen taceatur, possunt ad sponsionem

(1) L. iii. n. 134, 5.

(2) Ibidem, n. 136.

(3) Busembaum apud S. Alphons. l. iii. n. 137, 138.

quandam, seu pœnæ obligationem reduci, juxta S. Alphonsum.¹ ‘Nunquam hinc movear:’ ‘numquam videam Deum,’ ‘damner;’ &c. idem est ac dicere: si non ita est, paratus sum mori; hinc non moveri; Deum numquam videre; damnari, &c., quin Deus vindex invocetur. Multo magis a mortali delicto excusantur qui dicunt “Numquam videam,” quin aliquid adjungant. Asserimus jurando, res gestas referendo vel denegando: promissiones etiam firmamus juramento, sed et minamur: unde theologi consueverunt juramentorum distinguere varietates. Quum omnia juramenta ejusdem sint speciei² opus non est confitendo explicare, utrum per Deum, vel per Jesum Christum, vel per sanctos, vel per cælum, aliudve quod ad Deum refertur, quis juraverit.

47. Ex fidei doctrina, jurare licet certis positis conditionibus: id enim sanctorum virorum a mundi origine exempla ostendunt, et Apostoli Pauli, qui Deum sæpius invocat testem, comprobatur auctoritas. Vetuit quidem Christus jurare omnino, levi scilicet de causa, discrimenque quod Pharisæi inter juramenta statuebant, inane esse ostendit, quin tamen, gravi exigente causa, prohibuerit jurare, quod, servata æquitate et veritate, in Dei, qui testis adhibetur, honorem cedit.³ “Per nomen illius jurabis.”⁴ “Laudabuntur omnes qui jurant in eo.”⁵ “Juramentum,” inquit S. Thomas, “secundum se est licitum et honestum: quod patet ex origine et ex fine: ex origine quidem, quia juramentum est introductum ex fide qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, et universalem omnium cognitionem et provisionem. Ex fine autem, quia juramentum inducitur ad justificandum homines et ad finiendum controversias, ut dicitur ad Hebræos VI.”⁶

48. Tres juramenti conditiones ex Jeremia solent enumerari: “Jurabis: vivit Dominus in veritate, et in judicio, et in justitia,”⁷ scilicet juramentum debet esse verum, ex gravi causa prolatum, ad rem æquam sancendam. “Si veritas desit, vel putetur deesse, vel dubia sit juranti, est perjurium, et semper mortale peccatum, etiam in re levi asserta.”⁸ Ita omnes theologi, testante Antoine. Damnata est propositio sequens: “Vocare Deum in testem mendacii levis,

(1) L. iii. n. 143.

(2) Ibidem.

(3) Mat. v. 34. Jac. v. 12.

(4) Deut. vi. 13.

(5) Ps. lxii. 12.

(6) 2. 2æ. qu. lxxxix. art. ii. Resp.

(7) Jer. iv. 2.

(8) Tract de Virt. Rel. c. iv. qu. iv. Resp. i.

non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.”¹ Ad recte tamen jurandum *moralis* quædam certitudo sufficit, quæ scilicet in rebus humanis potest haberi; nec requiritur certitudo infallibilis. Amphibologiam, seu restrictionem mentalem adhibere, quæ nullatenus ex adjunctis potest percipi, non licet jurando: quapropter damnavit Innocentius XI. alteram propositionem: “Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit; intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit: vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.”² Restrictio autem *late* mentalis, quæ ex adjunctis satis dignosci potest, aliquando, gravi exigente causa, sine culpa jurando adhibetur. Sic licet sacerdoti jurare se prorsus nescire quod in confessione didicit; nam intelligendus est loqui de scientia extra sacramentum acquisita.

49. In juramento promissionem firmante veritas maxime ex præsentis animi dispositione pendet: si enim quis jurando polliceatur se facturum, quod nullatenus sibi faciendum proponit, manifeste violat veritatem cum magna Creatoris injuria. De rei quæ promittitur executione juramentum etiam vigere intelligendum est; adeo ut qui eam postea negligit, gravis culpæ arguendus sit, saltem si de re gravi agatur. Plures autem censent in re levi non tantam esse juramenti vim; putant scilicet fidelitatem violari, dum obligatio jam contracta negligitur, quin Deus mendacii fiat testis; veritas enim jam juramento, ex jurantis intentione sincera, constitit. Sic levis culpæ reus habetur qui muneris aliquod officium, vel instituti regulas negligit in rebus levioribus, quamvis juraverit se omnia sua officia, regulasque diligenter servaturum: sed id intelligitur morali quadam ratione.

50. Juramentum metu extortum videtur in conscientia obligare, quamdiu ab ecclesiastica auctoritate non fuerit rescissum: reverentia enim divini nominis exigit ut promissio omnis impleatur, quæ sine peccato potest impleri. “Coactio,” inquit S. Thomas, “non auferit juramento promissorio vim obligandi, respectu ejus quod licite fieri potest. Et ideo si aliquis non impleat quod coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit et mortaliter peccat.”³ Alii tamen dissentiunt. Id autem in comperto est metum passum habere jus rescissionem petendi.⁴ Hinc qui latroni minanti mortem juravit se

(1) Prop. 24 inter damn. ab. Innoc. xi.

(2) Prop. 26.

(3) 2. 2. xcviij. art. iij. ad primum.

(4) Ibidem.

nummos quosdam daturum, potest ab episcopo petere ut juramentum illud irritum habeatur; imo, juxta aliquos, eam dispensationem petere potest, etsi jurando promiserit se non petiturum: juramentum enim hujusmodi per se irritum habent, quum sit contra publicam utilitatem.

51. Juramentum extortum dolo vel errore circa rei substantiam, vel qualitates magni momenti quæ substantiam afficiunt, non obligat: deest enim verus animi in rem quæ promittitur consensus. Sic juramentum puellæ factum de matrimonio cum ea ineundo non valet, si ipsa, humili quum esset conditione, finxerit se nobili genere natam.

52. Juramentum, quo promittit aliquis se rem malam facturum, grave est peccatum, et omni caret robore; juramentum enim non potest esse vinculum iniquitatis.¹ Si rem vanam et otiosam respiciat, quæ nullatenus ex adjunctis coonestatur, vim etiam nullam habebit: nec enim Deus hujusmodi rerum implendarum recte adducitur testis. Cæterum si juramentum in utilitatem alicujus personæ cedat, et absque peccato impleri possit, implendum est, etsi temere fuerit emissum. Quæ juramenta a jure declarantur irrita, tamquam contra bonos mores emissa, vim nullam habent.² Quidam autem contractus alias in favorem promittentium irriti, ex juris civilis dispositione servandi sunt, si juramentum iis accesserit: quo relaxato, eorum vis omnis desinet. Jus autem Gallicum hodiernum,³ et jus apud nos vigens nullam vim tribuit contractibus vetitis, licet juramentum accesserit.

53. Juramentum quo quis pollicetur se consilia Evangelica non secuturum, per se irritum est; nec enim potest quis absque quodam perfectionis Evangelicæ contemptu illud præstare. Eo igitur proposito licet ea servare, nisi quis in favorem alterius juraverit; tunc enim, illæso alterius jure, nequit consilia Evangelica amplecti. Sic nequeunt S. Congregationis de Propaganda Fide alumni, absque S.

(1) "Promissory oaths are not binding, where the promise itself would not be so." Paley Mor. Phil. l. iii. c. 16. "Promises are not binding where the performance is unlawful." Ibidem. Vide et Trowerson, Explic. of Decalogue, p. 151. "If a man should swear to do a thing which is unlawful either by God's law or man's—there is no doubt that the oath obligeth not."

(2) Ex Reg. non est, juris in 6.

(3) Vide Notam ad Mayol Exp. ii. præc. art. iii. col. 181. l. xiv. Cursus Theology.

Sedis licentia, Religionem ingredi : obstante juramento quo adstringuntur.

54. Juramentum de non ludendo, vel non bibendo, obligat juxta jurantis intentionem : adeo ut si animo proposuerit, se ab omni prorsus ludi genere abstenturum, et ab omni potu inebriante, debeat ab iis abstinere. Cæterum levi in re a juramento recedere, venialis censenda est culpa.

55. Juramentum de re aliqua quod cum priori juramento pugnat, irritum est : iniquum enim foret prius illud quod de re licita emissum est juramentum violare.

56. Juramentum sequitur naturam promissionis quam firmat, nam juxta juris regulam, *accessorium sequitur naturam principalis*. Sic qui jurat se servaturum statuta congregationis alicujus, intelligitur se ad ea servanda obligare, quatenus sunt usu recepta, et sub gravi vel levi culpa, prout consuetudo interpretatur. Omnis autem promissio plures condiciones includere censetur : 1°. Si potuero, nemo enim ad impossibile tenetur. 2°. Salvo jure Superiorum ;¹ subditus enim nequit superioris jura transigere. 3°. Si is cui fit promissio acceptet, vel non remittat. 4°. Si res non fuerit notabiliter mutata. Hinc promissio de ducenda in matrimonium puella, quæ bona gaudet fama, non obligat, etsi juramento firmata, si ipsa fornicationis rea postea reperiatur. Juramenta de aliis etiam juste puniendis, qualia nonnumquam a parentibus emittuntur, non obligat, si reus emendationem polliceatur, vel alias prudentia suadeat plecendum non esse. Sic si res promissa fiat mala, mutatis adjunctis, vel gravia immineant ex juramento impleto mala, vis ejus desinit.²

57. Juramentum in favorem tertii emissum, et ab ipso acceptatum, non potest relaxari, absque illius cujus interest consensu : nec enim jura aliena potest præsul ecclesiasticus remittere. Quod aliquando pontifices a vinculo juramenti solverint imperatorum regumve subditos, factum est, ut nobis videtur, ex illorum temporum conditione, juxta quam de violatis populi et Ecclesiæ juribus, quæ, dum corona

(1) Ex. c. xix. de jurejurando.

(2) De juramentis et contractibus dicit Jeremias Taylor : " So long as they seem lawful they must be observed, and must not be rescinded until it be discovered that they are against the law of God." Ductor Dubitantium. l. 1 c. 3. p. 106.

acciperetur, servanda juramento rex imperatorve pollicitus erat, pontificis erat judicare.¹ Equidem populi regesque solebant in rerum difficultate ipsum appellare judicem, ejusque implorare auctoritatem. Non autem juramenti vim suo arbitrio relaxavit, sed ob violatas regnandi condiciones declaravit judicavitque cives amplius non teneri juramento fidelitatis. Sic de Henrico imperatore dicitur: “absque sedis Apostolicæ judicio, principes eum pro rege meritò refutare possent, cum pactum adimplere contempserit, quod iis pro electione sua promiserat, quo non impleto, nee rex esse poterat.”² Equidem qui celebrem declarationem quam vocant *Independentiæ Americanæ* emisissent, statuerunt cives Americanos absolutos habendos juramento præstito Angliæ regi,³ quin vellent omnem juramentorum vim infirmare. Cætera juramenta quæ jus alteri non tribuunt, votorum instar, relaxationem et dispensationem admittunt, æqua urgente causa; in animarum enim, quæ alioquin sæpe periclitarentur, salutem, Deum tantam Ecclesiæ tribuisse potestatem perpetua fuit Ecclesiæ fides, sacris testimoniis firmata: “Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.”⁴

58. *In judicio* jurare dicuntur, qui, non leviter, sed satis gravi urgente causa, jurant. Temere jurare Christus vetuit: “Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cælum, quia thronus Dei est. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus: neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est.”⁵ Igitur privatis in colloquiis plerumque juramenta sunt illicita, quamvis aliquando occurrere possit tanta necessitas, ut rem absque culpa sanciamus jurando. Cæterum leve est delictum temere jurare; quod grave tamen fit, quando grave inde nascitur scandalum ratione personæ jurantis: v. g: sacerdotis, vel parentis, vel quando gravis divino nomini infertur injuria, vel grave pejerandi imminet periculum. Idcirco qui jurare temere consueverunt, quum se discrimini pejerandi facile objiciant, et magnam audi-

(1) Vide opus meum: “Primacy of the Apostolic See.” Letter xxvii.

(2) Vita Gregorii VII. in Muratori Script. Rer. Italic. l. iii. p. 342.

(3) That they are absolved from all allegiance to the British crown.” Declaration of Independence.

(4) Mat. xviii. 18.

(5) Mat. v. 34.

entibus præbeant offensionem, divino nomine læso, non sunt absolventi, nisi ex animo studeant pravam emendare consuetudinem.

59. *In justitia* jurat qui rem æquam se facturum promittit. Deum testem adhibere de re mala exequenda gravis foret majestati divinæ et sanctitati injuria Cæterum excusari aliquando possunt a graviore culpa, qui absque animi deliberatione, et pravo consilio, jurant se rem malam facturos.

60. Juramenta quæ emittuntur in Secretis Societatibus Liberorum Muratorum, (*Free Masons*,) Sociorum singularium, (*Odd Fellows*,) èt aliorum variis nominibus designatorum, plurimis ex capitibus illicita sunt; primo quidem quod emittuntur contra legem Ecclesiæ,¹ cui omnes ex Christi præcepto obaudire tenentur, quæque jus habet filios suos ab iis cætibus prohibendi, quibus mali species inest. Necessè non est probare pravos ob fines societatem coiri, vel prava foveri principia: quum enim arcanum profiteantur impervium, mali species et periculum certe adest.² Præterea qui jurant se illud arcanum, quodcumque sit, alto silentio semper servaturos, in omni rerum eventu, temere se obligant, quum fieri possit ut ejusmodi sit quod absque religionis vel reipublicæ detrimento nequeat servari. Quæ autem præmitti dicitur declaratio, nihil muneris imponi quod muniis quæ Deo et patriæ quis debet derogat, vix potest a temeritatis labe eximere jurantem; nam exponit se discrimini munia illa ex societatis principiis, potius quam ex Ecclesiæ Christi auctoritate, æstimandi. Incurrunt idcirco in excommunicationem Papæ reservatam omnes qui societates illas ineunt, cætibus adsistunt, vel iis dant operam: qua censura adstricti censendi sunt, qui illicita hujusmodi sodalitia quovis nomine ineunt, uti proh dolor! contingit plurimis Catholicis. De censuris siluit concilium Baltimorese IV. satis ducens monere sacerdotes eos omnes a sacramentis repellendos. No-

(1) Vide Constit. Clementis XII. *In eminenti*, et Benedicti XIV. *Providas Romanorum Pontificum*.

(2) Id mihi certissime persuasum est eorum institutum eo tendere ut rationis lumen divinæ fidei auctoritati anteponatur, et sensim sine sensu disponantur animi ad dogmata omnia, veluti errores, superstitione et præjudiciis vulgi inductos, abjicienda. Arcanum hoc est quod non suspicantur plurimi ex ipsis, putantes abstractionem tantum fieri, quando de Religione revelata intra aulam silere jubetur; quodque non manifestatur pluribus qui per omnes gradus eveniunt; sed quod tum demum declaratur quando socius jam noscitur idoneus tanto lumini ferendo! Vide *le Voile leve* et opus Barruel *Memoires pour servir a l'histoire du Jacobinisme*.

vissime declaravit S. Cong. Inquisitionis in quacumque orbis regione non valere absolutionem impertitam iis quos licet emissi juramenti pœniteat, communicant tamen cum cæteris eidem sectæ Liberorum Muratorum adherentibus, vel alio quovis modo.¹

61. Adjuratio est actus religionis quo quis alterum rogat, vel ei præcipit per Deum, vel quod ad Deum refertur. Sic Apostolus: "Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus."² Licere solemnem adjurationem, qualis fit in obsessos, hinc colligitur; sed venia episcopi requiritur,³ ne quis falsò censeatur adæmonio agi, et temere Dei nomen invocetur. Simplex adjuratio eas exigit conditiones quas juramentum. Minus igitur probanda est consuetudo quorundam levi quacumque ex occasione dicentium: "propter Deum te obsecro;" quos tamen non necesse est gravis peccati damnare, quum intentionem non habeant plerumque adjurandi.

62. Juramentum aliquando exigere licet ab eo qui pejeraturus videtur, quando scilicet judiciorum ordo, vel justitiæ administratio qualiscumque id exigit; nec enim perjurii auctor censendus est, qui, illud penitus detestans, alterum examini subjicit, ut jura cuique vindicentur. Cæterum privatus quisque non debet, nisi gravi urgente causa, alium, licet pravi jam animi, tanto objicere discrimini."³

(1) Decr. 5 Julii, 1837, et 27 Junii, 1838.

(2) 1 Thess. v. 27.

(3) S. Alphons. l. iii. c. ii. append. de adjur. iv.

(4) Vide S. Thomam, 2. 2. q. u. xviii. art. iv. *Resp.*

CAPUT VII.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

“Memento ut diem Sabbati Sanctifices.”

§. I. DE OBLIGATIONE DIEI DOMINICÆ SERVANDÆ.

63. “PRÆCEPTUM de sanctificatione sabbati,” inquit S. Thomas, “literaliter intellectum est partim morale, partim cæremoniale. Morale quidem est quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis. . . . Sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi est cæremoniale.”¹ “Observantia diei Dominicæ in nova lege succedit observantiæ sabbati, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, et consuetudine populi Christiani.”² Ad Apostolos meritò refertur, nam S. Joannes ait: “fui in Spiritu in Dominica die.”³ quod nomen cum deinceps primæ hebdomadis diei apud Christianos inhæserit, eam jam cultui divino dicatam esse meritò infertur: quamvis et sabbatum, pro gentis suæ more, fideles in Judæa per tempus aliquod servasse, sicut et plerosque ritus legis, indubium videatur. Id etiam colligitur ex D. Paulo ad Corinthios scribente: “Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non cum venero, tunc collectæ fiant:”⁴ prima scilicet hebdomadæ die, convenientibus ad Deum colendum fidelibus, collatio faciendâ erat, ut Apostolo adveniente præsto essent subsidia, quibus fratribus inopia laborantibus subveniretur. Cæterum facile damus ex

(1) 2. 2^m. qu. cxii. art. iv. *ad primum*.

(2) *Ibidem, ad quartum*. “The Lord’s day did not succeed in the place of the Sabbath; but the Sabbath was wholly abrogated, and the Lord’s day was merely of Ecclesiastical institution.” Taylor, l. ii. *Ductor Dub.* p. 359.

(3) Apoc. i. 10.

(4) 1 Cor. xvi. 2. Vide et Joan. xx. 19. 26. Acta xx. 6, 7.

his non probari obligationem diem illum servandi,¹ quæ tamen ex Ecclesiæ traditione et consuetudine est explorata: in creationis scilicet et resurrectionis memoriam dies Justinî ætate sancte celebrabatur.²

64. Gravem esse hanc obligationem constat, eamque ferre ut quisque Missæ sacrificio adstet,³ et ab operibus servilibus se absteat.⁴ Commendandi admodum sunt qui pietatis operibus integrum diem impendunt, præsertim suscipiendis sacramentis, concionibus audiendis, Vespertinis precibus adsistentis: sed “sola Missa est de præcepto.”⁵ De ea audienda occurret opportunior tractandi locus, quando de præceptis Ecclesiæ agetur.

65. A media nocte ad mediam usque noctem servari consuevit dies Dominica, quamvis apud Judæos a vespera ad vesperam sabbatum servabatur. Sunt in hac regione inter Baptistas qui horum morem imitantur, et sabbatum ipsum præ die Dominica colunt, *septimæ diei Baptistæ*,⁶ idcirco nuncupati.

66. Omnes baptizati qui rationis sunt compotes, quales a septennio plerique censentur, ad diem Dominicam servandam teneantur: utrum autem ea lege adstringantur qui baptismum non susceperunt controversitur; affirmantibus qui putant præceptum divinum olim datum de sabbato servando adhuc vigere, sola diei mutatione inducta: negantibus plerisque qui ad Ecclesiæ consuetudinem et legem observantiam hanc referunt: nec enim legibus ecclesiasticis ligantur qui in Ecclesiam per baptismi januam non sunt ingressi.

67. Utrum peccent fideles qui haud baptizatis hominibus injungunt opera servilia exercenda die dominica, etiam disputatur, quum nonnullis videantur divino cultui detrudere; et Israelitis vetitum noscatur, ne famulos vel ancillas eorum laborare sabbato sinerent: sed quum verior sit sententia totam diei Dominicæ servandæ obligationem ex Ecclesiæ lege derivari, quæ infideles non ligat, non videntur peccare, sicut non peccant qui diebus esurialibus carnes iis tri-

(1) Id fatetur Paley, qui putat inde colligi fidelium consuetudinem, Dei colendi causa, die prima hebdomadis conveniendi: nullatenus tamen inde liquere abstinendum esse ab operibus servilibus per totum diem. “A cessation upon that day from labor, beyond the time of attendance upon public worship, is not intimated in any passage of the New Testament.” Moral Phil. l. iii. p. 2. c. 7.

(2) Apol. ii.

(3) C. *Vice illius*, de tregus, et *Si quis* de consecr. dist. i.

(4) C. i. *Licet* de servilibus.

(5) Mayol Expos. iii. præc. art. i.

(6) *Seventh-day Baptists*.

buunt manducandas. Ne autem cum offensione aliorum aliqui die Dominica laborent cavendum est: quum utilitati animarum omnino sit prospiciendum.

68. In Statibus meridionalibus nonnullis mancipia die Dominica laborare consueverunt: quod contingit ex metu ne otiosi seditiones cædesque moliantur. Equidem gravissimam hanc esse rationem inficiari non possumus, ut de minoribus flagitiis, in quæ facile labuntur otio fruentes, taceamus. Ecclesiasticus dicit: "Jugum et lorum curvant collum durum, et servum inclinant operationes assiduæ: servo malevolo tortura et compedes: mitte illum in operationem ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas."¹ Cæterum misera est illa rerum conditio, qua, ut dominorum consulatur incolumitati, servis denegatur occasio fere omnis saluti prospiciendi: ideoque haud excusantur domini, qui Missam audiendi et rudimenta fidei addiscendi, et sacramenta suscipiendi recusant facultatem. Ubi autem ex servorum multitudine imminet turbarum periculum si in unum congregentur, utique desinit lex ecclesiastica obligare; sed alia ratione iis consulendum est, ne subsidiis salutis forte aliqua careant. Privatim igitur edocendi sunt et ad munera pietatis instituendi, ut et Deo quod suum est reddant, et dominos ejus causa revereantur et occasio suscipiendi sacramenta est eis suppeditanda.

§ II. DE OPERIBUS VETITIS.

69. Servilia dicuntur opera quæ in utilitatem corporis fiunt, ejus potius quam animi viribus. Nomen sortiuntur a servis qui solent ea exercere. "Opera servilia," ait S. Thomas,² "mystice intelliguntur peccata, sed ad litteram dicuntur ad quorum exercitium servos deputatos habemus." Sunt inter theologos qui præceptum diem Dominicam colendi violari peccando censent: sed nobis omnino placet aliorum communis sententia, qui quamvis peccata in Dominicis diebus patrata præcepti fini maxime repugnare fateantur, ea tamen eo specialiter prohiberi non putent. Laude dignos igitur censemus concionatores, qui populum a peccatis, diebus præsertim Dominicis, retrahere conantur, quin specialem malitiam in confessione declarandam in iis inesse affirmant.

(1) Eccl. xxxiii. 27.

(2) In iii. d. xxxix. qu. v. art. v. qu. 2 ad 2.

70. Finis ob quem opera exercentur, eorum naturam non mutat:¹ ideoque fabrile opus facere recreationis licet causa, opus servile est: concionari autem de scientiis, etiam ob lucrum, est opus libero homini conveniens. Labor etiam et defatigatio major, vel minor, operis naturam non determinat, quamvis quo major est labor, eo facilius gravis culpæ materia habeatur.

71. Iter facere pedibus, equo, vel curru, opus non est servile; quapropter aurigæ aliique a violato præcepto immunes habendi sunt, quamvis onera levando, aut imponendo, currumque agendo, laboris plurimum sustineant. Cæterum opus servile pluribus videtur plaustris vehere onera; excusantur autem certe qui absque magno incommodo et dâmo nequeunt iter jam inceptum interrompere. Sed laudandi non sunt qui vespere sabbati iter inchoant ut illud die Dominica prosequantur. Nonnulli tamen contendunt ob publicam utilitatem, suffragante etiam consuetudine, licere iter die Dominica inchoare. De publicis vehiculis litteras deferentibus aliaque maximi momenti ad rempublicam civesque pertinentia, id extra omnem aleam dubitationis est positum. Meritò idcirco rejectæ sunt a Congressu preces sectariorum, qui, ante aliquot annos legem ferendam petierunt, qua litteras die Dominica deferri curru publico vetaretur.

72. Servile opus non est docere, studere, et scribere; imo juxta plurimos, etiam transcribere, pretio operis accepto: nam pretium non mutat operis naturam; transcribere autem idem est ac scribere, et dirigitur ad mentem instruendam. Licet quoque delineare, transcribere notas musicas, et rationes. De pingendi arte disputatur, sunt enim plurimi qui eam servilem nuncupant, quum in imaginibus rerum exprimendis versetur: aliis eam liberalia inter opera recensentibus. Prior sententia communior a S. Alphonso de Ligorio dicitur. Terere autem colores, et tingere asseres seu pannos, et dealbare parietes, procul dubio servile est. Retrahere imagines acu, ut solent fœminæ, servile non habetur, quum magis tendat ad exercendum ingenium. Ars sculpendi servilia inter opera numeratur: sic etiam prelum movere; compositio autem typorum liberale videtur opus, ingenii scilicet est præcipue exercitium.

73. Venatio servilibus operibus non accensetur; sed plurimum retrahit a Deo colendo. Piscari hamo opus servile non videtur:

(1) Ita habet communior et probabilior sententia. Vide Mayol Exp. iii. præc. art. v.

retibus autem, magno cum labore, piscari, certe habendum est servile. Ingruente necessitate alecia, quorum copia quibusdam anni tempestatibus habetur, piscari indulsit aliquando Pontifex diebus dominicis festisve; ea tamen conditione ut pauperibus et vicinioribus ecclesiis portionem piscium darent.¹

74. Prohibentur etiam lege Ecclesiæ quædam opera forensia, ut sunt mercatus, placitum, iudicium ad mortem, vel ad pœnam, et strepitus omnis judicialis, nempe omnes actiones quæ ad causas civiles, vel ecclesiasticas pertinent. Nulla autem et irrita censentur acta iudicii die Dominica facta; v: g: testium citatio, vel examen, vel sententia prolata.² Attamen si periculum immineat ne debitor vel latro fugiat, statim confici queunt documenta necessaria. Sic facinorosus quisque coram magistratu constitutus potest in carcerem trudi, deinceps iudicandus, instructo interim iudicio summario.

75. Bellum exercere diebus festis vetitum est: quod etiam tempore Adventus et Quadragesimæ olim prohibitum.³ Cæterum necessitate urgente quolibet die exercetur, tum aggrediendo hostem, tum se tuendo; sic omnia quæ ad bellum gerendum necessaria sunt, fieri possunt eo imminente, v: g: aggeres extrui, foveæ fodi etc. Excusari etiam videntur exercitationes militares quæ tempore pacis diebus festis fieri solent:⁴ sed in plerisque statibus fœderatis mores et sensus civium ab omni huiusmodi exercitatione diebus dominicis abhorrent: nam et publicæ lætitiæ indicia quæ anniversaria die libertatis recuperatæ dari solent, nonnisi die sequenti præstantur, quoties in diem Dominicam inciderit.

76. Emptiones et venditiones mercium in publicis officinis etiam jure canonico vetantur: ei tamen consuetudine pluribus in rebus derogatum est. Iis igitur qui invalescentem consuetudinem sequuntur, molestia non est facile inferenda; quum damna quæ eis ex arctiori observantia orirentur, una cum consuetudine, tacentibus præsulibus, inducta, eos a culpa videantur excusare.

(1) C. iii. de feriis.

(2) Can. *Conquestus*. Et l. *ut in die*, Cod. de feriis. "By statute 29, Car. ii. c. 7, no arrest can be made, nor process served upon a Sunday, except for treason, felony, or breach of the peace." Blackstone l. iii. n. 290. "After a negligent escape, the defendant may be taken on a Sunday." Chitty, *ibid.* note.

(3) Extra. *de tregua et pace*, Can. *tregua*.

(4) Mayol Expos. iii. præc. art. iii.

§ III. DE EXCUSATIONIBUS.

77. I. *Dispensatio* a Pontifice Supremo, vel¹ episcopo, æqua ex causa concessa. Missionarii pro prudenti arbitrio poterunt declarare quibus in rerum adjunctis fideles ab obligatione festa servandi, vel omnino, vel partim excusentur. Cæterum ipsorum non est dispensare, quum id ad externum regimen, quod præsulum est, pertineat.

78. II. *Consuetudo*, quæ pro locorum varietate est diversa. Quum autem ex sola Ecclesiæ auctoritate dierum Dominicorum servandorum obligatio probari possit; ex consuetudine quam probat, vel tolerat, ratio eos servandi æstimanda est. Verum quidem est plura ubique fieri quæ Ecclesiæ menti sunt parum consona: ea tamen quæ nulla sanctione ipsa reprobata, non sunt facile damnanda. Clamitant quidem Protestantes Sabbatum negligi et violari: meminisse tamen debent, sublata Ecclesiæ auctoritate, nullum superesse modum quo dies Dominicus servandus probetur.

79. III. *Pietas* excusatos habet eos qui opera ad Dei cultum proxime spectantia diebus Dominicis peragunt: “non legistis in lege,” inquit Christus, “quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?”¹ Quæ autem remote tantum ad Dei cultum tendunt debent ante festa præparari, quamvis, urgente gravi causa, liceat etiam aliquid ex iis facere, vel perficere, etiam Dominica die. Ex sola pietate non videtur licere laborare, ex: gr: conficere vestes sacras, colere agros ecclesiæ, vehere lapides et ligna ad eam ædificandam: nam finis operis naturam non mutat. Cæterum si alias nequeat ecclesiæ consuli, opus licet servile Deo erit gratum.

80. IV. *Charitas* erga proximum excusat eos qui actus alioquin vitiosos tamquam serviles, diebus Dominicis exercent, ut subveniant indigentibus, vel ægrotis. Excusandi autem non videntur, qui nulla urgente necessitate, opera servilia etiam in pauperum utilitatem cessura exercerent. Venia quidem et laude digni erunt si alioquin proximum graviter indigentem non possent sublevare, nam “sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.”² Hinc excusantur qui, deficiente alia occasione, diebus Dominicis, vestes pauperibus, alioquin toleraturis totam hyemis asperitatem, conficiunt.

81. V. *Necessitas* propria, vel aliena corporis vel animæ, quando

(1) Matt. xii. 5.

(2) Marc. ii. 27.

scilicet labor omitti nequit absque gravi detrimento. Sic excusantur mancipia, quæ domino præcipienti non audent repugnare. His etiam licet suas reficere vestes diebus Dominicis, si aliis diebus facultas non detur. Utrum autem liceat eis hortum sibi a dominis concessum iisdem diebus colere, ad peculium comparandum, dubitari potest. In affirmantem sententiam propendemus, nam durum videtur unicam hanc peculii rationem iis denegare. Cæterum salutis negotium non est negligendum. Pauperes, alioquin impares suis sustentandis, damnandi non sunt, si privatim absque scandalo laborent. Coqui et culinarii necessitate et consuetudine excusantur. Pistorum si nequeant pridie panes conficere, qui populi usui in diebus Dominicis sufficiant, excusati habentur: quod de pistoribus dulciariis præsertim valet. Laniones qui alicubi ob calores æstivos carnes in dies posteros servare non possunt, excusantur si ipsis diebus Dominicis animalia occidant, scandalo remoto. Chirurghi et pharmacopolæ necessitati obsequuntur, dum artem suam in diebus festis exercent. Conflatores ferri et vitri, coctores laterum et calcis, laborantes in officina quæ dicitur *gasworks*, cæterique omnes qui opus antea inchoatum interrumpere absque gravi detrimento non possunt, a violato præcepto sunt immunes.

82. Utrum magnum lucrum ex labore derivandum necessitatis loco habendum sit, inter theologos disceptatur. Affirmans sententia satis probabilis videtur, in idem enim recidit magno lucro carere, et damnum pati, quapropter lucrum cessans gravi damno æquiparatur.¹ Cavendum tamen ne de lucro ordinario, seu mercede diurna id intelligatur: secus obligatio omnis servandi dies Dominicos evanesceret.

83. Necessitas spiritualis excusationis locum obtinet, si graves tentationes superare quis non possit, nisi laborem susceperit: quod tamen rarò contingit. Sæpe tamen rudes, qui legere nequeunt, magnis æstuant cupiditatum febribus, otio totum diem indulgentes.

84. "Excusantur instauratores fontium, pontium, viarum publicarum, et similibus quæ moram non patiuntur." Ita Busembaum. Sartores etiam qui diebus profestis vestes perficere haud potuerunt, excusantur si urgeant nuptiæ, funus, vel alia quædam æqua necessitas. Excusantur omnes qui feretrum faciunt, vel funeri præstant operam. Tonsores non excusantur, nisi speciali aliquo in casu, vel per modicum tempus matutino tempore, ut iis qui sabbato accedere non poterant, necessariam præstent operam. Agricolæ absque culpa colligunt

(1) L. un. c. de sent.

segetes, vel fœnum, diebus dominicis, imminente pluvia, ex qua magnum damnum timent. Nulla etiam est culpa vasa arboribus ex quibus sacchari liquor fluit, supponere, eumque deinceps in vas aliud transferre, quando contingit paucis præterea diebus liquorem manare : quædam enim adest necessitas.

85. *Caupones*, qui clausis tabernis res minores et quotidiani usus vendunt, excusantur ob necessitatem quandam et consuetudinem. Qui res magni pretii absque causa vendunt diebus Dominicis, legem Ecclesiæ certe violant : nec tamen gravis culpæ damnandi videntur, si parvum tantum tempus in iis vendendis impendatur, et nulla detur scandali occasio.

86. VI. *Utilitas* publica vim obtinet necessitatis, quapropter ob victoriam celebrandam, vel aliam publicam causam, consueverunt plura fieri in diebus Dominicis, quæ alias fieri prohibentur.

87. De temporis spatio quod insumi debet in labore, ut gravis censeatur præcepti violatio, variæ sunt sententiæ : quarum communior exigit duas vel tres horas. Qui post mediam noctem laboraverit, haud facile damnandus est peccati mortalis, si diem rite impenderit : nec enim labor ille nocturnus adeo repugnat diei observantiæ. Si quis pluribus mandaverit ut operi servili simul vacarent per parvum temporis spatium, puta per quadrantem, quæritur utrum gravis delicti ipse reus habendus sit. Negans sententia nobis probatur, nam quum singuli tantum venialiter peccarint, ipse plurium venialium auctor noscitur ; non autem mortalis delicti. In forensibus et judicialibus res quæ agitur, magis quam temporis spatium attenditur.

(1) *Jeremias Taylor* in nimium quorundam rigorem merito invehitur : " In those places where the offices of the church are not expensive of the whole day, it is lawful to do (upon just cause,) any work that is not forbidden by our superiors, or scandalous to our brethren, in those portions of the day which are unemployed : and to deny this is called perverseness and contrary to faith. *Cap. perven. de consecr. dist. 3.*—As for some persons to give themselves great liberties of sport on that day is neither pious nor prudent, so to deny some to others is neither just nor charitable." *Ductor Dubitantium*, l. ii. c. 2. p. 366.

CAPUT VIII.

DE QUARTO PRÆCEPTO.

“HONORA PATREM TUUM ET MATREM TUAM, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.”

88. HONORIS nomine omne pietatis erga parentes officium venit: qui quum Dei vices quodammodo gerant, et exhibeant imaginem, sunt enim ejus instrumenta, nobis verò vitæ auctores, eos revereri oportet, eorumque gubernationi nos subdere, iisque grati animi ob beneficia præstare indubia testimonia. “Scite autem,” animadvertit Catechismus Romanus, “in lege posita est honoris vox, non amoris, aut metus, etiamsi valde amandi ac metuendi parentes sint; etenim qui amat, non semper observat et veneratur: qui metuit, non semper diligit: quem verò aliquis ex animo honorat, item amat, et vetur.”¹ Præceptum hoc Christus Dominus sæpius inculcavit, sicut et Apostolus, qui et animadvertit: “quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram.”² Honor ille præstatur parentes reverenter habendo, iisque obsequia data occasione reddendo, monente Spiritu Sancto: “In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, et benedictio illius in novissimo maneat.”³

89. Ex ipso naturæ instinctu *amor* tribuitur parentibus. Equidem Christus eos odio habendos nonnumquam dixit;⁴ sed id intelligendum est quatenus Dei voluntati repugnant; sunt quippe minus Deo diligendi, quæ vis est vocum Hebraicarum, juxta illud: “Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.”⁵ “Gregorius exponens illud verbum Domini, dicit quod parentes, quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nescire debemus. Si

(1) P. iii. Præc. iv. § 10.

(2) Eph. vi. 2.

(3) Eccl. iii. 9.

(4) Luc. xiv. 26.

(5) Mat. x. 37.

enim parentes nostri nos provocent ad peccandum, et abstrahant nos a cultu divino, debemus, quantum ad hoc, eos deserere et odire.”¹

90. Obediendum esse parentibus ex honorandi eos præcepto plane sequitur, quapropter Ecclesiasticus dicit: “ Qui timet Deum honorat patrem, et quasi dominis servit his qui se genuerunt.”² Apostolus etiam ait: “ Filii, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim justum est:”³ quod recitato præcepto probat. Alias dicit: “ Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino.”⁴ In omnibus quæ pertinent ad domesticam disciplinam, et rectam moram institutionem juxta divinam legem filii obedire debent: non autem quoties aliquid contra Dei legem præcipitur, quippe “ obedire oportet Deo magis quam hominibus:”⁵ “ tenetur obedire—filius patri in his quæ pertinent ad disciplinam vitæ et curam domesticam.”⁶ “ Non tenentur—filii parentibus obedire, de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.”⁷

91. Filii igitur non peccant parentum voluntatem vel præcepta de status vitæ electione negligendo, quoties re coram Deo perpensa, eam vitæ rationem eligunt quam sibi existimant ad salutem profuturam. Non peccant munia necessaria religionis explendo contra parentum vetitum: nam quoad ea omnia quæ ad salutem pertinent, “ immediate subduntur Deo, a quo instruuntur per legem naturalem, vel scriptam.”⁸ Hinc possunt et debent baptismum petere, et alia sacramenta, et fidem profiteri, licet districte id prohibeant parentes. In rebus autem quæ dispensationem admittunt, præstat aliquando eam a legitimo superiore petere, præsertim si aliqua ratio videatur favere parentibus jubentibus: v. g: valetudo filiarum haud firma, quibus ne a carnibus se abstineant prohibent parentes.

92. Contra *reverentiam* peccat graviter filius si percutiat etiam leviter parentes, vel manum, deliberante animo, ad percutiendum attollat: qua re pietatem erga parentes violat, præter justitiam. Graviter contristare parentes etsi per verba leviter contumeliosa, grave habetur peccatum; vetat enim amor ne filii ea faciant, vel dicant, ex quibus gravem tristitiam parentibus orituram prævideant. Qui male

(1) S. Thomas 2. 2. qu. ci. art. iv. *ad primum*, citans Gregorium M. hom xxxvii. in Evang.

(2) Eccl. iii. 8.

(5) Act. v. 29.

(7) Ibidem.

(3) Eph. vi. 1.

(4) Col. iii. 20.

(6) S. Thom. 2. 2. qu. civ. art. v. *Resp.*

(8) Ibidem, *ad secundum*.

dicta vel convicia in parentes coram conjicit, reus est gravis delicti, sicut et qui eos gestu vel risu subsannat. Sapiens dicit: "Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ."¹ Murmurationes autem filiorum in parentes absentes haud adeo facile damandæ sunt tamquam lethales culpæ. Nolle agnoscere parentes, eosque pauperes desplicere, plerumque grave est: excusari autem posset qui patrem infamem fugeret, nolletque palam agnoscere. Accusare parentes in foro civili criminis alicujus, nisi nullus alius sit modus reipublicæ consulendi, gravis est culpa: sicut etiam lites eis intentare.

93. Contra *obedientiam* peccat filius graviter, quoties parentum præceptum in re gravi transgreditur, quæ scilicet magni sit momenti ad domesticam gubernationem, bonos mores, vel animæ salutem. Hinc filia quæ non vult juvenis deserere consortium, quod parentes vehementer vetant ob lapsus periculum, graviter peccat. Plerique quidem actus qui obedientiæ repugnant, non sunt habendi mortales, nisi parentes instanter præcipiant, vel gravem tristitiam ex iis concepturi noscantur. Consuetudo autem præcepta violandi auctoritatis patriæ contemptui fere æquiparatur. In matrimonio ineundo voluntas parentum exquirenda est, præsertim ab iis qui juxta leges civiles sui juris haud agnoscuntur. Qui igitur antequam vigesimum primum annum compleverint,² parentibus inconsultis, vel rationabiliter invitis, nuptias contrahunt, a lethali culpa non facile excusantur. Sacerdotes qui nuptias hujuscemodi celebrant, mulctæ subjiuntur.³

94. Contra *amorem* graviter peccat filius, si odio parentes prosequatur, et grave malum iis ex animo exoptet; si eos male tractet, torvo oculo sæpe intueatur, aspere alloquatur, aliaque det odii indicia: et si iis subsidia ad salutem negligat comparare, in gravi vel extrema necessitate. "Graviter ideo peccant filii, si non curent ut parentes in articulo mortis constituti, suscipiant sacramentum pœnitentiæ."—

(1) Prov. xxx. 17.

(2) In statu Delaware filiæ octodecim annos natæ nubere possunt absque parentam consensu.

(3) Lege Pennsylvaniae mulcta quinquaginta librarum Anglicarum imponitur; lege Novæ Jerseyæ tercentorum scutatorum, lege Delaware centum saltem scutatorum, vel etiam quingentorum, judicis arbitrio.

“Hinc etiam graviter peccant filii negligentes preces et sacrificia offerri pro parentibus.”¹

95. Pietas etiam exigit ut parentibus pauperibus subveniatur; quamvis enim plerumque non debeant filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis;² ut scilicet vitam quam dederunt conservent; attamen inopia laborantibus subveniendum omnino est, ut beneficia accepta quodammodo rependantur. Hinc “Dominus Matthæi XV. redarguit Pharisæos, quod impediabant filios, ne parentibus sustentationem exhiberent.”³ Acriter quidem corripuit Christus Pharisæos blandientes illis qui munera Deo offerebant, parentibus subvenire negligentes pietatis prætextu: “Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? nam Deus dixit: Honora patrem et matrem: et: Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicumque dixerit patri vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit: et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.”⁴ Præclare igitur S. Thomas ait: “Ille qui est in sæculo constitutus, si habet parentes, qui sine ipso sustentari non possunt, non debet, eis relictis, religionem intrare: quia transgrediretur præceptum de honoratione parentum.—Si verò sine eo parentes vitam transigere possent, licitum esset ei, desertis parentibus, religionem intrare: quia filii non tenentur ad sustentationem parentum, nisi causa necessitatis.”⁵ Lex civilis in Neo-Eboracensi statu cogit filios parentibus inopibus et senio morboque laborantibus subvenire.⁶

96. Peccant filii bona parentum surripiendo, vel ea prodigendo. Peccant etiam indulgendo otio, dum litteris vacare debent, pecunia a parentibus ut discant soluta; vel negligendo negotia quæ iis gerenda committuntur. Restituere debent quæ clam abstulerunt et damna reparare pro viribus: sed in rebus levioribus, nonnumquam in gravissimis, parentum consensus vel indulgentia præsumi potest, qui licet ægre patiantur bonorum prodigentiam, vix exigunt reparationem, satis habentes ut desinant prodigere.

97. Discipuli magistros suos instar patrum vereri debent, iisque obtemperare in iis quæ spectant litteras colendas, et disciplinam:

(1) S. Alph. l. iii. n. 333.

(2) II. ad Cor. xii. 14.

(3) S. Thomas, 2. 2. qu. ci. art. ii. *Resp.*

(4) Matt. xv. 3.

(5) 2. 2. qu. ci. art. iv. *ad quartum.*

(6) Kent Comm. Vol. ii. p. iv. Lec. xxix.

nam parentum magistri gerunt vices. Peccat igitur graviter discipulus spernendo magistrum, eique repugnando cum aliorum offensione, et ordinis detrimento. Peccat etiam monita respuendo, et negligendo studia: qua ratione erga patrem injustus fit, quamvis plerumque restitutionem ob pecuniam frustra impensam, ut copia foret ei litterarum addiscendarum, pater non exigit.⁷

(1) S. Alph. l. iii. n. 333.

CAPUT IX.

DE QUINTO PRÆCEPTO.

Non occides.

§ I. DE HOMICIDIO.

98. DE animantium occisione non hic agi liquet ex eo quod in cibum homini concessa fuerint post diluvium :¹ sed vetatur ne vita eripiat homini, privata cujusquam voluntate : attamen publica auctoritate licere aliquando mortem inferre, ex plurimis legis sanctionibus quæ mortem inferendam statuunt, exploratum est. Scelus est immane vitam, quam dedit Deus, temere tollere ; quod augetur quo qui occiditur magis fuit innoxius, et interfectori sanguine conjunctus, vel dignitate et virtute illustris, vel alias reipublicæ necessarius. Abele occiso, Caino flagitium exprobravit Deus : “Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.”² Ut homines a tanto crimine abhorrerent, vetuit Deus Noe et ejus posteris ne se animantium potarent sanguine, mortisque pœnam cædis reis intentavit : “Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.”³ Hæc pœna omnium fere gentium legibus moribusque comprobatur, quoties cædes ex prævio consilio patrata est ; carcere diuturno, vel alia hujusmodi pœna, cædem de qua minus deliberatum est manente.⁴ Mandantes, adjuvantes, et consulentes eadem plectuntur pœna. Excommunicatio autem fertur in eum qui infidelibus mandat ut hominem Christianum occidant, iisque pollicetur mercedem.⁵

(1) Gen. ix. 3.

(2) Ibidem, iv. 10.

(3) Ibidem, ix. 6.

(4) “All murder which shall be perpetuated by means of poison, or by lying in wait, or by any other kind of wilful, deliberate and premeditated killing, or which shall be committed in the perpetration or attempt to perpetrate any arson, rape, robbery, or burglary, shall be deemed murder of the first degree : and all other kinds of murder shall be deemed murder of the second degree.—Every person, guilty of murder in the first degree, shall suffer death.” *Laws of Pennsylvania, Digest. art. Murder.*

(5) C. Pro humani, de homicidio in 6.

99. Homicidium quod casu contingit culpa caret, quodcumque quis rei licitæ vacat, diligentia necessaria ad alienum damnum vitandum adhibita.¹ Sic qui feras per sylvas persequitur, ubi nullatenus suspicatur hominem aliquem latere, immunis culpa est, licet casu eum interfecerit.² Si rei illicitæ det operam, quæ tamen nullum secum affert mortis periculum, homicidii reus non est, licet mors alicujus casu contigerit. Sic fur nonnumquam dum res alienas abripit socii manu interit, casu aliquo inopinato. Attamen secundum jura, si aliquis "det operam rei illicitæ, vel etiam det operam rei licitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis sequatur."³ Qui rem agunt periculosam simul et illicitam, nullatenus excusantur, licet mors contra eorum voluntatem eveniat. Sic percutientes vehementer hominem, quem nolunt occidere, si mors ejus sequatur, habendi sunt rei, quum eum manifesto mortis discrimini objecerint. Jure communi homicidium secundi gradus dicitur.⁴ Quod si ex vulnere hæud lethali mors sequatur medici imperitia, non erit homicidium.

100. Quum cædes vetetur, quæ mortem inferre possint simul vetita meritò censentur; ideoque mutilatio corporis alieni, verberatio, seu quæcumque percussio violenta prohibita est: sed delicti gravitas ex periculo vitæ vel injuria, vel contumelia illata dijudicanda est, quoties enim vita periclitatur, reus est cædis qui eam discrimini objecit. Ubi omne abest hujusmodi periculum, pro injuriæ et contumeliæ ratione gravis levisve est culpa. Homines rixantes plerumque peccant graviter; pueri a gravi culpa aliquando sunt immunes; sed dum adolescent, et injurias inferendi ardent cupidine, gravis delicti facile fiunt rei.

101. Qui præceptum hoc violarunt tenentur pro viribus ad repa-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxiv. art. viii.

(2) "Homicide *per infortunium*, or misadventure, is where a man, doing a lawful act, without intention of hurt, unfortunately kills another; as where a man is at work with a hatchet and the head thereof flies off, and kills a stander by." Blackstone, l. iv. n. 183.

(3) S. Thom. ubi supra. "When an involuntary killing happens in consequence of an unlawful act, it will be either murder or manslaughter, according to the nature of the act which occasioned it." Blackstone, l. iv. n. 193.

(4) "The killing of a human being without a design to effect death, in a heat of passion, but in a cruel and unusual manner." Chitty, note, n. 191.

randum damnum quod ex vulnere patitur qui injuria percussus est, vel quod uxori filiisve occisi hominis obvenit.

102. Utrum imminente mortis plurimorum periculo liceat aliquos interficere ad cæteros servandos, quæri potest: contigit enim non ita pridem nautas mari jactatos et scapha e naufragio evadentes, in mare projicere plures ad levandam scapham, quam mergendam alias timebant.¹ Fidenter dicimus id nullatenus licuisse, quum occidere privata voluntate hominem innoxium divinæ legi prorsus repugnet. Quod autem omnes verosimiliter perituri forent, non facit ut licuerit, quum infortunio id contingeret, quod impedire non debebant aliquorum nece.

§ II. DE SUI SUORUMQUE DEFENSIONE.

103. "Quamvis vim vi repellere omnes leges, et omnia jura permittant, tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendum vindictam, sed ad injuriam propulsandam."² Ita docet Innocentius III. Disputant quidem theologi utrum liceat se tueri alterum occidendo: sed intimus naturæ sensus, quo ad vitam servandam impellimur, fecit ut affirmans vicerit sententia,³ cui pontifex manifesto favet. Vis tamen illata juste, ex legis scilicet auctoritate, non potest vi repelli; nam Dei ordinationi repugnare convincitur, qui potestatis publicæ legitimo exercitio resistit. Homicidii reus idcirco habendus est qui satellitem eum capere conantem interficit. Quod si innocens ad mortem quærat ex legis auctoritate, nec supersit spes evadendi si capiatur, non audemus eum damnare vitam tuentem, etiam cum satellitum discrimine: nam lex in innocentem nil potest. Sunt etiam qui putant licere innocenti in judicio damnato resistere satellitibus injustam sententiæ exequentibus; quum huic nulla vis insit.⁴ Cæterum non licet innocenti custodem carceris interficere,

(1) Navis vocabatur William Brown e Liverpool portu Philadelphiam directa. Mense Junio. anno 1841, naufragium passa est.

(2) Cap. Significasti.

(3) Consule D. Thomam, 2. 2. qu. lxiv. art. vi. qui tamen non vult ut quis velit hominem occidere, quamvis se defendat cum mortis aggressoris certo discrimine. "Theologi communissime recedunt ab ea Thomistarum opinione, et tenent licitum esse quandoque intendere mortem inimici ut medium evadendi proprium periculum." Edit. cursus completi in Mayol. t. xiv. col. 619.

(4) De Lugo, aliique apud Carriere de justitia et jure, vol. ii. n. 789. Cardinalis Capisucchius, t. ii. qu. vii. cit. apud Mayol. Exp. viii. præc. art. iii. § iv. col. 1165.

ut evadat; vel alium aggredi qui actu vim non infert: nam sibi non debet consulere innoxiorum cæde. Si furiosus alicui vim inferat, nec sit ratio evadendi, nisi vitam ei eripiendo, sunt qui dicunt non licere eum interficere, quum injuria non sit vera, deficiente rationis usu, et aggressor peccato ante delirium forsitan inquinatus, in manifesto interitus discrimine sit: sed adversa nobis arridet sententia, nam jus habere videtur quisque a natura ut se tueatur contra quemque eum absque causa aggredientem. Id eo magis dicendum est de ebrii aggressionem quem repellere licet eum occidendo, quum sua culpa in discrimen se adduxerit.

104. Si quis occasionem dederit aggressioni contumelia, dubitant nonnulli utrum possit vitam tueri, aggredientem interficiendo: sed plerique affirmant; licet enim in culpa fuerit probrum proferendo, non ideo amisit jus ad vitam tuendam, quam alter injuria aggreditur: contumelia enim mortem non meretur. Imo dicit Mayol: "Adulter deprehensus in flagranti, et invasus a marito, potest licite se cum moderamine defendere, etiam cum ipsius occisione."¹

105. Actu aggressio fiat necesse est ut quis vim vi repellere dicatur, nec sufficit ut quis noscatur aggressurus: qui igitur novit ex indiciis aliquem se noctu velle interficere, non potest eum antea nil aggredientem tollere: quæ enim datur facultas se tuendi cum alterius discrimine extremam necessitatem respicit, nec ad alios facile extendenda est rerum casus. Censetur autem actu aggredi qui se manifestò parat ad aggrediendum; nec tenetur quis expectare, quum mora facultatem omnem resistendi tollere possit. Sic viator videns inimicum arma jam tollentem ut eum interficiat, poterit eum interficiendo prævenire, si alia nulla sit ratio evadendi.

106. Utrum quis possit se defendere cum vitæ innocentis discrimine quæritur, si v: g: post hunc lateat aggressor, nec facile possit discerni. Videtur non licere innocentem consultò interficere: quod si quis nequeat se tueri nisi cum manifesto innocentis discrimine, non videtur suo jure, a natura derivato, cadere, ideoque reus non erit, si mors innocentis sequatur, quæ aggressori potius erit impunita.

107. Sunt ex theologis qui docent licere viro nobili et honorato, præsertim militi, cui probro esset fugere, interficere eum qui sustem

(1) Exp. v. præc. art. vi. §. i. col. 623. Vide et Lessium de justitia et jure § i. c. ix.

vel alapam ei impingere conatur, si aliter probrum avertere nequeat. Ita Lessius.¹ Cæterum Sylvio assentimur dicenti: “Etiam si honor sit bonum præstantius quam divitiæ, aut nullum, aut rarissimum arbitramur esse casum, quo pro defensione solius honoris licet aggressorem interficere.”² Equidem honori alias consuli potest; et vana hominum æstimatio qua vindicta laudi habetur nihili est facienda.

108. Inculpata tutela exigit, ut si quis fuste, vel solo vulnere, vel amputatione brachii, vel aliter arcere valeat injustam vim, mortem non inferat. Cæterum sibi plerumque vix consulere potest cujus vita in discrimine est, nisi aggressorem interficiat. Fugere debet, saltem cui dedecori non foret, si discrimen fuga evadere possit: quapropter clerici et religiosi excusandi nullatenus forent si, dum se fuga facile servare possent, aggressores interficerent. Ebrius, vel amentis, injustam vim inferenti, unusquisque debet fuga se subducere, quæ probro haud foret, potius quam morte eum mulctare. Post injuriam jam irrogatam certe non licet sibi morte irrogantis satisfacere nam vindicta Christi lege vetatur: nec licet calumniam illaturo mortem irrogare, quum atrox nimis sit hæc famam tuendi ratio. Damnata idcirco est ab Innocentio XI. propositio: “Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat; et post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.”³

109. Ex aliis damnatis propositionibus quas recitare juvat, certa quædam hæc in re principia colliguntur. 31. “Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.” 32. “Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.” 33. “Licitum est tam heredi, quam legatario contra injuste impediens ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra earum possessionem injuste impediens.” Propositio 18. ab Alexandro VIII. damnata: “Licet interficere falsum accusatorem,

(1) De just. et jure § ii. c. ix. Dub. xii.

(2) In 2. 2. qu. 64. art. 7. qu. 9. Ita et Mayol. Expos. v. præc. art. vi. § 4. col. 436. Paley dicit: “This liberty is restrained to cases, in which no other probable means of preserving our life remain, as flight, calling for assistance, disarming the adversary, &c.” L. iii. p. ii. ch. i. *Moral Philosophy*.

(3) Prop. xxx.

falsos testes, ac etiam iudicem, a quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.”

110. Ex damnata propositione quam primò recitavimus, liquet non licere pro re temporali parvi momenti tuenda furem occidere. Utrum autem etiam pro re maxima id liceat, controvertitur inter theologos, clero Gallicano iis assentiente qui negant, eo quod vita aliena temporalibus nostris possessionibus sit anteponenda: “Quomodo enim,” verbis Evodii apud Augustinum utuntur “sunt isti peccato liberi, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?”¹ Communissima tamen et probabilissima sententia affirmat; nec enim tenemur bona nostra cedere, ut ejus vitæ consulamus qui sponte se exponit mortis discrimini.² Imo docet S. Alphonsus, post alios, “licere furem eminus telo occidere, si ipse rem asportet, et præmonitus de suo periculo, eam nolit dimittere.” Si rem furto ablatam statim recuperare velis, furque resistat, licebit, juxta plures, eum interimere, si nulla alia suppetat ratio eam recuperandi. Quæ autem res magni momenti habenda sit, ex personæ cui aufertur conditione maxime pendet: res scilicet magna erit, qua sublata, non poterit se suosque quisque sustentare. Cæterum licebit etiam diviti magnam pecuniæ summam sibi servare, etiam vita invasori ablata. Clerici eodem quo cæteri jure fruuntur sua servandi, ideoque irregulares non fiunt si aggressores interficiant ad bona maximi valoris servanda. Eos tamen maxime dedecet bona exigua cum vitæ alienæ jactura defendere: quapropter jure damnavit Pontifex Religiosos quosdam, quorum alter interfecit duos latrones vestes ei eripere conantes, quum mortis periculum haud immineret, “quoniam expediebat potius rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus et transitoriis, tam acriter in alios exardescere.”³

111. Famuli etiam dominorum suorum bona ut defendant, possunt fures, ea ratione qua domini, interficere. Imo alius quilibet, juxta plures theologos potest bona proximi pari ratione tueri.

112. Aggressorem pudicitia, si aliter repelli nequeat, licet interficere, “quia,” ut ait S. Antoninus, “mulier utitur jure suo naturali, quo licet vim vi repellere, et magis tenetur salutis suæ providere,

(1) L. i. de lib. arb. c. 5.

(2) Vide S. Alphons. l. iii. n. 383. et Mayol. Expos. v. præc. art. vi. § 3. col. 629.

(3) C. *Suscipimus*, de homicid.

quam alienæ; nam exponit se periculo consentiendi actui peccati, permittendo se opprimi, propter difficultatem voluntatis.”¹ “Et hic bene advertunt Lugo et Roncaglia,” ait S. Alphonsus, “quod non solum licebit puellæ, dum actu violenter tangitur ab altero, sed etiam immediate post, eum percutere alapis, pugnis, fuste, et etiam ictibus non periculosus.”²

113. Vitam proximi etiam licet defendere, injustum invasorem occidendo. Magistratus, milites, alique specialiter præpositi vel conducti ad civitatem defendendam, tenentur aggressores repellere etiam morte, si opus sit, irrogata: imo, si salus Reipublicæ periclitetur, suam vitam debent discrimini objicere, aggressores ut repellant. Utrum alius quisvis teneatur ex charitate vitam innocentis, aggressorem interficiendo, tueri, non una est theologorum sententia. Negant Lessius, Lugo, alique quibus assentiri videtur S. Alphonsus,³ contententes charitatem non exigere ut vitam temporalem innocentis morti æternæ aggressoris anteponamus, præsertim quum natura abhorreat a humano sanguine fundendo, et quis se inimicitii, judiciis, aliisque incommodis alium occidendo se objiciat. Excipit tamen Sporer, si invasus sit parens, filius, uxor, aut frater, quia tunc pietas obligat ad eos tutandos. Recte etiam excipit Tournellius, si occidendus sit ebrius, et in statu peccati mortalis, quia est vere in extrema necessitate animæ: quem tamen licet interficere, ut alter, quem injuste aggreditur, servetur, innoxius enim jus habet ad vitam.

114. Docet quoque S. Alphonsus, cum aliis, “fas esse pariter occidere invasorem pudicitiae, vel honoris proximi, si invasio fiat facto, scilicet percussione, &c. secus, si tantum per verba.”⁴ “Quando autem femina consentit, vel saltem, si positive non resistit, non licet ejus pudicitiae invasorem interficere, quia tunc non esset vim vi repellere. Si vero femina sit tibi consanguinitate valde propinqua, dicunt Lessius, Sporer n. 173, et cum aliis Salmanticenses, quod posses, etiam femina ad copulam consentiente, ejus invasorem occidere, si aliter tuam infamiam evitare nequeas. Hæc autem intelligenda ante factum, nam ipso facto, vel post, certe non licet occidere, ut patet ex propositione 20 damnata ab Alexandro VII. “Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.” Hæc tamen propositio damnata videtur, quia marito

(1) P. 2. t. 5. c. 6.

(2) L. iii. n. 386.

(3) L. iii. n. 390.

(4) Ibidem, 391.

tribuit *jus propria auctoritate* occidendi adulteram; re enim vera *jus Cæsareum* ei non eam facit facultatem, quamvis permiserit patri *jus occidendi adulterum cum filia*.¹ Cæterum neutrum ex lege Christi licet.²

115. “Dicendum nos teneri ex charitate defendere etiam bona proximi, quando commode possumus, aut cum levi nostra jactura, non vero cum gravi.”³

116. Directa intentione nunquam licet innocentem occidere, nisi Deus, vitæ et mortis arbiter, concesserit. Quapropter exigente hoste ut innocens quispiam occidatur, non liceret eum interimere etiam reipublicæ servandæ causa: videtur autem pluribus theologis licere innocentem tradere hosti, etsi prævideatur occidendus, si alias averti nequeat patriæ clades: quia iis in rerum adjunctis tenetur innocens ad se discrimini obijciendum ut reipublicæ consulat;⁴ quod tamen gravissimi theologii negant.⁵ Virginem autem violandam tradere dicunt omnes non licere, nec enim ipsa tanto se discrimini potest obijcere.⁶ Licet dum urbs expugnatur, vel alias bellum geritur, tormenta bellica in hostes dirigere, etsi innocentes cum hostibus perituri sint: præter intentionem enim innocentium mors accidere censetur, quum hostium vim inferentium interfectio tantum quærat. Hinc urbe capta infantibus, mulieribus, senibusque parcendum est.

§ III. DE ABORTU.

117. Hominis occisi rei habentur qui fœtum in utero extinguere, et ante tempus ejicere, abortum faciendo student. Distinguere solent theologii inter fœtum inanimatum, qui scilicet primus concipitur, et animatum, cui accessit, Deo creante, anima. De tempore quo id contingit variæ sunt sententiæ, nonnullis animam statim infundi opinantibus, aliis nonnisi in partu; quorum tamen opinio a sede Apostolica rejecta est damnata, ab Innocentio XI. hac propositione: “Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero est, carere anima rationali et tunc primum incipere eandem habere cum paritur, ac

(1) L. Marito 20 π . de adulteriis.

(2) Lessius de justitia et jure, § ii. c. ix. Dub. v. n. 16.

(3) S. Alph. l. iii. n. 391.

(4) Mayol Expos. v. præc. art. v. § Unica, col. 605.

(5) Vide apud Carriere de just. et jure, n. 749.

(6) Lessius de just. et jure § ii. c. ix. dub. vii. n. 40.

consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi:” sed plerisque placuit quadragesimum adsignare diem masculis, octogesimum fœminis: quæ ratio discriminis in Curia obtinet.

118. Ingens abortus scelus Sixtus V. gravissimis ultus est pœnis,¹ quas aliquatenus mitigavit Gregorius XIV.; qui tamen statuit abortum fœtus animati iis subjacere, excommunicationi scilicet, ab episcopo, vel sacerdote ab eo delegato, solvendæ; et irregularitati Pontifici reservatæ.² Quoties autem de genere fœtus non constat, pœnæ ab octogesimo die computantur, qui scilicet fœtum ante id temporis a conceptu elapsus extinxit, censuris ligatus non censetur. Lege civili abortus hujusmodi homicidium olim habebatur.³ Cæterum fœtus etiam inanimati abortus grave est crimen, quod nulla ratione excusari valeat, quum vitæ hominis obstet: quapropter damnavit Innocentius XI. propositionem: “Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa grvida occidatur, aut infametur.”⁴ “Nobis,” inquit Tertullianus, “homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est prohibere nasci; nec refert natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem. Homo est qui futurus est, nam fructus in semine est.”⁵ Constat numquam licere abortum procurare, quum res per se mala sit impedire ne homo nascatur, qui in semine jam est. Quod si vis facta sit invitæ, non audemus eam damnare semen ejicere conantem statim post coitum, nondum enim possidet, et veluti invasor injustus repellitur:⁶ secus si semel pacificam possessionem obtinuerit. In coitu autem utique potest impedire ne semen recipiatur.⁷

119. Quærent theologi utrum liceat matri ægrotanti præbere medicinam, cum abortus periculo. Equidem si fœtus nondum sit animatus, facile concedunt plerique licere medicinam porrigere ad

(1) Constitutione: *Effrœnatam*.

(2) *Constit. Sedes Apostolica*. anno 1591.

(3) “But the modern law doth not look upon this offence in quite so atrocious a light, but merely as a heinous misdemeanor.” *Blackstone*, l. 1. n. 130.

(4) *Prop. 34. inter damnatas*.

(5) *Apol. c. ix. Vide et Jer. Taylor, Duc. Dub. l. iv. c. 1. Vol. 2. p. 488.*

(6) *Ita Sanchez, l. 2. Dist. 22. n. 17. Contra sentit, S. Alphonsus de Lig. l. 9. n. 954.*

(7) *S. Alphonsus, ibidem*.

matrem sublevandam, quamvis aliquod periculum sit ne fœtus ejiciatur: hoc scilicet præter consilium et voluntatem contingit, dum mater jure utitur suo ad recuperandam valetudinem. Sic benignam purgationem, vel modicam venæ sectionem balneumve adhibere licet. Si fœtus sit animatus, cautius procedendum est, ne anima intereat: cæterum periclitanti matri licet remedia præbere quæ ad ejus levamen tendunt, “quando aliter certò moraliter judicatur mater cum prole moritura.”¹ Utrum id liceat, spe affulgente prolem baptizari posse, matre intereunte, quærunt theologi, quorum plerique negant, “salus enim æterna illius evidenter prævalet vitæ temporali matris.”² Sed revera vix unquam spes illa probabilis adest, fere certum enim plerumque est fœtum, moriente matre, simul interire.³ Id tamen prore explorata haberi debet, numquam licere pharmacum dare, quod ad abortum dirigatur, v: g: ut comprimatur caput in utero, ad egressum faciliorem: nec licere instrumentis fœtum vivum excindere, ut per partes extrahatur: hæc enim est hominis occisio, quæ per se mala est, ideoque ne quidem ad vitam matris servandam potest licere. Quod autem uterque intereat nisi matri subveniatur, ex naturalibus causis contingit, nulla alicujus culpa: quum peccaret e contra qui alteri cum alterius gravamine succurreret. Locum igitur habet Ambrosii monitum: “Si aliter subveniri non possit, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvare, quam alterum gravari.”⁴ Aliter quidem se habet plerorumque medicorum sensus et consuetudo, qui putant matri omnino subveniendum, Tertulliano, uti videtur, illis suffragante: “In ipso adhuc utero infans trucidatur, necessaria crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum, matricida, ni moriturus.”⁵ Si constet fœtum intra uterum jam extinctum esse, utique licet instrumentis eum per partes educere.

120. Utrum teneatur mater incisionem pati quam dicunt *Cæsaream*, quando nulla est spes fœtum vivum via consueta educendi, quæritur. Iis assentimur qui negant eam teneri,⁶ quum durissima sit et periculi plena; quamvis utique censeamus ei licere suo periculo fœtus salutem consulere, præsertim quum chirurgi periti opera res felicem

(1) Ita S. Alphonsus post Habert, l. iii. n. 394.

(2) Not. Edit. ad Mayol. Expos. v. præc. art. v. col. 612, in *Cursu Completo Theologiæ*, Vol. xiv.

(3) S. Alphonsus, l. iii. n. 394.

(4) L. iii. de officiis, c. 9.

(5) L. de anima, c. xxv.

(6) Mayol. Expos. v. præc. col. 613.

exitum habitura videatur. Plurima exempla referuntur a Cangi-
mila in opere dicto *sacra Embryologia*; sed et in hac ipsa urbe in
qua scribimus, est mulier quæ bis ante aliquot annos incisa est, puel-
la et puero ex latere eductis, qui vivunt adhuc et vigent, matre cum
illis bona valetudine fruente. Cæterum neminem nisi peritissimum
chirurgiæ debere id aggredi liquet. Sectio autem uteri, matre mor-
tua, non tantam exigit peritiam, et facienda est statim, quoties ulla
est spes fœtum adhuc vivere: ita enim præscribit Rituale Roma-
num.¹

§ IV. DE SUI IPSIUS CÆDE.

121. Quum occidere vetet lex, seipsum nemini licet interficere:
quod ipsi naturæ dictamini et instinctui prorsus repugnat. Equidem
Deo, auctori nostro, fit injuria, dum quis mortem sibi consciscit,
haud expectato vitæ termino quem summo arbitrio constituit. Igitur
nec vitæ ærumnarum tædio, nec peccandi metu, nec Dei adipiscendi
desiderio mortem appetere licet: "Hoc dicimus," inquit Augustinus,
"hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus: neminem spon-
taneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias tem-
porales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata,
ne hoc ipso incipiat habere gravissimum proprium, quem non pollue-
bat alienum; neminem propter sua peccata præterita, propter quæ
magis hac vita opus est, ut possint pœnitendo sanari; neminem
velut desiderio melioris vitæ, quæ post mortem speratur; quia reos
suæ mortis melior post mortem vita non suscipit."² Furor ille se
interficiendi ex pudore vehementi ob delictum admissum, vel ex
ærumnarum tædio plerumque nascitur, et animum prodit infidelem,
cui de rebus futuri sæculi aut nulla aut incerta est sententia: qua-
propter apud Gallos maxime increvit ex quo in fidem Christianam
debaçchati sunt Voltairius aliique. Sepultura ecclesiastica privantur
suæ mortis auctores,³ si sui compotes fuerint, quod haud facile
creditur.⁴

122. Tamquam gravissimi criminis rei merito habiti sunt sæculo
quinto Circumcelliones e Donatistarum secta, "nam per mortes va-
rias, maximeque præcipitiorum, et aquarum, et ignium seipsos ne-

(1) Tit. vii. de bapt. putris.

(2) L. i. de civ. Dei, c. xxvi.

(3) Rit. Rom. de exequiis.

(4) Molina t. iv. tr. iii. D. xx. n. 11.

care consueverunt.”¹ Argumentabatur Augustinus hoc pacto: “Si non licet privata potestate hominem occidere vel nocentem, cujus occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam qui se ipsum occidit, homicida est.”² Nemo est qui animo non sentiat hujus delicti magnitudinem, qua homo ipsi naturæ instinctui repugnans, vitam qua, Dei beneficio, fruitur, sibi audet eripere.³ Profectò qui negarunt sui cædem criminis loco habendam, totius humani generis sensui et iudicio repugnare noscuntur: qui autem mortem sibi consciverunt, vel mentis furore abrepti sunt, vel gravissimis quibus premebantur malis finem quærentes, de futura sorte incerti præcipites se dederunt, criminis quod patrabant conscientiam ipso actu sæpissime prodentes.

123. Adeo repugnat naturæ instinctui ut quis se interficiat, quod civilis potestas nequeat ullo rerum casu id præcipere, etiam damnato capitis. Nec licet huic cibum omnem recusare ut in carcere intereat. Sed neque excusatur sui cædes quod quis in proximo vim patiendi et pudicitiam amittendi discrimine versetur, uti recte monet S. Thomas: “Non licet mulieri seipsam occidere, ne ab alio corumpatur: quia non debet in se committere crimen maximum, ut vitet minus crimen alienum; non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit.”⁴ Qui autem ex vehementissimo dolore et pudore ob flagitium patratum, et periculum iterati lapsus vitam sibi eripit, ignominiam apud homines fugit, vel specialem flagitii turpitudinem odit, novo tamen peccato se obstringit.

124. In gravi reipublicæ necessitate, licet vitam manifesto obijcere discrimini, quin quis quid faciat quo sibi vita tollatur; nam communis necessitas facit ut liceat singulis suam exponere vitam; sed naturæ instinctus obstat ne eam sibi tollat. Sic miles cum certo vitæ discrimine stationem occupat, vel in medios irruit hostes, vel pulverem incendit, vel navim, ad hostes perdendos, ipse cum illis verosimiliter periturus: quod tamen vix licet si nulla prorsus sit sibi spes evadendi;⁵ quamvis aliqui id excusent ob communem suorum utilita-

(1) S. Aug. de hær. ad Quodvultdeum, n. lxxix.

(2) De civ. Dei, l. 1. c. xviii.

(3) Leves admodum rationes proponit Paley cur sui ipsius occisio non videatur licere: parvi faciens ipsum naturæ instinctum et iudicium. *Moral Phil.* l. iii. *Of Suicide.*

(4) Qu. lxxiv. art. v. ad 3.

(5) Mayol Expos. v. præc. art. iv. § 2. *Quæres quinto.*

tem. Ob virtutis eximiae exercitium vitam etiam exponere sancti consueverunt, inserviendo peste afflictis: quod sane maximam meretur laudem. In plurimorum periculo non licet aliquibus se ipsos interimere ut cæteri seruentur: cæterum se projicere in mare ne scapha multitudine mergatur, “ non est directe se interimere, sed exponere se periculo, ut ab undis, deprimenti corporis pondere, vincatur.” Ita de eo qui alteri permittit tabulam a se occupatam scribit Lessius: ¹ quod virtutis exercitium videtur si alterius vita sit valde utilis. Sic qui sacerdotis vitam suo manifesto dissimine servat, ex Religionis et utilitatis omnium studio, laudandus est.

125. Ad servandam castitatem licet se mortis discrimini obicere, magnum est enim ejus pretium, magnumque imminet periculum consensus in voluptatem pravam. Plurimi idcirco tenent puellam debere mortem subire potius quam stupratoro repugnare desinere; sed sunt qui putant eam excusari, si tanta formidine oppressa desinat repugnare, quin ullatenus stuprantem adjuvet, vel ei consentiat. ² “ Nec potest quieta remanere et passive se habere, id est absque subtractione positiva sui corporis, aut aliquo motu huic contrario, sed debet quantum potest membrum et semen virile non recipere, continuò se agitando, retrahendo, stringendo crura, &c.” ³

126. Reo licet non fugere, imo se judici sistere et crimen fateri, quod morte plectendum novit, nam non censetur arcessere sibi mortem, sed nolle eam se celando effugere. Nequit tamen mortem sibi consciscere, etiam ex judicis præcepto, quum natura repugnet.

127. Licet carnem suam vigiliis et inedia moderate affligere, pœnitentiæ causa et ut libido dometur, etsi vita inde sit brevior futura: nam virtutis studio licet id facere quod tot literarum faciunt amore, vel lucri causa: sæpe scilicet noctes ducunt insomnes, gravibusque laboribus se fatigant. Sed excessus omnis qui mortis periculum affert vitandus est.

128. Non licet se mutilare ad castitatem servandam, nam libido ea ratione non extinguitur, et corporis humani integritas cum Creatoris injuria læditur. Hinc pluribus conciliorum decretis id vetitum est. ⁴ Quod autem dicit Christus: “Sunt eunuchi qui se ipsos cas-

(1) De just. et jure § ii. c. ix. dub. vi. 31.

(2) Mayol Expos. v. præc. art. iv. § 1. *Hinc inferitur tertio.*

(3) Ibidem, art. vi. § 5. col. 641.

(4) Can. xxii. Apost. *Si quis abscondit*, dist. 55. *Can. significavit*, de corp. vitiat. *Can. qui partem*, et can. 1. Conc. Nic.

traverunt, propter regnum cœlorum;”¹ non est prout sonat accipiendum, uti colligitur ex eo quod distinguuntur ab iis qui ab hominibus facti sunt, et constat manifestò ex patrum veneranda auctoritate,² et Ecclesiæ perpetuo sensu; sed de vita cœlibe propter regnum cœleste suscepta. Irregulares sunt qui temere et sponte mutilati sunt: non autem qui inviti vel medicorum jussu; nam injuria quam passi sunt augetur pœna, et necessitas toti corpori consulendi excusat medicis obtemperantem. Obtinet alicubi mos ut pueri evirationem patiantur, ad vocis suavitatem conservandam:³ quem theologi nonnulli excusant ob cantus ecclesiastici utilitates, ne feminæ viris admixtæ cantant, prout apud nos: alii damnant.⁴ A sensu moribusque nostris prorsus abhorret: sed et mores nostri, quibus feminæ cum viris cantant, magna pariunt incommoda.

129. Utrum alias liceat se mutilare, manum præcidendo, aurem, nasum, vel aliud membrum, ad placandum tyrannum, et ad vitandum mortem, disputatur inter theologos, nonnullis negantibus, quum homo non sit suorum membrorum dominus; aliis affirmantibus, eo quod sit homini jus vitam servandi cum partium corporis jactura. Inter hos Lessius numeratur, qui et sanctas laudat virgines, quæ nares sibi præciderunt ad evitandam petulantiam tyranni.⁵

130. Ægroti qui remedia temere recusant adhibere, cum manifesto vitæ discrimine, vix excusantur a peccato lethali, “a Deo est enim omnis medela.—Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.”⁶ “Verum,” inquit Mayol, “quia vix de hoc (*remedii scilicet efficacia*), haberi potest certitudo, ideo non videntur de peccato lethali damnandi, qui in universum ab omnibus

(1) Matt. xix. 12.

(2) S. Ambros. l. de viduis, cap. xiii. S. August. l. vi. contra Julianum c. xiv. S. Basilius l. de vera Virginitate, et ep. 87. S. Chrysostom. hom. lxii. in Mat. n. 3. “We have it from our Saviour himself, in that very chapter where he inculcates the institution of marriage, that as there are some persons who are incapacitated for it by nature, and others who have been made so by men; so there are some who for the kingdom of God’s sake have abridged themselves of the use of it, and those that can receive it are permitted by our Saviour to do it.” Trowerson, Explication of Decalogue, p. 383.

(3) Bened. xiv. de syn. dioc. l. xi. c. vii.

(4) Mayol Expos. v. præc. art. iv. § 2. sub finem.

(5) De justitia et jure, § ii. c. ix. Dub. xiv.

(6) Eccli. xxxviii. 2. 4.

pharmacis abstinent.”¹ Cæterum nisi indoles peculiaris, vel naturalis quidam pharmacorum horror eos excuset, non videntur gravi culpa immunes, quum nolint remedia quibus forsitan conservanda sit vita adhibere. Equidem excusantur, quoties remedium durissimum est, cruciatum corpori inferens, vel pudori valde repugnans. “Hinc puella aut femina cancro aliove morbo in verendis et secretis partibus laborans, non tenetur admittere inspectionem ac curationem a medicis et chirurgis, quamvis licite possit. Ratio est quia plerumque ob custodiam pudicitiae ab hoc non minus abhorrent feminae quam ab ipsa morte.”² Adjungit Mayol: “Hinc laudantur quidam viri graves et perfecti, calculo laborantes, qui in his partibus se tangi aut inspicere ad morbi curationem omnino recusarunt, dicentes se satis vixisse, si aliud non suppeteret remedium ad vitandam mortem.”³

§ V. DE MALEFACTORUM SUPPLICIO.

131. Malefactores occidi posse negarunt Waldenses;⁴ Scotus docuit mortis pœnam iis tantum criminibus decerni posse, quæ in Scripturis ea punienda dicuntur ex veteris legis auctoritate: theologi verò, cum D. Thoma, passim docent supremam civilem auctoritatem mortem posse irrogare reis quorum facinora grave inferunt reipublicæ detrimentum. “Quælibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut pars ad totum, et ideo si aliquis homo sit periculosus communitati, et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur.”⁵ Equidem, Deo ipso sanciente, pluribus delictis ea olim adsignata est pœna; quam Dei nomine decerni et irrogari, etiam ab ethnicis imperatoribus, ex S. Pauli ad Romanos, ethnico subditos imperio, dictis, liquet; ait scilicet “principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac; et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.”⁶ Ita quidem et principes Christiani gladio semper consueverunt uti in criminum vindictam, nemine inculpante eos mandati divini violati:

(1) Expos. v. præc. art. iv. § i. *An autem*, col. 588.

(2) *Ibidem*, § ii. col. 591.

(4) Guido Carmelita cit. ab Alphonso a Castro adv. hæc. l. xi. v. *Occidere*.

(5) 2. 2. qu. lxiv. art. ii. *Resp.*

(3) *Ibidem*.

(6) Rom. xiii. 3.

quapropter constans ecclesiæ doctrina et traditio agnovit hanc esse penes eos potestatem. Æquum quidem est et necessarium, perspecta hominum indole vitiosa, ut mortis pœna quandoque irrogetur ad facinorosos homines coercendos, qui, tanta pœna haud imminente, in omnia scelera proni ruerent, et societatis ordinem et singulorum jura penitus subverterent: "Occidere malefactorem licitum est," inquit S. Thomas, "in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis."¹ Cæterum clerici nequeunt mortem reis inferre, etiam ex legis auctoritate, "quia sunt electi ad altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi occisi: qui cum percuteretur, non repercutiebat, ut dicitur, 1 Pet. ii. Et ideo non competit ut clerici sint percussores, aut occisores."²

132. Cæterum severitati legum modus ponendus est; constat enim facinora aliquando augeri numero et gravitate ex nimio legum rigore, quo tollitur criminum discrimen: qui enim pœnam capitis sibi imminere novit ex delicto leviori, ad gravissima patranda nonnunquam impellitur, dum nullam sperat salutem. Homines etiam supplicii intuendis assueti in vitiis obdurescunt, et fiunt ad flagitia immania proclives. Si mortis pœna decernatur ob crimen fictum, quale est cultus divini exercitium, occisio est injusta, et homicidæ habendi sunt omnes qui operam præstant legis iniquæ et sententiæ executioni. Idem dicendum si ob culpas quæ gravius non inferunt damnum societati pœna illa statuatur; vel si tribunalis vel privatorum arbitrio relinquatur ut mors temere irrogetur, nulla fere forma judicii servata.³ In bellis autem et in motibus civilibus summaria habentur judicia. Sed quæ nonnullis in locis aliquando usurpata est a civibus potestas reos pro arbitrio judicandi et puniendi statim, etiam pœna capitis, ab omni justitia et ordine publico abhorret, estque immane facinus.⁴ Vetat sane constitutio Americana, prout

(1) 2. 2. qu. lxiv. art. iii. "Civil society has an undoubted right to use the means requisite for its preservation, and the punishment of murder with death accords with the judgment and practice of mankind." *Kent's Comm.* Vol. ii. n. 14.

(2) S. Thomas, 2. 2. qu. lxiv. art. iv. *Resp.*

(3) "Whenever the constitution of a state vests in any man, or body of men, a power of destroying at pleasure, without the direction of laws, the lives or members of the subject, such constitution is in the highest degree tyrannical; and whenever any laws direct such destruction for light and trivial causes, such laws are likewise tyrannical." *Blackstone*, l. i. n. 134.

(4) "The common law does never inflict any punishment extending to life or

emendata est, ne quis absque iudicii ordine, vita, libertate, vel rebus suis spoliatur.¹

133. Aliquando damnantur aliqui læsæ majestatis absentes, et propter contumaciam proscribuntur: quos extra legis protectionem idcirco positos olim licuit cuiquam interficere.² Jam verò id non licet, nisi resistant eos capere volentibus, vel nisi verbis perspicuis ea fiat a republica potestas, quæ gravissimam postulat causam.³ “Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur: et tanto amplius quanto sibi potestatem a Deo non concessam usurpare non timuit.” Ita S. Thomas,⁴ juxta mentem Augustini.⁵

§ V. DE TYRANNORUM NECE.

134. De tyrannis asseruit nonnemo quemlibet eos posse interficere, etiam juramenti fide neglecta, quam propositionem damnavit concilium Constantiense: “Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias et subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocumque præstito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia vel mandato iudicis cujuscumque.”⁶ Nostri non interest quæstionem illam discutere, utrum

limb, unless upon the highest necessity; and the constitution is an utter stranger to any arbitrary power of killing or maiming the subject without the express warrant of law.” Ibidem. Dicit Mayol post Cajetanum. “Nec excusat auctoritas principis hoc mandantis, etiamsi illi constaret quod iste meretur mille mortes.” Expos. v. præc. art. i. *Dico secundo. Probatur.*

(1) “Nor (*shall any person*) be deprived of life, liberty, or property, without due process of law.” Amendments, art. v.

(2) Mayol. Expos. v. præc. art. i. *Quæres secundo.* “Though anciently an outlawed felon was said to have *caput lupinum*, and might be knocked on the head like a wolf, by any one that should meet him; because having renounced all law, he was to be dealt with as in a state of nature, when every one that should find him might slay him: yet now, to avoid such inhumanity, it is holden that no man is entitled to kill him wantonly or wilfully; but in so doing is guilty of murder, unless it happens in the endeavour to apprehend him.” Blackstone, l. iv. n. 320. Vide et Jeremias Taylor, Duct. Dub. l. iii. c. 2. p. 109.

(3) Vide Carriere, de justitia et jure, vol. ii. n. 770.

(4) 2. 2. qu. lxiv. art. iii. *Sed contra.*

(5) L. i. de civ. Dei. c. xxi. et c. xxvi.

(6) Sess. xv. die 6 Julii, 1414.

liceat toti genti, per suos delegatos, non tantum spoliare regno supremum principem,¹ sed et capitis damnare ob abusum potestatis, et ad rempublicam ab iteratis ejus conatibus servandam: apud nos quippe præses, qui supremus est magistratus, ad quadriennium tantummodo gubernat, et si interim deliquerit, poterit juxta legem coram supremo Senatu judicari, primario giudice supremæ curiæ præside, et si duæ ex tribus partibus ita censeant, damnari.² Dubitari nequit eum, si reus probetur, sententiam subire debere ex legis auctoritate latam, quæ tamen eo casu vitam non afficit. Cæterum si delictum alias pœnam capitis mereatur juxta communes legum sanctiones, poterit deinceps coram consueto tribunali judicari et damnari.

135. Quod spectat ad reges, vel imperatores, olim nonnumquam a pontificibus Romanis depositos, putamus id contigisse ex sæculorum illorum moribus, et principiis juris a plerisque gentibus tunc agnitis: quum enim juramento principes designati sese consueverint ligare ad servandum regni consuetudines et jura Ecclesiæ, et subditorum; qui ea tyrannide violabat, censebatur regnandi jure decidisse, quando supremus pontifex, penes quem imperator juramentum emiserat, regibus penes episcopum jurantibus, eum violati pacti reum judicaverat, sive in sacro episcoporum senatu, sive judicio haud adeo solemnium. Inde autem non sequebatur licere cuiquam regem vel imperatorem depositum interficere: sed facta populo vel electoribus potestate alium in ejus locum sufficiens, si pergeret alter jura solii sibi vindicare, plerumque armis certabatur, inter designatum et depositum principes. Immane est et inauditum pontifices hortatos esse, ut vita deposito regi eriperetur, vel quidquam fieret contra regnantium legitima jura, prout ex communi gentium christianarum sensu tunc intelligebantur. Quod si facinora patrata sint aliquando, contigit ex

(1) Dicit S. Thomas, de seditionis crimine agens: "Regimen tyrannicum non est justum, quia non ordinatur ad bonum commune, sed ad bonum privatum gentis: ut patet per Philosophum in 3 Politicorum et in 8 Ethic. Et ideo perturbatio hujus regiminis non habet rationem seditionis, nisi forte quando sic inordinate perturbatur tyranni regimen, quod multitudo subjecta majus detrimentum patitur ex perturbatione consequenti, quam ex tyranni regimine. Magis autem tyrannus seditiosus est, qui in populo sibi subjecto discordias et seditiones nutrit, ut tutius dominari possit. Hoc enim tyrannicum est, cum sit ordinatum ad bonum proprium præsentis, cum multitudinis nocumento." 2. 2æ qu. xlii. art. ii. *Ad tertium.*

(2) Constitution of the United States, Art. i. Sect. iii. n. 6, 7.

privatorum vitio: quod dicendum omnino de Henrici III. et Henrici IV. apud Gallos interfectione. Ex animis furore fanatico vel infidelitate efferatis, Carolo I. Anglorum et Ludovico XVI. Gallorum regibus, mors contigit infanda. Equidem non diffitemur aliquem tradidisse licere invasorem regni, cui nulla suffragatur juris species, e medio tollere ut patriæ oppressæ subveniretur, qui tamen dixerunt "necessarium esse, ut constet illum esse injustum invasorem. Si enim aliquod probabile jus habet, non censetur tyrannus, unde non licet interficere."¹ De rege legitimo, cujus potestas in tyrannidem desinit, alias docet, nisi in legitimis reipublicæ comitiis fuerit regno depositus, et hostis patriæ declaratus, qui scilicet pergit sibi regni jura usurpare, et conculcare cives: "Adde si tantum excrescat tyrannis," inquit Lessius, "ut non videatur amplius tolerabilis, nec ullum aliud remedium supersit, primum a republica, vel comitiis regni, vel alio habente auctoritatem, esse deponendum et hostem declarandum, ut in ipsius personam liceat quidquam attentare. Tunc enim desinit esse princeps."² Hæc tamen placita nostra non facimus.

§ VII. DE DUELLO.

136. *Duellum* dicitur duorum bellum, seu certamen ex condicto factum. Mediis sæculis innocentia vel scelus alicujus ex duelli eventu dijudicabatur, plerisque vanæ credulitati indulgentibus, Deum innocenti pugnanti adfuturum, ne interficeretur. Superstitione hac jam excussa, honoris specioso nomine plerique certaminis hoc genus detestandum excusant. *Fictum duellum* nonnulli putabant licere a vitandam infamiam: eorum tamen sententiam rejecit Clemens VIII.³ vetando duella etiam non fatalia. Et re quidem vera fingentes se singulari certamine pugnare aliis sunt scandalo, dum pravam consuetudinem suo exemplo firmant.

137. Verum duellum aliquando licere ex publica auctoritate, ob causam publicam, ad bellum duorum discrimine definiendum, existimant nonnulli, Davidis singulari certamine cum Goliath congressi exemplo moti: licet quippe fortunam belli inde experiri, quum sic

(1) Lessius, de justitia et jure, § ii. c. ix. dub. iv. n. 9.

(2) Ibidem, n. 12.

(3) In Const. *Illius vires*.

utrique exercitui consulatur.¹ Privata verò auctoritate non licet provocare ad pugnandum; nec provocationem acceptare; quamvis aggressorem liceat repellere; et, si ipse offerat gladium, aut ballistam igneam, iis etiam uti, vel tela si præsto sint arripere, nulla fugiendi absque dedecore suppetente occasione. Provocatus igitur ad duellum potest suo honori satis consulere, protestando se, utpote Christi lege devinctum, singulari certamini non posse se committere; tamen ad omnem injuriam repellendam sæper paratum. Nec licet notam ignaviæ evitandi causa, vel officii amittendi metu, provocationem acceptare. Hac in re habendæ sunt præ oculis propositiones a Benedicto XIV. damnatæ. 1. "Vir militaris, qui nisi offerat et acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, acceptet duellum. 2. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse sequuturam, utpote ab aliis impediendam. 3. Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duellantes latas dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, vel officii. 4. Licitum est in statu hominis naturali acceptare et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit. 5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur."²

138. Pœnæ in duellantes latæ sunt 1. Excommunicatio ipso facto incurrenda, et Pontifici reservata. 2. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ, etsi sacramentis muniti discesserint.³ Excommunicatione pariter ligantur patrini, et omnes alii qui consilio suo, vel præsentia sanciant et probant duellum, animum pugnaturis adjiciendo. "Qui vero," inquit "Tridentinum concilium pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant; et ut homicidæ, juxta sacros canones puniri debeant. Et, si in ipso conflictu

(1) Vide *Jeremias Taylor, Duct. Dub. l. iii. c. ii. vol. ii. p. 113.*

(2) *Const. Detestabilem.*

(3) *Ibidem.*

decesserint, perpetuò careant ecclesiastica sepultura. Illi etiam qui consilium in causa duelli, tam in jure, quam in facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, necnon spectatores excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.”¹

De Bello agemus ubi de jure gentium.

(1) *Sess xxv. c. xix.*

CAPUT X.

DE SEXTO PRÆCEPTO.

“Non mœchaberis.”

139. ADULTERIUM, scilicet concubitus viri cum femina, quorum alteruter vel uterque sit conjugii vinculo alteri ligatus, sexto præcepto prohibetur. Hujus criminis malitia ex eo patet quod fides conjugii violetur, haud sine conjugis gravissima injuria, et incerta sæpe reddatur proles, et oneri alienam prolem educandi maritus nonnumquam subjiciatur, vel proles omni educationis subsidio careat. Grave crimen est, quapropter Job, se eo immunem esse affirmans, dicit: “Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum.—Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima.”¹ Mulieris adulteræ flagitium exaggerat Ecclesiasticus: “Mulier omnis relinquens virum suum, et statuens hæreditatem ex alieno matrimonio: primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit; secundò in virum suum deliquit: tertio in adulterio fornicata est, et ex alio viro filios statuit sibi.”² Pœna mortis utrique adultero veteri lege decernebatur: “Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur et mœchus et adultera.”³ Æternæ mortis pœnam adulteris Apostolus passim minatur: “Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.”⁴ “Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio (*εν τω πραγματι*) fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus.”⁵ De re maritali ågi ex contextu liquet; hortatus enim erat Apostolus ne quis, ethnicorum instar, libidini se dederet.

140. Adulterii malitia manet, licet conjux suam injuriam consen-

(1) Job xxxi. 9. 11.

(2) Eccl. xxiii. 32.

(3) Levit. xx. 10.

(4) Heb. xiii. 4.

(5) 1 Thess. iv. 6. Vide et 1 Cor. vi. 9.

tiendo velit remittere, nam ea est fœderis nuptiarum natura, ut neuter conjux possit jus in alterum transferre: quapropter meritò damnata est propositio: “Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.”¹ Remittere quidem potest maritus damna sibi ex adulterio obventura; sed nequit fœderis sanctitati derogare.

141. Gravius est adulterium quoties uterque conjugii vinculo ligatur, nam duorum conjugum violantur jura, et duo fœdera nuptiarum: proinde id confitendo declarandum est. Viri adulterium gravius est mulieris adulterio, quum ille animi robore se adversus cupiditatem munire debeat; hæc infirmitate aliquatenus excusetur.² Cæterum mulieris peccatum, ob prolem incertam et dedecus, gravissimum plerumque censetur.

142. Mæchiæ nomine fornicationem includi, concubitus scilicet soluti cum soluta, ex Hebræorum usu plures asserunt. Liquet eam grave crimen habitam, et pœnis gravissimis punitam. Si qua puella in matrimonium ducta virginei decoris amissi rea inveniretur, decretum est: “ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis illius, et morietur: quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui.”³ In Novo Testamento interitus æternus hujus criminis reis sæpe intentatur: “An nescitis quia iniquum regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicari, neque idolis servientes, neque adulteri—regnum Dei possidebunt.”⁴ “Omnis fornicator, aut immundus—non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.”⁵ Equidem vitium hoc repugnare rationi et legi divinæ liquet, quum vagus concubitus primario fini coitus humani, generationi scilicet prolis et educationi, repugnet; huic enim nonnisi perpetuo coeuntium fœdere et vinculo satis consulitur. Quod si interdum contingeret ea adhiberi adminicula quibus proli ex fornicatione prospiceretur, ea quæ huic inest malitia non ideo tolleretur, quum per se et plerumque obijciat prolem discrimini.⁶ Hinc definitum est contra Beguardos et Beguinas,⁷ eam esse peccatum mortale: et damnata est ab Innocentio XI. propositio sequens: “Tam

(1) Prop. I. inter damnatas ab Innocentio XI.

(2) S. Aug. l. ii. de adulterinis conjugis, c. viii.

(3) Deut. xxii. 21.

(4) 1 Cor. vi. 9.

(5) Eph. v. 5.

(6) Vide S. Thom. 2. 2. qu. cliv. art. ii. Resp.

(7) Clementina *Ad nostram*, tit. de hæreticis.

clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solam esse malam quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.”¹ In confessione necesse est crimen hoc fateri; nec sufficit dicere se grave aliquid contra castitatem cum soluta admisisse, nam contraria propositio damnata est ab Alexandro VII.² Cæterum verbis verecundis quæ actum satis declarant, quin de adjunctis enucleatius dicatur, satis est delictum confiteri.

143. Meretricium prohiberi ex dictis liquet, nam fornicationis augetur malitia quando frequens est, et prolis procreationi plurimorum hominum commercium repugnat. Districte vetitum est in lege Mosaica: “Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.”³ In illud invehitur Apostolus: “Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? ‘Erunt enim (inquit) duo in carne una.’ Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem.”⁴

144. Concubinatus dicitur eorum status qui conjugum instar consueverunt absque nuptiarum fœdere. Gravissimum est scortatus genus, quum consuetudinem et constantem animum peccandi ferat: quod si alteruter conjugio sit ligatus, adulterium immane est. Qui domi retinet concubinam, est omnino obligandus ad eam ejiciendam, licet cum magno sui incommodo.⁵ In specialibus rerum adjunctis, quando ejici nequit, potest aliquando vir absolvi, si confessarius existimet eum revera a commercio illicito se abstenturum. Injungere autem omnino oportebit ut quamprimum eam dimittat; si enim eam pergat apud se retinere, frustra confidit se peccaturum non esse, quum periculum amet. Plerumque his in casibus differenda est absolutio. Sic etiam differenda est, si concubina penitentiam præseferens, queratur se non posse vitam sustentare, si e domo recesserit. Famulæ cum heris semel iterumve peccantes possunt venia donari, si ex animo proponant in posterum peccatum vitare: sed si promissa negligentes, frequenter cadant, necesse erit ut famulatum deserant, vel emendatæ fuerint, antequam absolutionem consequantur. Mancipia, quæ non possunt recedere, nequeunt absolvi, nisi emenda-

(1) Prop. xlviii.

(3) Deut. xxiii. 17.

(2) Prop. xxv.

(4) 1 Cor. vi. 15.

(5) Prop. xli.

tionis spe magna affulgente. Concubinatum plectendum decrevit concilium Tridentinum excommunicatione post tertiam monitionem ;¹ clericos vero concubinarios tertia parte reddituum beneficii post primam monitionem ; post secundam omnibus proventibus, et beneficii administratione suspendendos ; denique iis privandos, eosque inhabiles et indignos ad omne beneficium in posterum declarat, si suspensi pergant concubinas retinere. Excommunicatione etiam plectendos statuit, si postquam eas deseruerint, ad pravam consuetudinem revertantur.² Nulla autem pœna videtur ipso facto, etsi publico, incurri.

145. *Stuprum* est violatio virginis ipsa invita. Si consenserit, est simplex fornicatio, quamvis gravior, et aliquando speciali induta malitia ob infamiam, mœrorem parentum, rixas, aliaque gravissima quæ inde sequuntur mala. Apud S. Thomam quæcumque virginis violatio stuprum dicitur.³

146. *Raptus* fit, cum persona aliqua libidinis explendæ causa invita abducitur, insciis etiam parentibus, tutoribus aut viro. Si sponte discedat cum amasio, fuga dicetur, nullamque novam inde contrahet fornicatio malitiam.

147. *Incestus* dicitur coitus cum consanguinea, vel affini, usque ad quartum gradum. Quo propior est gradus, eo gravior est peccatum; ideoque in confessione exprimendum esse gradum contendunt theologi illi qui circumstantias aggravantes necessario explicandas dicunt. Juxta illos pariter declarandum est, utrum fuerit consanguinea vel affinis. Nobis videtur gradus primus consanguinitatis necessariò exprimendus, v. g: si frater cum sorore, vel pater cum filia concubuerit, vel filius cum matre ; ab his enim natura valde abhorret; sic etiam dicendum si filius cum noverca, vel gener cum socru coierit: in his enim agnoscimus diversam malitiæ speciem. Incestus inter cognatos spirituales v. g: inter patrum et eam quam in baptismo suscepit, specialem habet malitiam necessariò declarandam. Incestus inter cognatos legales: v. g: inter adoptantem et adoptatam, est etiam peculiaris speciei, pariter explicandæ. Tactus

(1) Sess. xiv. c. viii.

(2) Non puduit Alexandrum Campbell in disputatione cum episcopo Cincinnatiensi hæc veluti fomenta criminis adducere ; et in pravum sensum detorquere sancti Alphonsi, qui ea citat, verba.

(3) 2. 2. qu. cliv. art. vi. Stuprum Anglice dicitur *debauch*: *rape* dicitur violenta mulieris cujuscumque violatio: *abduction* est si puella invita abducatur: *elopement*, si decedat sponte sua, parentibus nescientibus.

impudici inter consanguineos, saltem primi et secundi gradus, ad incestum referuntur.

148. *Sacrilegium venereum* est violatio rei vel personæ sacræ per actum venereum.¹ Omnis actus luxuriosus, tam interior, quam exterior, in persona, vel cum persona voto solemniter castitatis ligata, est sacrilegium. Sacerdos, qui etiam religionem professus est, duplex sacrilegium nonnullis videtur admittere, dum violat castitatem: alii verò unicum sacrilegium in peccato hujusmodi agnoscunt; putant scilicet votum religionis et ordinis ad eandem Religionis virtutem referri: vel Ecclesiæ legem eadem virtute niti. Duplex autem fit sacrilegium si persona utraque peccans sacro vinculo ligata sit. Sacrilegium etiam admittit, qui ita ligatus delectatur cogitando de peccato alterius, vel alterum suis manibus polluit. Locus sacer dicitur omnis locus ab Episcopo benedictus, et deputatus ad officia divina, aut ad mortuos sepeliendos. Hoc nomine non comprehenduntur cellæ, claustrum, sacristia, dormitorium, tectum supra ecclesiam, janua extra limen ecclesiæ, atrium. Si violetur locus sacer voluntaria seminis humani effusione sacrilegium fit.² Hinc copula conjugalis, saltem publice nota, in ecclesia habita, eam polluit: gravis enim ei irrogatur injuria. Si autem tempore belli contingat ex necessitate conjuges in ecclesia diu habitare, ob incontinentiæ periculum excusantur. Tactus impudici in ecclesia habiti sacrilegii malitiam videntur induere. Verba et aspectus turpes, et quidquid exterius gravem præsefert culpam, a pluribus theologis sacrilegia censentur quando habentur in ecclesia. Cogitationes et desideria turpia non videntur sacrilegii contrahere specialem malitiam, etsi in ecclesia quis eis indulserit: nec enim externa reverentia loco sacro debita iis violatur. Cæterum si quis concupiverit exterius in ecclesia peccare, erit animo sacrilegus. Res sacras ad turpiter peccandum adhibere sacrilegium etiam foret. Qui Eucharistiam gestans, peccat contra castitatem vel animo, vel verbis, vel actu, videtur sacrilegium patrare.

149. *Sodomia*, a Sodomis hoc scelere infamibus,³ vocatur congressus duarum personarum ejusdem sexus. Sic mas cum mari, vel fœmina cum fœmina coire aggreffiens, scelus hoc admittit. Immanissimum hoc peccatum ultricibus flammis Deus olim punivit

(1) Vide S. Thomam, 2. 2. qu. cxix. art. iii. ad tertium

(2) C. un. de consecr. Eccl. in 6. et ex c. Ecclesiis. 20. de consec. dist. 1.

(3) Gen. xviii.

et adhuc apud inferos punire pergit. *Imperfecta sodomia* vocatur coitus personarum diversi sexus extra debitum vas. Animadvertunt theologi confessarium non debere interrogare pœnitentem quo loco, vel quomodo, extra vas coierit: sufficit enim nosse eum extra vas coisse. Satis etiam se accusant juvenes qui dicunt se cum aliis juvenibus concumbendo peccasse, quin utrum plene coierint, explicant: adest enim in conjunctione affectus sodomiticus, ad indebitum sexum. Polluere se tangendo puerum, aut mulierem dormientem, aut doli incapacem, aut pudenda bestiarum, absque concubitu, a simplici pollutione nonnullis differre non videtur, dummodo abfuerit affectus ad concubitum: quapropter satis fieri existimant præcepto confessionis, si quis dicat se pollutionem admisisse. Sed si alteri fuerit scandalo, vel si ligatam matrimonii vinculo, vel voti, tetigerit, nova inde exurget maliæ species. Explicandum est etiam, juxta nonnullos, utrum quis fuerit patiens, vel agens, ob majus pollutionis periculum in agente. Sodomia inter consanguineos et affines usque ad quartum gradum habet speciem incestus, prout sentit S. Alphonsus cum aliis,¹ quia lex Ecclesiæ quæ matrimonium iis denegat ob sanguinis reverentiam, omnem alium coitum magis prohibere censenda est. Hinc pueri concumbentes turpiter, debent explicare utrum cum fratre, vel consobrinis, vel alienis omnino coierint: “sic etiam dicunt Salmanticensenses incestum committere, qui polluitur lactibus alicujus conjuncti in quarto gradu.” Ita S. Alphonsus: “Notandum verò ut certum explicandum esse in confessione, si sodomia sit habita cum violentia, vel cum persona ligata voto castitatis, et insuper si cum conjugata; quia fides matrimonii postulat, ut conjux nullo concubitu carnem suam cum aliis dividat.”²

150. Sodomitæ jure civili puniebantur flammis. Bulla S. Pii V. declarat tam clericos quam laicos Religiosos sodomiam exercentes omni privilegio clericali, officio, beneficio privari. Pœnæ hæc lætæ sententiæ videntur, sed opus est declaratione judicis qua eas contractas esse constet; sunt enim adeo graves ut nemo in se eas suscipere censeatur.

151. Bestialitas, seu coitus hominis cum bestia, immane est facinus naturæ prorsus contrarium, quod cætera omnia libidinis flagitia turpitudine superat. Lege Mosaica mors reo irrogabatur:³ lege ecclesiastica pœnitentia severissima olim injuncta est: quam

(1) L. iii. n. 469.

(2) Ibidem.

(3) Lev. xx. 15.

imitari aliquatenus oportet, severiora jejunia aliave pœnitentiæ exercitia injungendo : sed ratio habenda est temporum, ne disciplinæ impatiens animus in scelera iterum propendeat.

152. Fellatores vocat Martialis "lingua maritos et ore mœchos,"¹ Pessimum hoc libidinis genus mortale esse et naturæ repugnare liquet. Qui linguam in mulieris os immittunt, in proximo pollutionis discrimine versantur, et contra naturam voluptatem quærere convincuntur : quapropter nequeunt a lethali eximi culpa, nisi obiter fiat, absque venerea delectatione.

(1) L. xi. epigr. 61.

CAPUT XI.

DE SEPTIMO PRÆCEPTO.

“Non furaberis.”

153. FURTUM, quod septimo Decalogi præcepto prohibetur, est occulta et injusta rei alienæ ablatio, domino rationabiliter invito. Violenta rei alienæ ablatio, injuria facta, *rapina* dicitur, quæ et vetita censenda est. De utroque crimine dicit Apostolus: “Neque fures, neque rapaces, . . . regnum Dei possidebunt.”¹ *Plagium*, seu plagiatus, mancipiorum scilicet a dominis injusta abductio, ab Hebræis dicitur hic præsertim vetitum: sed nihil postulat ut arctiori sensu vox accipiatur. Quandocumque res ex publico thesauro, seu fisco, aufertur ab aliquo cui munus publicum concreditum est, dicitur *peculatus*. *Abigeatus* est animantium ablatio injusta: *sacrilegium* est rerum sacrarum rapina, seu furtum.

154. Extrema urgente necessitate, quæ ad vitam servandam necessaria sunt jure usurpantur; quæ enim obtinuit bonorum divisio, ex hominum conventionem et diuturno usu, non potest naturæ instinctui, quo quis ad vitæ conservationem impellitur, obstare. “Ea quæ sunt juris humani, non possunt derogare juri naturali, vel juri divino. Secundum autem naturalem ordinem ex divina providentia institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quod ex his subveniatur hominum necessitati: et ideo per rerum divisionem et appropriationem ex jure humano procedentem non impeditur, quin hominis necessitati sit subveniendum ex hujusmodi rebus.”² Id dicendum etiam videtur de gravissima necessitate quæ extremæ comparatur: v: g: quando quis versatur in probabili periculo incurrendi mortem, vel perpetuam captivitatem, vel amittendi membrum præcipuum. Pauper etiam extrema necessitate laborans debet rem a domino suo petere antequam

(1) 1 Cor. vi. 10.

(2) S. Thom. 2. 2. qu. lxvi. art. vii. *Resp.*

eam tollat, nisi prævideat ex petita licentia occasionem orituram omne sibi subsidium subtrahendi. Si res magni valoris alicui ad vitam servandam penitus necessaria sit, licet, juxta plures theologos, eam diviti surripere, dummodo ea ablata, similis necessitas non sit diviti nascitura. Nihilominus dives non tenetur opes suas profunderi etiam iis qui extrema laborant necessitate, quum charitas cum tanto rerum suarum detrimento non obliget. Qui rem alienam surripuit et consumpsit, extrema pressus necessitate, non videtur postea ad restituendum teneri, si absolute pauper fuerit tum re, tum spe: secus si ad tempus tantum necessitate laboraverit, alioquin dives, vel certam spem divitiarum habens; tunc enim mutui instar rem sibi sumpsit. Fures in extrema necessitate consumentes quæ antea injuste acceperant, ad restituendum teneri plures affirmant.

155. In gravi necessitate, qualem plerique patiuntur pauperes, res alienas surripere nullatenus licet, quum rerum divisionem jam institutam absque gravissima causa violari ratio vetet: quapropter Innocentius XI. damnavit propositionem: “ Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.”¹

156. Ad justam sui compensationem res alienas surripere, si alia desit ratio jus suum prosequendi, nulla videtur culpa: v: g: si quis mercedem quam promisit nolit reddere. Præterire autem legitimas rationes quibus illud prosequi quis valeat, venialis saltem est culpa, nisi expensæ moraque judiciorum, aliave gravis causa obstet. Cæterum cavendum ne quis facile et falso sibi persuadeat aliquid deberi. Hinc jure meritoque damnavit Innocentius XI. propositionem, “ Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.”² Propositio hæc *judicio* famulorum omnia permittens furtis januam pandebat.

157. Famuli surripientes bona dominorum furti rei agnoscuntur. Excusantur autem a gravi delicto si esculenta et poculenta communia in suos usos sumant, præsertim si dominus non præbeat eis debitam sustentationem. Cæterum si ea e domo efferant, et largiantur, vel vendant, vel si delicatiores et majoris pretii cibos quos sibi servarunt domini, sumant, ad restituendum obligandi erunt. Quum autem plerumque eis non suppetat restituendi ratio, debent saltem quantum possint, laboribus et obsequiis majoribus compensare. Hæc etiam

(1) Prop. xxxvi.

(2) Prop. xxxvii.

ad mancipia traducere licet: quibus ut e suo peculio, si forte quid habeant ex dominorum venia, furta hujusmodi compensent injungere durum videtur, quum omnem suam operam heris per totam vitam conferant.

158. Uxor marito surripiens pecuniam, vel alia bona communia, eaque in usus vanos vel pravos impendens, peccat, et ad restituendum tenetur; administratio enim bonorum communium penes maritum est. Cæterum maritus facilius injuriam hujusmodi condonare censetur, nisi valde notabilis sit. Excusatur etiam uxor, si viro prodigo ea subtrahat conservandi causa, vel ad sustentandam familiam, vel ad ea comparanda quæ sibi, vel filiis, sunt necessaria secundum suum statum. Potest etiam proli ex alio matrimonio natæ, vel patri vel matri, moderatis subsidiis succurrere, ne inopia premanatur. Eleemosynam dare ei licet pro more cæterarum uxorum suæ conditionis, aliaque facere earum instar, etsi repugnet absque justa causa maritus. De iis autem quæ sua comparavit industria, vel quorum dominium et administratio penes ipsam sunt, libere ipsa disponit.

159. Quæ sit furti gravis materia apud theologos in quæstione est. Equidem certa regula qua semper definiatur statui non potest, sed plerumque ex adjunctis judicandum est: cæterum quædam præ oculis habenda sunt, ut judicium fiat verosimile, si non omnino certum.

160. Materia in se gravis admittenda est, cujus ablatio gravis est culpa, in quibuscumque rerum adjunctis, a viro licet ditissimo: nam interest boni communis ut nemini auferatur res per se gravis, et nisi id districte prohiberetur, divites facile suis bonis spoliarentur. Quinque nummi argentei, seu unus aureus, sunt utique materia gravis; nec enim ditissimus eos sibi injuria auferri nisi ægerrime pateretur. Quænam autem minor summa sit materia gravis non facile nec certo statui potest: sed nobis videtur nummus unus argenteus plerumque sufficere. Quoad plerosque divitiis haud auctos sufficit dimidium nummi argentei: quoad pauperes viginti quinque oboli: quoad mendicos quinque oboli.

161. Damnum domino illatum materiæ gravitatem auget, nam pauper amisso dimidio nummo argenteo damnum grave patitur, ideoque furans graviter peccare censendus est. Aliquando contingit ut re levi ablata grave oriatur detrimentum, præsertim si sit instrumentum quod non possit facile comparari. Hinc acum sartori surripere aliquando est gravis culpa, scilicet si alius ei desit, nec queat facile haberi: sic

et alia instrumenta etiam parvi valoris si subtrahantur, operarius diem integrum aliquando a labore impeditur.

162. In furti gravitate æstimanda personarum habenda est ratio, quatenus qui necessitudine sunt conjuncti, plerumque haud adeo ægre ferunt aliquid sibi a propinquis vel domesticis auferri. Fratres et sorores minus gravantur ob ea quæ sibi subtrahuntur, nisi magni sint momenti.

163. Minuta furta aliquando in unum coalescunt ex furantis intentione: qui enim sibi proposuerit notabilem summam paulatim surripere, animo jam graviter peccat, gravique se obstringit reatu quoties eo animo parvum quid accipit. Sed non novum admittitur peccatum singulis vicibus, quum singuli actus censeantur pravæ voluntatis executio una continua.¹ Hinc dicit Scriptura: "Statera dolosa abominatio est apud Dominum."² Si ea absit intentio, parvum quid surripiens levis culpæ reus agnoscendus erit, donec sæpius furando res alienas notabilis valoris sibi comparaverit: gravis quippe est culpa eas injuste accipere vel retinere. Hinc damnavit Innocentius XI. propositionem. "Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis."³ Dominis læsis restitutio hujusmodi facienda est. Quod si singuli leviter tantum læsi fuerint, plures theologi censent iis sub gravi non esse restituendi obligationem; et satis esse si quis pauperibus, vel locis piis tribuat quæ injuste sibi comparavit: et in hoc dominos consentire. Omnes autem conveniunt huic restituendi obligationi satis fieri pauperibus ablata tribuendo, quoties domini singuli incerti fuerint, vel iis restitutio fieri nequeat absque gravi famæ vel bonorum jactura. Qui igitur statera dolosa usi fuerint, vel alias emptores fraudaverint, debent omnibus, quos graviter se læsisse norunt, restituere; singulis etiam, quos leviter læserunt, si commode possint; et pauperibus, vel pio operi, impendere, quæ congesserunt incertos quoscumque etiam leviter fraudando. Animadvertendum autem majorem requiri summam ad gravem constituendam furti materiam, quando per furtula surripitur, præsertim si a diversis, et magnis interpositis temporis intervallis, surripiatur. S. Alphonsus de Ligorio censet "quod si furtula fiant eidem

(1) Lessius de just. § ii. c. xii. dub. vii. n. 40.

(2) Prov. xi. 1.

(3) Prop. xxxviii.

per intervalla, aut diversis eodem tempore, requiritur et sufficit ad materiam gravem simplum cum dimidio: v. g: sex Julii (sexaginta oboli). Si vero utrumque concurrat, nempe si fiant a diversis, et discontinuatim, censeo requiri duplo majus, scilicet octo."¹

164. Minuta furta a pluribus simul facta singulis gravem culpam inducunt, si fiant communi consilio: secus si fiant a singulis absque consilio et notitia cæterorum. Si singuli noverint alios simul parva furta patrare, quin commune ineant consilium, plures tenent cum S. Alphonso, levem tantum culpam unicuique imputari, quamvis grave damnum domino proveniat. Etsi exemplo cæterorum singuli moveantur, sunt qui dicunt eos peccare quidem graviter contra charitatem, sed non contra justitiam, ideoque ad restituendum quæ cæteri abstulerunt nulla ratione teneri. Hæc præ oculis sunt habenda ut de juvenibus fructus hortorum auferentibus, vel alias res minores furantibus judicetur. Attamen si magnus juvenum numerus a dulciario pistore magnam ciborum copiam simul auferat, singuli frustulum arripientes, licet haud communi consilio, sed uno veluti spiritu, alter alterius exemplo motus, videtur peccatum esse grave, sciunt enim grave damnum inferri, suamque operam conferunt: sed restituendi obligatio extra partem quam quis arripuit non extenditur.²

165. "Furtum facere videntur, qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendacitate pecuniam extorquent, quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant."³ Ita catechismus Romanus. Equidem qui falsò paupertatem prætexunt, fraudem debent reparare restituendo quæ acceperunt: sed si tantum exaggeraverint suas ærumnas, pauperes alioquin et indigentes subsidiis, non videntur injustitiæ rei, quum adsit ratio petendi stipem, et eorum verba plerumque non plenam impetrent fidem. Quotiescumque fraude adhibita stips accepta est, restituenda est pauperibus, quum donatores censendi sint iis voluisse donare. Quod si constet eos ad petentem eleemosynam restrinxisse, iis restituenda erit. De omnibus qui circumvagantur ementitis rationibus cives pecunia emungentes idem dicendum: sunt enim inter fures recensendi, debentque conferentibus nummos reddere, si velint suæ consulere saluti.

166. Quid vero dicendum de pauperibus qui pecuniam quandam

(1) S. Alphonsus, l. iii. n. 530.

(2) Vide Mayol Expos. vii. præc. qu. 1. col. 862.

(3) Par. iii. de vii. præcepto, n. xvii.

in arca parcimoniæ repositam habent, ut senectuti et infirmitati consulant, ne in publicum pauperum hospitium recedere cogantur, vel ut funeris impensæ solvantur, interim a privatis quibuscumque, seu a cœtibus piis stipem colligentes ut quotidianis necessitatibus provideatur. Si modica sit pecunia quam servatam tenent, et modica petant subsidia, vix damnandi videntur, quum revera indigeant auxilio ad vitam sustentandam. Equidem brevi pecunia illa quam servatam tenent impenderetur, ipsique forent oneri vel cœtibus piorum, vel hospitiiis. Secus dicendum si pecuniam habeant quæ vitæ sustentandæ sufficiat. Hæc pariter de iis accipi poterunt qui pecuniam modicam apud amicum reponunt, in hospitium se conferentes, ut si postea inde exire contigerit, non omni careant subsidio, vel si moriantur ut sepulturæ mandentur eorum corpora.

167. De juvenibus in seminariis gratis educatis, vel privatorum impensis, ea spe ut ecclesiastico inserviant ministerio, tenendum est, eos fraudem facere si seminaria ingrediantur absque animo se sacris muneribus dicandi, et eo tantum consilio ut litteris imbuantur, vel otio indulgeant; ideoque ad reparandum damnum teneri. Opus autem non est ut certi omnino sint suæ vocationis, nam otium sanctum iis ideo conceditur ut de tanto incepto consilium maturius habeant: sed nec temere debent ingredi, nec in sacris ædibus morari postquam spem abjecerunt et propositum. Quod si sua culpa faciant ut indigni habeantur, non ideo videntur ad restituendum obligati, quoties animus fraudandi defuerit: nec enim donatores censendi sunt conditionem restituendi apposuisse ob inertiam vel alias culpas consuetas.¹

168. Qui carbones effodiunt prohibentur ab iis in sui usum auferendis, nisi certo quodam pretio soluto: attamen facile contingit ex rei opportunitate ut carbones familiæ suæ necessarios quisque sumat. Mos ille quidem reprehendendus est, sed restitutio non videtur exigenda, quum tanta sit ibi carbonum copia, et domini vix censendi sint omnino invitati: nec enim adhibent sollicitudinem ad fures detegendos. Qui ex canalium vel fluminum ripis, ubi carbones ex scaphis deponuntur, auferunt nonnullos in sui usum, peccant, et quidem graviter si copiam magnam sumant; non ita, si paucos, præsertim qui hac illac dispersi jacent. Cæterum qui consueverunt per totam hiemem, vel tempus aliud diuturnum, carbones sic sibi sumere,

(1) Vide apud Carriere de justitia et jure, vol li. n. 734.

gravis furti rei sunt, debentque pro æqua damni æstimatione satisfacere; sed sæpe perdifficile est pretium ad dominos tuto mittere. De ligna colligentibus, quæ alius in sui usum excidit, vel de ea asportantibus, quæ alius sibi comparavit, idem dicendum: gravis enim est culpa eorum copiam sibi sumere, sine domini venia.

169. Falsarius, qui monetam falsam cudit, vel chirographa ficta in lucem edit, fur pessimus censendus est. Qui monetam hujusmodi in vulgum spargit, injustitiæ fit reus, et ad reparandum damnum tenetur. Quotquot suam præstant operam ex communi consilio in solidum tenentur, adeo ut singuli teneantur ad totum, si cæteri neglexerint. Qui dubius de authentia chirographi, seu monetæ, peritorum stat judicio, ad nihil tenetur, si bona fide det alteri, qui tamen jus habet ad eum recurrendi. Qui autem temere dat, debet damnum reparare, quum primum res sibi fuerit explorata. Nemo potest aliis tradere chirographum fictum, licet bona fide et merce data illud acceperit, quod infortunio habendum est: quum enim per se nil valeat non potest sine injuria aliis dari.¹ Quandocumque non constat quis damnum passus sit, qui aliqua ratione ei inferendo operam præstitit, debet in pauperum levamen tribuere totum quo ipse, mala fide in vulgum emissis chirographis, populum fraudavit, licet minori ea vendiderit pretio: non enim suo lucro damnum quod communitas passa est, æstimandum est. “Quicumque monetam falsam scienter fecerit, aut studiose expenderit, tamquam maledictus, et pauperum virorum oppressor, et civitatis turbator, a fidelium consortio separetur.”² Ita statuit concilium Lateranense I. Vetuit etiam synodus Turonensis ne quis eam alteri traderet: “Pecuniam si quis adulterinam aut minus probatam receperit, quamvis ignoranter, auctorque sibi sit incognitus, alteri tradere non præsumat.”³ Equidem Tullius ipse, ratione magistra, novit id non licere. “Quærit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis: cum id rescierit; soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes

(1) “This practice we sometimes hear defended by a vulgar excuse, that we have taken the money for good, and must, therefore, get rid of it. Which excuse is much the same, as if one, who had been robbed upon the highway, should allege he had a right to reimburse himself out of the pocket of the first traveller he met.” Paley, *Moral Philosophy*, l. ii. c. vii.

(2) Conc. Lat. i. can. xv.

(3) Apud Bohellum, l. viii. dec. Eccl. Gallic. tit. lix.

ait: Antipater negat: cui potius assentior.”¹ Nec enim bona fides qua quis accepit monetam jus dat ut cum alterius damno se præstet indemnem. Idem dicendum de moneta quæ desierat valere, quam si quis alteri tradiderit postquam mensam solvendo imparem constituerat publico aliquo documento, vel re gesta, debet damnum alteri illatum reparare.

(1) L. iii. de officiis, n. 91.

CAPUT XII.

DE OCTAVO PRÆCEPTO.

“Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.”

§ I. DE MENDACIO PERNICIOSO.

170. **FALSUM** in iudicio testimonium præcepto octavo præsertim prohibetur, quod pluribus aliis locis etiam damnatur. Inter ea quæ odit Dominus Sacer Scriptor recenset “proferentem mendacia testem fallacem.”¹ “Jaculum et gladius, et sagitta acuta homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.”² Est grave semper peccatum, nam juratus quisque testimonium præbet; vel si omisso juramento *affirmet*, quæ ratio testandi apud nos permittitur, quum *Amici*, qui vulgò dicuntur *Quakeri*, religioni ducant jurare, juramenti instar est, et in perjurii pœnas incurrit.³ Falsum autem extra iudicium testimonium fertur, quoties quis ea refert quæ ex industria ipse confixit ad alteri nocendum, vel quæ ab aliis novit conficta esse, vel quæ verosimiliter iudicat esse falsa, vel quæ nonnisi temere credit vera esse. Delicti gravitas ex damno secuturo pendet: peccat enim enormiter qui falso testimonio in causa est cur alter injuste damnetur capitis: et debet uxori et filiis hominis injuria damnati consulere qua potuerit ratione. Peccat graviter qui mendacio facit ut lis dirimatur cum alicujus damno injusto, quod et reparare debet. Peccat qui famam lædit; et quo hæc illibatio fuerit, eo gravius est reus: quem proinde oportet retractata calumnia læso satisfacere.

171. Extra iudicium calumnia grave est peccatum *ex genere suo*, uti loquuntur theologi: pro rei tamen natura, leve quandoque est. Fuerunt qui asserent culpa lethali vacare calumniam detrahenti impactam, ut quis se defendat; sed propositiones qua id enun-

(1) Prov. vi. 19.

(2) Ibidem, xxv. 18.

(3) Vide legem Pennsylvaniae, 23 April, 1829.

tiabatur meritò sunt proscriptæ: “ Quidni aiebat quidam, non nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine eludere ?” “ Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix erit opinio probabilis in theologia.”¹ Equidem liquet grave esse peccatum famæ alterius mendacio graviter nocere: nec excusatio habetur in ratione ob quam profertur: nec enim injuriam injuria propulsare licet, multo minus justam aggressionem. Dubitarunt nonnulli theologi utrum justitia violetur; sed res videtur manifesta, habet enim etiam injustus aggressor jus ne mendacio repellatur.

172. Quæcumque alia mendacia damnum vel perniciem afferunt pari ratione præcepto hoc prohibita censenda sunt. Graviter peccant qui ea confingunt quibus amicorum dissolvatur necessitudo, vel aliquis impediatur a munere impetrando, vel alias lædatur. Gravisime peccant qui mendaciis nocent Religioni, et animarum saluti: uti in more est plurimis qui non ideo excusantur quod ea vera esse temere sibi persuadeant. Ex memoriæ defectu et mentis perturbatione facile contingere potest ut quis falsum proferat quin graviter sit reus: attamen serio debet apud se perpendere quidquid aliorum interest, ex suo testimonio dijudicandum. Optime animadvertit S. Thomas: “ In testimonio ferendo non debet homo pro certo asserere, quasi sciens, id de quo certus non est; sed dubium debet sub dubio proferre, et id de quo certus est pro certo asserere. Sed quia contingit ex labilitate humanæ memoriæ quod reputat se homo quandoque certum esse de eo quod falsum est, si aliquis, cum debita sollicitudine recogitans, æstimet se certum esse de eo quod falsum est, non peccat mortaliter hoc asserens: quia non dicit falsum testimonium per se, et ex intentione, sed per accidens contra id quod intendit.”² Quod si grave nocumentum oriatur alteri ex testis errore, debet, si valeat absque gravi sui discrimine, eum corrigere: sed non tenetur se pejerandi crimini exponere, nec ad reparanda damna quæ ex errore hujusmodi provenerunt; quum haud sua culpa evenerint, sed casu potius, et contra voluntatem.

§ II. DE MENDACIO OFFICIOSO.

173. Decalogi præceptum mendacia quæ perniciem afferunt spectat: sed sæpe contingit mendacia nihil damni alicui inferre; pro-

(1) Prop. xliii. et xliv.

(2) 2. 2. qu. lxx. art. iv. ad primam.

feruntur scilicet se excusandi causa, vel utilitatis suæ aut alienæ; et dicuntur idcirco officiosa: de quibus olim disceptatum est utrum aliquando liceant. Fuerunt tempore Augustini qui affirmarent, præsertim si Religioni utilitas inde proveniret: quapropter putabant licere se fingere e secta Priscillianistarum, quo facilius possent arcana quæ pejerando hi servabant detegere. In mendacii patronos magna cum vi insurrexit Augustinus, ostenditque nullo unquam in rerum eventu mendacium esse culpa immune: quem tota Catholicorum doctorum natio deinceps secuta est.

174. Grotius, adeo celebris inter scriptores Protestanticos, censuit licere falsum proferre, "quoties sermo ad eum dirigitur, qui non decipitur, etiamsi tertius inde falsam hauriat persuasionem," et negavit "mendacium stricte dictum, id est injuriosum" committi, "quoties certum est eum ad quem sermo est, libertatis suæ in judicando læsionem non ægre laturum, imo gratias habiturum eo nomine, ob commodum aliquod, quod inde assequitur." Excusat etiam a culpa mendacii, "quoties qui habet jus supereminens in omnia jura alterius, eo jure bono ipsius, sive proprio, sive publico utitur." Denique "quoties vita innocentis, aut par aliquid aliter servari, et alter ab improbi facinoris perfectione aliter averti non potest;" falsiloquium culpa vacare contendit.¹ Henricus B. L. De Cocceii, Grotii opus illustrans, dicit: "Nos mendacium per se non esse delictum statuimus, sed rem indifferentem, quæ aliquando bona, quin necessaria, aliquando mala esse potest."² Puffendorf statuit licere sensa nostra falsiloquio quod alteri non noceat celare, quoties alter jus non habet ea noscendi.³ Jeremias Taylor docet licere mentiri ex consensu eo scilicet quod statuit Grotius pacto, quo alter fraudis non conscius in errorem inducatur, dummodo ob innoxium finem vel pium, fiat: imo oportere mentiri, si opus sit ad alterius vitam servandam, vel ad

(1) Grotius de jure Belli ac pacis, l. iii. c. i. § ix. et seq.

(2) Dissert. Procœm. xii. l. v. c. v. § i. xiii. p. 531.

(3) "Dire une fausseté, c'est s'exprimer de telle manière, que ceux à qui l'on parle entendent autre chose que ce qu'on a dans l'esprit. Or s'ils n'ont aucun droit de connaître nos pensées, et qu'en les leur cachant, ou les leur déguisant, on ne fasse tort à personne; je ne vois pas pourquoi, lors qu'on y trouve son avantage, on devrait parler de la manière qu'ils le souhaitent, plutôt que comme on le juge à propos soi-même." *Le Droit de la Nature et des Gens*, traduit du Latin par Barbeyrac, l. iv. c. i. § viii. p. 437.

alterius vel sui magnam utilitatem.¹ Paley contendit mendacium vacare culpa, si alter jus non habeat veritatem noscendi, nec ex eo magnum incommodum sequatur, sed necessarium sit ad res suas vel alterius servandas.² Hi tamen omnes contra æquivocarum vocum et restrictionum mentalium usum studio vehementi flagrant!

175. Mendacium omne esse peccatum ex ipso naturæ instinctu, quo mentientes pudet, et ex divina Scripturæ auctoritate constat: “Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum.”³ “Perdes omnes qui loquuntur mendacium.”⁴ “Falsus testis non erit impunitus, et qui loquitur mendacia peribit.”⁵ “Nolite mentiri invicem.”⁶ “Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.”⁷ Hæc in universum prohibent mendacium. Patres passim extollunt martyres, quod ne mentirentur mori elegerint. “Vivere nolumus obstricti mendacio,” inquit Justinus, Christianorum animum explicans: “Ne mentiamur, aut eos qui interrogant decipiamus, libenter Christum confitendo morimur.”⁸

176. Sensum intimum et conscientiam uniuscujusque huic doctrinæ suffragari indubium est. Equidem est contra finem loquelæ, qui est ut homines sua sensa sibi invicem communicent: repugnat etiam humani generis bono et felicitati; tollit enim fidem omnem et securitatem, et dulcissimo verborum solatio nos privat, fidem dictis abrogans. “Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines adinvicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tamquam sibi invicem veritatem manifestantibus.”⁹ Quæ autem afferuntur ex Scripturis exempla non probant mendacia Deo grata; nam obstetrices Ægyptiacæ, ob animi humanitatem et affectum erga infantes Israelitarum, præmio in hac vita affectæ sunt, vel prole ditatæ

(1) “It is lawful to tell a lie to our neighbour by consent, provided the end be innocent or pious.—To tell a lie for charity, to save a man’s life—hath not only been done in all times, but commended by great and wise and good men.” *Ductor Dubitantium*, l. iii. c. ii. Vol. ii. p. 85.

(2) “Where the person to whom you speak has no right to know the truth, or more properly, where little or no inconvenience results from the want of confidence in such cases; as when you tell a falsehood to a madman for his own advantage; to a robber to conceal your property; to an assassin to defeat, or to divert him from his purpose.” *Moral Phil.* l. ii. c. xv.

(3) Lev. xix. 11.

(4) Ps. v. 6.

(5) Prov. xix. 9.

(6) Coloss. iii. 9.

(7) Eph. iv. 25.

(8) Apol. i. n. 8, 39.

(9) S. Thom. 2. 2æ. qu. cix. art. iii. *ad primum*.

numerosa, vel divitiis affluentes : “ Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia ; benignitas mentis, non iniquitas mentientis.”¹ Jacob ad hæreditatem a Deo gratis electus est ; sed dolo usus est, matre suadente, ut ad eam perveniret : Rahab, miserta exploratorum, et fide animo concepta, Deo placuit, mendacium tamen humano errore adhibuit. Pulchre Augustinus ; “ Quando nobis de Scripturis sanctis mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse dum non intelliguntur ; aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt.”²

177. Equidem novimus gravissimis difficultatibus aliquando laborare qui veritatem studet servare illæsam : sed non ideo licet eam deserere ; semel enim mentiendi facta facultate fiducia non est loquenti. Ideo nec permittit Augustinus ægrotanti mentiri, ne tristi nuntio moriatur, quamvis se sensu humano vehementer moveri ad assentiendum fateatur : “ sæpe me in rebus humanis vincit sensus humanus, nec resistere valeo cum mihi dicitur : Ecce gravi morbo periclitatur ægrotus, cujus jam vires ferre non possint, si ei mortuus unicus et carissimus filius nuntietur ; a te quærit an vivat, quem vitam finisse tu nosti ; quid respondebis, quando quidquid aliud dixeris præter unum de tribus, aut ‘ mortuus est,’ aut ‘ vivit,’ aut ‘ nescio,’ nihil aliud credit ille quam mortuum ; quod te intelligit timere dicere, et nolle mentiri ? Tantumdem valet, etiamsi omni modo tacueris. Ex illis autem tribus duo falsa sunt, ‘ vivit, et ‘ nescio,’ nec abs te dici possunt nisi mentiendo. Illud autem unum verum, id est, mortuum esse, si dixeris, et perturbati hominis mors fuerit subsecuta, abs te occisus esse clamabitur. Et quis ferat homines exaggerantes, quantum sit mali salubre mendacium devitari, et homicidam diligi veritatem ? Moveor his oppositis vehementer, sed mirum si etiam sapienter.”³

178. Nec Religionis studio mentiri licet, nam non sunt facienda mala, ut eveniant bona : idcirco Augustinus hanc sibi objectam difficultatem præclare diluit. “ Aliquando nobis ipsius quoque salutis æternæ periculum opponitur quod nostro mendacio, si aliter non potest, depellendum esse clamatur ; velut si quisquam baptizandus in potestate sit impiorum atque infidelium constitutus, ad quem perveniri non possit ut lavacro regenerationis abluatur, nisi deceptis men-

(1) Aug. l. contra mendacium, c. xv. n. 32.

(2) Ibidem, n. 31.

(3) Ibidem, c. xviii.

tiendo custodibus. Ab hoc invidiosissimo clamore, quo cogimur, non pro cujusquam opibus, vel honoribus in hoc sæculo transcurrentibus, non pro ipsa hujus temporis vita, sed pro æterna hominis salute mentiri, quo confugiam, nisi ad te, Veritas?"¹ Quolibet in discrimine nihil quod verum non sit proferendum affirmat: "Faciatur ergo homo etiam pro temporali hominum salute quod potest; cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse perspexerit quod non recte faciat."²

179. Mendacia officiosa plerumque venialem non excedunt culpam: si juramento firmentur, mortalia plane sunt: sicut et si quis se excuset culpam in alterum refundendo, cum magno ejus damno, tunc enim perniciosum est mendacium. Qui se purgat falsum testando, solemnitate quadam adhibita, quæ sit instar juramenti, non potest facile a mortali peccato excusari: v: g: si sacerdos coram altari se crimine quo infamatus est purget mendacio, graviter peccat. Imo si alterum mendacio excuset, tanta cum solemnitate, reus gravis delicti videtur. De prædicatoris munere scribit Mayol: "generaliter omne mendacium prædicatoris contra veritatem spectantem ad concionatoris officium censetur mortale: quando verò solum mentitur præter veritatem doctrinæ ut in nominibus auctorum vel citationibus, tunc ad summum venialiter tantum peccat."³

§ III. DE MENDACIO JOCOSO.

180. Jocosum dicitur mendacium ludi causa prolatum: quod si loquentis animus pateat, vel ex adjunctis facile colligatur, vix erit mendacii species: idcirco Augustinus ait: "quæ jocando dicuntur nunquam sunt putata mendacia: habent enim evidentissimam ex pronuntiatione atque ipso jocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis."⁴ Hac ratione excusari possunt quæ aliquando amici et propinqui confingunt, se invicem decipiendi causa, ad animi oblectamentum: plerumque enim ad dolum suspicandum proclives sunt, et non nisi ad tempus et obiter decipiuntur. Quandocumque verò joco mendacium inest, leve est peccatum, nisi juramentum accesserit, vel de rebus sacris cum Reli-

(1) *Contra Mendacium, c. xx.*

(2) *Ibidem, c. xvii.*

(3) *Expos. viii. præc. præl. i. col. 1073.*

(4) *De Mendacio c. xiv.*

gionis injuria fiat *jocum*, vel de obscœnis cum morum detrimento, vel de altero, fama læsa, quo pacto fiet perniciosum. Hinc juvenum hominumque joci sæpe mortalem inducent animæ labem.

181. Satis constat ex auctorum consensu ea quæ dicuntur infantibus et amentibus non esse mendaciis accensenda, licet veritati non conveniant; nam sermo institutus est ut homines sui compotes sensa sua sibi invicem queant communicare, ideoque contra finem loquendi non peccat, qui verba alieno sensu adhibet cum iis qui rationis usu non gaudent. Hæc tamen minus accurate vocantur mendacia.¹ Quæ enarrando dicuntur ornatus causa, vel ob verosimilitudinem, non censentur mendacia; omnes enim norunt, scriptores, vel alios res gestas referentes, non singula enarrare verba, vel omnia accurate et minutatim, sed rei summam, et dictorum substantiam. Si autem aliqua adjiciantur jactando, vel quæ alias rerum speciem mutant, non facile excusantur a mendacii vitio. Quæ per *ironiam* dicuntur, licet falsa videantur, non sunt mendacia, eorum enim sensus contrarius ex adjunctis colligitur. Sic omnia quæ translato sensu proferuntur, sive fabularum forma, sive parabolarum, sive per hyperbolen, sive alia quacumque ratione, quæ ex serie orationis, vel ex rerum adjunctis et usu loquendi colligi possit, a mendacio sunt discernenda.

§ IV. DE VOCIBUS AMBIGUIS.

182. De vocibus plures habentibus significationes, æquivocis idcirco dictis, vehemens excitata est aliquando controversia. De iis dicit Grotius: "Significationis ergo falsitas id est quod ad communem mendacii naturam requirimus. Cui consequens est, cum vox aliqua aut sermonis complexio est *πολύσημος*, id est plures uno significatus admittit, sive ex vulgi usu, sive ex artis consuetudine, sive ex figura aliqua intelligibili, tunc si animi conceptus uni istarum significationum congruat, non admitti mendacium, etiamsi putetur is, qui audit, in aliam partem accepturus."² Inter theologos de earum usu disceptatum est, Lessio cum aliis eas aliquando licere

(1) "It is lawful to tell a lie to children or to madmen." Taylor, Duct. Dub. l. iii. c. ii.

(2) Grotius de jure belli et pacis, l. iii. c. i. § x. Vide et Puffendorf, l. iv. c. i. § xiii. et Taylor Duc. Dub. Vol. ii. p. 100.

propugnantibus, contradicentibus aliis. De usu restrictionum mentalium ea occasione etiam disputatum.

183. Voces seu sententiæ æquivocæ eæ sunt quæ plures admittunt significatus. Sic vox Latina, *beneficium* significat *favorem, feudum, et ecclesiasticos proventus*: vox *provisions* apud Anglos commeatus, seu cibos, plerumque significat; sed in lege olim usurpata est de beneficiis in curia Romana impetratis. Exemplum responsionis ambiguae in vita S. Athanasii occurrit, quum enim insequentes effugere desperaret navi conversa, versus Alexandriam tetendit, et interrogatus quam procul Athanasius abesset, respondit eum prope esse.¹ *Prophetam* se esse negavit Joannes, vocem de vate qui, veterum more, fata imperiorum caneret, et arcana sæculi venturi, accipiens: eum tamen *prophetam* esse affirmavit Christus, quia revera ejus prænuntiavit adventum.

184. *Restrictio pure mentalis* est mentis occulta definitio vocum quæ falsum enuntiant, qua ad verum sensum determinantur, quin ullatenus intelligi possit ab audientibus. Sic qui ut se furti crimine purget, jurat se haud furatum esse ullam pecuniam, intelligens aurum vel argentum, quum de chirographis agatur, sensum vocibus affingit, quem nemo potest suspicari. *Late mentalis restrictio* ea est qua quis vocibus sensum adnectit quem haud præseferunt, qui tamen ex adjunctis possit colligi. Legatus de rebus plurimis interrogatus, se nil scire respondet, quia nil communicandum a principe suo accepit.² Advocatus de rebus sibi a cliente communicatis nil se scire absque mendacio profitetur, quia arcanum nequit violare, nec censetur ratione muneris sui loqui.

185. Damnavit Innocentius XI. propositiones sequentes: "Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus." "Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expe-

(1) Theodoret. Hist. Eccl. l. iii. c. v.

(2) "Ministers always act under instructions which are confidential, and which it is admitted they are not bound to disclose." Kent, vol. i. n. 41.

diens, et studiosa.”¹ Hinc satis patet æquivocationes et restrictiones pure mentales non esse admittendas; quodcumque enim mens loquentis non potest ullatenus ex adjunctis colligi, fraus admittitur, verbis contra eorum obvium finem adhibitis. “Qui sophisticè loquitur odibilis est.”² “Labia tua ne loquantur dolum.”³ “Quis habitabit in tabernaculo tuo? . . . Qui non egit dolum in lingua sua.”⁴

186. In causa fidei et religionis obvius verborum sensus est omnino retinendus; nec quidquid proferendum quod errorem ingerat, licet verum habeat sensum ex occulta loquentis definitione. Ratio est quia agitur de re summa, et divini honoris interest ut fidem quisque perspicuis verbis profiteatur; quod etiam ad proximi utilitatem conducit. Hinc non licet negare se esse Catholicum *Romanum*, licet quis intelligat se non esse Romæ natum, dum auditor accipit voces de homine cum Sede Petri consortio religionis conjuncto. Nec licet se dicere *Universalistam*, Catholicum ea voce intelligendo, quum apud nos designet sectarium credentem universos homines tandem aliquando ad salutem perventuros.

187. In confessione sacramentali omnis vocum ambiguitas omnino est evitanda, saltem quoad ea quæ necessariò declaranda sunt: nam confessio ita est peragenda ut confessarius recte valeat judicare de peccatis. Sic si quis dicat se consortio pravo indulsisse, animo intelligens actus impudicos patrasse, non satisfacit confitendi oneri, quoties noscit confessarium tantam vim vocibus illis non tribuere. Sed si se celare studens, de munere quo fungitur interrogatus aliquid ambigui sensus reponat, non erit mendacium saltem grave, dummodo integra alioquin fiat peccatorum confessio.

188. Id apud omnes catholicos in confesso est ab omni vocum ambiguitate in communi vitæ commercio esse cavendum: sed disceptatur utrum umquam liceat ea uti. Plerique theologi affirmant, si gravis urgeat causa, et mens loquentis ex adjunctis possit colligi, licet reapse non colligatur. Sic Abraham consuluit Saræ ut sororem ejus ipsa se profiteretur, conjugium silens; et Isaac Rebeccam sororem se vocare præ conjugè voluit. Christus Dominus se non ascendere ad diem festum dixit, eo quod palam et cum indicis manifestis suæ divinæ naturæ nollet cum discipulis tunc ascendere, paulo post

(1) Prop. xxvi. xxvii. inter damnatas. 2 Martii 1679.

(2) Eccli. xxxvii. 23.

(3) Ps. xxxiii. 14.

(4) Ps. xiv. 1. 3.

occulte ascensus.¹ De Lazaro dormiente, et de puella, quam mortuam non esse affirmavit, locutus est, mortem somni instar habens.² Se nescire diem judicii professus est, quod scilicet non esset manifestanda.³ Templi nomine corpus suum indicavit, quod tamen de templo Hierosolymitano Judæi erant intellecturi.⁴ Equidem quoties verba ambigua sunt, et mens loquentis colligi potest ex adjunctis, qui errat, ea sensu magis obvio accipiendo, sibi debet imputare, quod temere, et omnibus haud satis perpensis, judicaverit. Qui autem gravi admodum ratione urgente a communiore verborum significatione recedit, excusatur rei necessitate; nec arguendus est mendacii, quum verborum sensus mensque loquentis possint detegi.⁵

189. Mulierem a viro adulterii accusatam posse etiam juramento crimen negare nonnulli putant, eo quod se prodere non teneatur, et injuria ei fiat, dum jurata de suo crimine a marito interrogatur. Censent igitur mentem ejus inde colligi posse, se crimen haud admisisse quod revelare teneatur. Cæterum vix hæc placuissent Augustino: "Namque cogitandum est, sæpissime homines de quarum adulterio suspicantur, ad jusjurandum provocare conjuges suas: quod utique non facerent, nisi crederent etiam illas quæ non timuerunt perpetrare adulterium, timere posse perjurium. Quia et revera nonnullæ impudicæ quæ non timuerunt illicito concubitu viros fallere, eisdem viris quos fefellerant timuerunt Deum testem fallaciter adhibere."⁶

190. Reum extra juris ordinem interrogatum posse negare crimen etiam censent nonnulli, eodem innixi principio. Item qui casu vel ob necessariam sui defensionem hominem interfecit, potest, juxta quosdam, negare cædem, intelligens se *crimen* haud patrasse, quoties rem admittendo se vitæ discrimini objiceret, deficiente testimonio quo veritas pateret.

191. Interrogatus a judice, ex legis auctoritate, veritatem simplicem absque ullis verborum ambagibus debet quisque profiteri; interest enim justitiæ et salutis reipublicæ, ut nudam se prodat veritas, quoties ex legis auctoritate quæritur: juris autem ordine non fit in-

(1) Joan. vii. 8. 10.

(2) Joan. xi. 11.

(3) Marc. xiii. 32.

(4) Joan. ii. 19.

(5) "It is lawful upon a just cause of great charity or necessity to use in our answers and intercourses words of divers signification, though it does deceive him that asks." Jer. Taylor, *Ductor Dubitant.* l. iii. c. 2. qu. iii. vol. ii. p. 100.

(6) Lib. contra mendacium, sub finem.

terrogatio nisi præcesserit semiplena probatio. Cæterum quæ solet fieri apud nos criminis negatio a reis videtur plerisque excusanda, quum censeantur tantum nolle fateri, quamvis alias senserit Taylor.¹ Non licet reo aliquid falsi proferre, ut se tueatur; sed debet legis præsidium implorare, si qua fiat interrogatio, cui absque sui discrimine respondere non valet. De cæteris interrogatus si verbis ludat, occultum iis affingens sensum, perjurus meritò habetur. Sic si quis respondeat se non vidisse aliquem certo quodam loco die illo, vel nocte, quem tamen vidit vespere, dolose loquitur, et fallit, graviter idcirco culpandus. Testes autem recusare possunt aliquid fateri quo pænæ fiant obnoxii: sed non debent per verborum ambages evadere.²

192. Quæ juramenta fiunt ab iis qui ad munus aliquod assumuntur, sunt juxta verborum obviam vim excipienda, habita ratione etiam animi quo proponuntur, et communis et notissimæ omnium intelligentiæ: nam Deo invocato teste, nihil leviter vel dolose admittendum est; nec munera publica temere assumenda sunt, conditionibus neglectis, studio, vel dolo. Merito idcirco damnata est propositio: “Qui mediante commendatione, vel munere, ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.”³

193. In contractibus, et quoties de justitia agitur, omnis verborum ambiguitas evitanda est, quia quum voluntas contrahentium nonnisi

(1) “It is not lawful for a guilty prisoner to say *Not guilty*, when he is justly interrogated. Although it be said, that no man is bound to accuse himself, and indeed the laws of man do not tie him to do it: yet this hinders not the conclusion in this case; for in the present case the man is accused already, and he is not called to be his own accuser, but to confess the fact if he be justly accused by the law: for why does the judge ask, but to be answered truly? For there being three ways in law of proceeding to definitive sentence, 1. the notoriety of the fact, 2. the conviction by witnesses, and 3. the confession of the party; in the destitution of the first, to prevent the trouble of the second, the law interrogates concerning the third.” Jer. Taylor, *Ductor Dubitantium*, l. iii. c. 2. vol. ii. p. 89.

(2) “It is quite clear that a man is not bound to answer any questions, either in a court of law or equity, which may tend to criminate himself, or which may render him liable to a penalty.” Chitty, note 31, on Blackstone, l. iii. n. 370.

(3) Prop. xxviii. inter damnatas ab Innocentio XI.

verbis manifestetur, non erit consensus ad paciscendum necessarius, mente verbis haud respondente. Fraudem utique faceret qui equum alteri promitteret, lineam equi effigiem ea voce intelligens. Injuriam inferret et calumniam, qui aliquem furatum esse magnam pecuniæ copiam enarraret, animo intelligens eum mira arte et industria eam sibi comparasse.

194. In fœderibus et pactis publicis verborum obvio sensui standum, nec ulla vocum ambiguitas est admittenda: fides enim publica nulla erit, si verbis occultus adnectatur sensus, quo vis eorum tollatur. Meritò Augustinus ait: "Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur."¹ Pessime calumniantur hæretici catholicos veluti docentes fidem nullam hæreticis servandam. Quod si quis grassatori promittens redemptionis suæ pretium, voce ambigua utatur, excusant eum plures injuriam quæ ei infertur dolo repellentem. Sic si polliceatur se bis mille nummos daturum, animo autem intelligeret chirographa dare mensæ nummularii, quæ jam sublata est, excusandus videretur.

195. Videtur pluribus licere verborum ambiguitate uti ad impediendum homicidium, stuprum, vel aliud grave facinus, innocenti ut consulat. Sic quærenti aliquem ut eum occidat si quis respondeat eum foras exivisse, intelligens in atrium vicinum, fallit alium putantem eum domo per civitatem egressum. Mulier vim sibi illaturum fallit dicendo aliquem in vicino cubiculo adesse, intelligens Deum qui ubique est. Puella latens ne stupretur, dicitur abiisse, intelligendo in locum ubi absconditur. Hæc æqua videntur, quæ idcirco damnare non audemus.

196. Sunt quædam loquendi rationes quæ ex consuetudine sensum habent specialem. "Sic usu communi nunc receptum est, ut hæc verba *dominus non adest domi*, hoc solum significant, eum actu videri non posse." Ita post Colletum Carriere.² Sic et quærenti mutuam pecuniam respondens se eam non habere, intelligitur quam commode præstes. Ad famam tuendam aliqua se viduam dicit, intelligens viri consortio privatam, quæ tamen ei numquam nupserrat. Eam prodere se nolentem non audemus damnare.

(1) Ep. ccv. nunc clxxxix.

(2) De justitia et jure, vol. ii. n. 960.

§ V. DE SIMULATIONE.

197. Simulatio inter mendacia merito recensetur: "Sicut veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet: ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum, aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est: quod proprie simulatio dicitur. Unde simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens."¹ Equidem Christus redivivus comitem se præbens duobus discipulis euntibus Emmaum, dum hi diverterent ad pernoctandum, "finxit se longius ire,"² scilicet "composuit motum suum, quasi volentis longius ire."³ Cæterum nulla hic vera simulatio reperitur, quum hæc agendi ratio viatoribus haud infrequens indicet pergendi iter consilium, nisi ad hospitium invitentur. Sic non censentur mentiri, qui ne hospitio diutius abuti videantur, se parant itineri, animo tamen ita dispositi ut precibus hospitium facile cessuri sint.

198. Qui utuntur veste speciali occultandi se causa, et fuga evadendi, non videntur simulationis rei, quamvis enim speciem alienam intuentibus objiciant, eo etiam consilio ut decipiantur, attamen nihil affirmant, et gravem habent causam cur dolo utantur. Sic vir mulieris vestibus indutus e carcere aliquando evasit. Quod si vestis sit sectæ propria, v: g: Quakerorum, videtur excusari posse qui ea in tanto discrimine utitur, quum vestis non sit per se religionis actus, nec professio, quamvis placuerit sectæ peculiari forma uti. Simularet autem, et in fidem peccaret, qui, nullo instante periculo, hujusmodi indueret vestem, ut sectæ sibi consortium et auxilium compararet.

199. Non dicendus est simulator qui gravioris peccati reus illud studet occultare, quin sanctitatis affectet laudem; nemo enim se prodere tenetur, et prudenter celat delictum ex quo sibi infamia, aliiis offensio et ruina forsitan sequatur. "Sicut aliquis verbo mentitur,

(1) S. Thom. 2. 2. qu. cxi. art. i. *Resp.* Paley dicit: "A man may act a lie; as by pointing his finger in a wrong direction when a traveller inquires of him his road." l. ii. c. xv. Jeremias Taylor verba Aquinatis sua facit, "because they are reasonable and pious. . . . A man may look a lie, and nod a lie, and smile a lie." *Ductor Dubitantium*, l. iii. c. 2. qu. iv. vol. ii. p. 104.

(2) Luc. xxiv. 28.

(3) S. Thom. ubi supra, *ad primum*.

quando significat quod non est, non autem quando tacet quod est; quod aliquando licet: ita etiam simulatio est, quando aliquis per exteriora signa factorum vel rerum, significat aliquid quod non est: non autem si aliquis prætermittat significare quod est. Unde aliquis potest peccatum suum occultare absque simulatione. Et secundum hoc intelligendum est quod Hieronymus dicit, quod secundum remedium post naufragium est peccatum abscondere, ne scilicet exinde aliis scandalum generetur.¹

200. Hypocrisis ea simulationis species dicitur qua quis justum, pium sanctumve se fingit, vitioso manente animo. Quod si fiat ad propagandam hæresim, vel ad corrumpendos mores, vel in aliud religionis reipublicæ damnum, grave est mentiendi genus: secus si sola laus quæretur.²

201. Adulatio etiam mentiendi est genus, ea quippe quis alteri blanditur, eximias ei dotes, ultra quam veritas sinit, tribuendo. Peccatum est grave, quando quis laudat alium ob perperam acta, ea veluti præclare gesta efferendo: "Væ qui dicitis malum bonum."³ Quando quis blandiendo veritatis limites transilit, eo consilio ut alterum ad peccandum inducat, peccati gravis reus etiam est. Quod si quis tantum cupiat alteri placere, culpa levis putatur, quoties nullo gravi lapsus, seu damni periculum, imminet.⁴ Veritatem dicendo aliquando fit adulatio, ex animi intentione, quando quis alienæ delectationi nimis studet: sed a vitio hoc immunis est qui tantum officii causa eximias alterius dotes opportune laudet, etsi suspicetur alteri inde nasci sensum quandam nimium gloriæ. Sic iis qui munere aliquo funguntur, vel potestate præcellunt solent laudes rerum præclare gestarum tribui, quæ et amplioribus enuntiantur verbis, quin assentator dicendus sit qui pro rei veritate loquitur.

(1) 2. 2. qu. cxi. art. i. *ad quartum*.

(2) *Ibidem*, art. iv.

(3) *Isaïæ* v. 20.

(4) S. Thom. 2. 2. qu. cxv. art. ii.

CAPUT XIII.

DE PRAVA CUPIDITATE.

§ I. DE MULIERE CONCUPISCENDA.

Non concupisces uxorem proximi tui. Deut. v. 21.

202. **DESIDERIUM** adulterii hoc vetatur præcepto. Equidem dubitari nequit Deo, cui patet cor, desiderium pravum instar actus ipsius haberi; quapropter Christus Dominus dicit; “Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.”¹ Ipsa cordis voluptas de adulterio cogitato, absque ullo ad id patrandum conatu, vel proposito, grave est peccatum, quum delectatio ex re prava, quam mens præsentem efficit, oriatur. Multo magis prohibentur consilia et conatus omnes adulterandi, et quæcumque adhibentur subsidia ad id assequendum. Quid autem dicendum de eo qui cuperet quidem muliere aliena frui, si conjugio non esset ligata, vel si maritum contigerit mori? Equidem conditio apposita non tollit mentis vitium, quoties res ipsa præsens exhibetur; prava enim inde nascitur voluptas: quod si cogitationem ab ea conjugii voluptate quis abstineat, illa cortis proclivitas efficax non erit censenda, sed naturæ vitiatæ impetus, quem Dei gratia coercet.

203. Id Deus sibi proposuisse illo legis præcepto videtur, ut, adulterii radicibus sublatis, consisteret Israelitarum inter se societas, vinculo conjugii sacrosancto habito. Cæterum quæcumque prava libido vetita intelligenda est, quum internus haud minus ac externus actus sanctitati divinæ repugnet: quapropter Apostolus concupiscentiam generatim lege prohiberi docet: “Peccatum non cognovi, nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.”² Hinc omne desiderium voluptatis cum femina fruendæ extra matrimonium peccatum est.

(1) Matt. v. 28.

(2) Rom. vii. 7.

§ II. DE RERUM CUPIDINE.

“ Non concupisces domum (proximi tui) ; non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt.” Deut. v. 21.

204. Hoc præcepto vetatur ne quis cupiat injuste possidere aliena, juxta illud Psaltis: “ Rapinas nolite concupiscere.”¹ Voluntas comparandi sibi quæ alterius sunt prohibetur: et jure optimo, ut liquet, quæ enim quis nequit sibi sumere absque alterius injuria, nequit desiderare absque peccato, peccatum enim est velle patrare injustitiam. Conatus etiam omnes ad id directi peccatis meritò accensentur. Licet quidem velle sibi comparare quæ alter possidet, salvis tamen justitiæ legibus, et absque alterius detrimento: quamvis hæc ipsa coacervandi divitias cupiditas non careat periculo: “ Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.”² De pravis desideriis fusius in tractatu de peccatis agere proponimus.

De Decalogo egimus quatenus naturalem legem inculcat, et Christianifideles ideo obstringit. Cætera quæ divina Lege includuntur explicabuntur opportune, quando de fide et de sacramentis agendum erit. Jam verò ad leges quæ Dei auctoritate feruntur ab Ecclesiæ præsulibus progredimur.

(1) Ps. lxi. 11.

(1) 1 Tim. vi. 9.

TRACTATUS IV.

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

PARS I.

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS IN UNIVERSUM.

CAPUT I.

DE POTESTATE LEGES FERENDI.

§ I. DE POTESTATIS ORIGINE.

1. MANDATA divina decalogo comprehensa Christus Dominus nobis commendavit servanda; sed et omnia quæcumque ipse Apostolis tradidit de rebus credendis, de morum regula, et de sacramentis suscipiendis: leges tamen quibus regerentur fideles per temporum locorumque varietates non tulit; sed Petro præcipua quadam ratione totius gregis curam, cum regendi potestate, commisit, Apostolis universis etiam ligandi et solvendi auctoritate concessa. Regimen igitur instituit quod per gentes et sæcula omnia vigeret,¹ quæque ad fidem pertinent mysteria, et quæ suscipienda sunt sacramenta statuit.

(1) Meritò Anglicanis exprobraverunt Puritani eos Christo detrahere potestate regi tributa regimen ecclesiasticum variandi. Heb. iii. 6. "Either that commendation of the son before the servant is a false testimony, or the son ordained a permanent government in the church. If permanent, then not to be changed. What then do they that hold it may be changed at the Magistrate's pleasure, but advise the Magistrate by his positive laws to proclaim that it is his will, that if there shall be a church within his dominions he will maim and deform the same!" M. M. pag. 16. cit. a Hooker Eccl. Polity, l. iii. n. 11.

nulla temporum varietate mutanda; et morum explicuit principia, relicta potestate rectoribus Ecclesiæ ea decernendi quæ locis temporibusque viderentur congruere.

2. Leges ecclesiasticæ sunt præcepta communia, justa, ac stabilia de rebus ad animarum regimen attinentibus, sufficienter promulgata ab Ecclesiæ rectoribus. Equidem omnis legis humanæ notio a Suaresio in eo posita est quod sit "commune præceptum, justum, ac stabile sufficienter promulgatum:"¹ quæ in lege ecclesiastica emineat necesse est. Singulis fidelibus æqua ex causa tradi possunt præcepta, nam patrum instar regunt eos præsules, sed lex communitatem obligat; nec tamen necesse est ut omnes ubique liget fideles, quum aliquando respiciat cœtus quosdam, vel casus singulares qui contingant. Justa sit lex ecclesiastica omnino oportet, nulla enim est lex nisi justa, et potestas a Christo Domino concessa est præsulibus in animarum utilitatem: "in ædificationem, et non in destructionem."² Nisi stabile sit præceptum non erit dicenda lex; nec tamen necesse est ut sit perpetuum; potest enim certo definiri temporis limite, si ita legem ferenti visum fuerit. Debet respicere res quæ ad animarum regimen attinent, nam hæc est propria præsulum sparta, positi quippe sunt "ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi."³ Sic sacramentorum ministrandorum rationem definiunt, et divinorum præceptorum executionem legibus urgent, et fideles a periculo peccandi revocant, et alias fidei et morum integritati consulunt.⁴ Canones dici solent leges ecclesiasticæ a Græca voce *κάνων*, quæ regulam significat, sunt enim regulæ vivendi, quæ vim quidem legum habent, sed a civilis potestatis sanctionibus in eo discernuntur, quod conscientiam maxime spectent, quum hæc vi adhibita executioni demandentur.

3. Leges ferendi potestas plane continetur iis Christi verbis Petro dictis: "Tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis:"⁵ nam clavium imago potes-

(1) De leg. l. i. c. xii. (2) 2 Cor. xiii. 12. (3) Eph. iv. 12.

(4) Aliquam leges ferendi potestatem Ecclesiæ vindicavit Ricardus Hooker, præbyter Anglicanus, qui decimo septimo ineunte sæculo scripsit, sectam suam contra Puritanos vindicaturus: "We hold that the power which the church hath lawfully to make laws and orders for itself, doth extend unto sundry things of ecclesiastical jurisdiction and such other matters." Hooker Eccl. Polity, l. iii. n. 11.

(5) Matt. xvi. 19.

tatem regis proximam designat,¹ adeo ut regis nomine regnum gubernare valeat, ligetque suo imperio subditos. Habet igitur Petrus, et qui ejus locum tenet, maximam hanc in Christi regno, quod est Ecclesia, auctoritatem. Sed et universis Apostolis dictum est: "Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo:"² quæ verba, quamvis respiciant iudicium in reum proferendum, sua tamen amplitudine complectuntur omne potestatis exercitium. Equidem Christus Apostolos in universum mundum mittens, amplissimam qua eos donavit potestatem indicavit, ejus quam a Patre acceperat præmissa mentione: "Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra:"³ et alias: "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos."⁴ Hac usi potestate in cætu Hierosolymitano vetuerunt ne ethnici ad fidem conversi vescerentur idolothytis, suffocatis, et sanguine:⁵ quam legem sancte servandam Paulus ostendit, nam "perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum et Seniorum."⁶ Singulis autem episcopis in greges sibi commissos eandem competere potestatem, ex verbis Pauli ad seniores Epheso Miletum accersitos colligitur, quippe qui a Spiritu Sancto positi sunt, ut pastorum omnia munia adimplerent, non tantum pascendo, sed et gubernando oves: "Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo."⁷ Ideo fideles monuit Paulus: "Obedite præpositis vestris et subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri."⁸ De potestate regiminis fusius jam disseruimus.⁹

4. Ex ipsa Ecclesiæ institutione potestas leges ferendi colligitur, quum enim Christus eam ex omnibus gentibus constare decreverit, et per omnia durare sæcula, rectoribus ejus potestatem concesserit oportet qua in unum corpus tot populi coalescerent, et respublica tota firma consisteret et immota. Leges autem maxime necessariæ sunt ad unitatem et firmitatem, quippe quibus singulorum coeretur arbitrium, et pro rerum, locorum, temporumque varietate agendi regulæ præscribuntur. Rectoribus a Christo designatis omnis potestas quæ

(1) Vide Isaiam xxii. 22.

(2) Matt. xviii. 18.

(3) Matt. xxviii. 18.

(4) Joan. xx. 21.

(5) Act. xv. 29.

(6) Ibidem 41.

(7) Ibidem xx. 28.

(8) Heb. xiii. 17.

(9) Theologia Dogmatica, Tract. ii. de Ecclesia c. xv. xvi. xix. xx.

ad fidelium multitudinem in officio continendum necessaria sit, concessa procul dubio est: quapropter et moribus moderantur, legibus latis, et delinquentes pœnis medicinalibus plectunt, et desperatos extra societatem pellunt. Spirituale utique et cœleste est Christi regnum, ab imperio dominatuque civili omnino diversum; quippe quod totum ad animarum salutem dirigatur: sed eo magis indiget legibus quibus conscientia regatur, quod abest suppliciorum in hac vita metus.

§ II. DE LEGUM LATORIBUS.

5. Pontifex Romanus leges ferre valet quæ universam Ecclesiam respiciant et obligent. Novimus theologos quosdam et jurisperitos limites huic potestati adsignare; sed nobis placet cum antiquorum turba eos tantum agnoscere limites qui divina lege statuuntur: irrita quippe foret lex quæ huic repugnat; sed vim obtinere debet quæ, ea illæst, a supremo Ecclesiæ rectore, Christi nomine fertur. Nec ideo putamus licere pontifici suo veluti arbitrato omnia singulorum jura, vel ecclesiarum privilegia et consuetudines conculcare et evellere: potestas enim in ædificationem data est, et non in destructionem: quæ si lubito quodam dominandi adhibeatur, quod absit! vix obtemperantes habebit populos.¹ Equidem constat hanc potestatem semper adhibitam esse magno cum moderamine, et pontifices proclives se exhibuisse in fidelium utilitates, et justa desideria.²

6. Concilia Œcumenica, quæ episcopis ex toto orbe congregatis constant, summo Pontifice probante, ferunt leges quibus universa Ecclesia obstringitur:³ hujusmodi enim cœtus totum episcoporum col-

(1) Optime Comes De Maistre objicientibus: "Qu' est ce qui arrêtera le Pape?" respondet: "Tout; les canons, les lois, les coutumes des nations, les assemblées nationales, la prescription, les représentations, les négociations, le devoir, la crainte, la prudence, et pardessus tout, l'opinion reine du mode." Du Pape, ch. xviii.

(2) "Es notorio, que la Santa Sede ha dado siempre pruebas de la mayor condescendencia con respecto à todas las Iglesias: aun muchas veces, y casi siempre, ha prevenido sus necesidades y deseos." Ensayo sobre la Supremacia del Papa § i. p. 88. por el D. D. José Ignacio Moreno, Arcidiano de la Iglesia Metrop. de Lima, Lima, 1831. Hæc ipse ex mox laudato opere mutuatus est, præclaro studio jura S. Sedis vindicans.

(3) "As one and the same law divine is unto all Christian churches a rule for

legium, quatenus in unum convenire possint, exhibet, cujus decreta Spiritui Sancto probari, sicut olim quæ a concilio Hierosolymitano prodierunt, non immerito creduntur.¹ *Canones* dicuntur leges a conciliis œcumenicis latæ, vel quæ a Pontificibus vel conciliis inferioribus prodierunt, et in corpus Juris receptæ sunt. Concilia Nationalia ex episcopis totius nationis constantia, leges ferunt quibus ligatur gens cui præsunt. Conciliorum provincialium leges provinciam ecclesiasticam, quæ plures complectitur diœceses, respiciunt, sed non plenam obtinent vim ante Pontificis probationem. Episcopus quisque suam diœcesim regit, legibus in synodo diœcesana ex consilio cleri latis, vel alias editis. Nullius roboris est decretum vel lex quæ superioris tribunalis decreto repugnat; ideoque nihil valet episcopus decernere contra universalem Ecclesiæ disciplinam.

§ III. DE LEGUM ECCLESIASTICARUM MATERIA.

7. Quum potestas Ecclesiæ tota ad animarum salutem data sit, legum ecclesiasticarum propria materia est quicquid eo tendit. Igitur imprimis divina dogmata legibus tuentur Ecclesiæ præsules, caventes ne quid in ea peccetur, vel fideles temere se discrimini fidei amittendæ exponant. Eo diriguntur leges quibus libri noxii vetantur. Morum præcepta divinitus tradita legibus etiam præsules inculcant, pœnas statuentes in reos enormium criminum, quos, instar Corinthii quem plexit Paulus, aliquando privant fidelium consortio, ut ad bonam frugem et pœnitentiam redigantur. Huc pertinent leges quibus

the chiefest things, by means whereof they all in that respect make one church as having all but one Lord, one faith, and one Baptism, so the urgent necessity of mutual communion for preservation of our unity in these things, as also for order in some other things convenient to be every where uniformly kept, maketh it requisite that the church of God here on earth have her laws of spiritual commerce between Christian nations, laws by virtue whereof all churches may enjoy freely the use of those reverend religious and sacred consultations which are termed councils general: a thing whereof God's own blessed Spirit was the author; a thing practised by the Holy Apostles themselves; a thing always afterwards kept and observed throughout the world." Hooker's *Ecccl. Polity*, l. i. n. 10.

(1) "It is not said amiss touching ecclesiastical canons, that by instinct of the Holy Ghost they have been made, and consecrated by the reverend acceptation of the world." Hooker's *Ecccl. Polity*, l. iii. n. 8. citans C. Violatores, 25. qu. i.

plectuntur abortus auctores, et naufragorum bona diripientes. Sacramentorum administrandorum rationem determinat, salva eorum substantia, ut omnia fiant "honeste et secundum ordinem,"¹ Apostolorum exemplum et auctoritatem in disponendis quæ eo pertinent,² secuti; et tempus definiunt quo divinis ea suscipiendi præceptis satisfiat. Munia alia fidelium, quæ in Scripturis declarantur, implenda curant, legibus ideo latis: et ne divino cultui desint provident. Sacrorum ministrorum jura, præter ea quæ a Christo Domino definita sunt, legibus Ecclesiæ statuuntur: quapropter præter primatus institutionem, quæ Christum habet auctorem, metropolitaram in episcopos, et patriarcharum in metropolitas jurisdictio, qualis olim viguit, ad legem ecclesiasticam referenda est.³ Privilegia cleri, quæ sacri ordinis dignitate nituntur, legibus ecclesiasticis explicata sunt et definita: et munia eorum adsignata. Ordinum Religiosorum immunitas et jura iisdem etiam statuta sunt. Tota denique politia Ecclesiæ legibus constat et explicatur.⁴

8. De rebus temporalibus cum spiritualibus connexis leges ecclesiæ sæpe agunt, v: g: de ædibus prædiisque in sacros usus datis, vel in sustentationem sacrorum ministrorum: ex eo enim quod Deo dicarentur, præsules Ecclesiæ censuerunt curandum ut donatorum voluntati satisfaceret, et res rite administrarentur. Hinc definiunt quo rerum eventu collatio beneficii sit irrita, vel fructus non fiant possessoris, vel ipse jure quod habuerit cadat: sed et mulctant aliquando delinquentem fructuum parte, utpote quorum percipiendorum jus

(1) 1 Cor. xiv. 40.

(2) Ibidem, xi. 34. "It is by ours acknowledged, that the Apostles did in every church institute and ordain some rites and customs serving for the seemliness of church regiment, which rites and customs they have not committed unto writing." Hooker's Eccl. Polity, l. i. n. 14.

(3) "Sunt episcopi omnes ordine pares can. 6. caus. 7. quæst. 1. Fuissent etiam omnes, uno dempto Pontifice Maximo, qui jure divino primatum in Ecclesia tenet, pares jurisdictione, si nihil jure positivo ecclesiastico constitutum aliquando fuisset." Bernardi dissert. 3. cap. 1. de origine et rat. Archiep. tom. i. Comm. in jus Eccl. univ.

(4) "Touching things which belong to discipline and outward polity, the church hath authority to make canons, laws, and decrees even as we read that in the Apostles times it did. Which kinds of laws (for as much as they are not in themselves necessary to salvation) may after they are made be also changed as the difference of times or places shall require." Hooker's Eccl. Polity, l. iii. n. 10.

omne ex Ecclesiæ concessione derivatur.¹ Nemo non videt hæc nonnisi ab ecclesiastica potestate pendere. Ipse imperator ethnicus Aurelius ædes episcopi quas occupabat Paulus Samosotenus tradi jussit ei cui episcopi Italiæ et Romanæ urbis episcopus eas adjudicarent.² Apud juris canonici peritos "pertinent ad spirituales res sacræ quæ scilicet Deo et Religioni sunt consecratæ, ut divinus cultus exerceatur; veluti ecclesiæ, sacraque vasa, et ornamenta, itemque res religiosæ, domus scilicet et loca, in quibus vel Regulares vitam traducunt, vel pauperes atque ægroti curantur, vel fidelium cadavera sepeliuntur. Res temporales ecclesiasticæ sunt redditus, et fundi ecclesiarum quibus aluntur clerici, et pauperes, omniaque ad Religionis usum necessaria comparantur."³

9. Leges ecclesiasticæ de rebus mere temporalibus non feruntur, nisi quatenus liceant determinant. Ecclesiæ est definire utrum contractus injustus sit, et vitio usuræ infectus, nam ex divina lege, quam ipsa tradit et custodit, pendet. Hinc plures prodierunt Pontificum et conciliorum decreta, quibus vetabatur ne fideles quosdam inirent contractus vitio usuræ, vel ejus periculo et specie non carentes. Ratione igitur peccati pertinent ad Ecclesiam quæ alioquin civili potestati omnino subjacent. Præsulum non est res mundanas curare, sed divinam explicare legem, et fideles a peccati periculo procul tenere. Quod si de externa regnorum politia, et principum negotiis in sacris comitiis, medio ævo, nonnumquam tractatum sit, temporum illorum conditio est spectanda, et principum in legibus illis condendis opera vel assensus.⁴

10. De criminibus contra fidem moresve agunt leges ecclesiasticæ præsertim ut clerici in officio retineantur, vel si deliquerint, absque ordinis dedecore puniantur. Gravia etiam laicorum delicta, quæ offensionem pariunt plurimorum, legibus coercentur, et servato iudicii ordine plectuntur. Leges autem quæ crimina respiciunt divino

(1) Vide Conc. Trid. Sess. xiv. c. vi. decr. de Ref. et passim. "La Iglesia tiene sobre su patrimonio toda la accion y arbitrio exclusivo, que corresponde à titulos tan inviolables, para hacer de él la distribucion y aplicaciones, que tenga por convenientes, à todos los objetos del culto y piedad cristiana." Ensayo sobre la Supremacia del Papa, p. 178.

(2) Apud Euseb. l. vii. hist. Eccl. c. xxx.

(3) Inst. Canon., Devoti, l. ii. t. i.

(4) Vide Theol. Dogm. tract. de Ecclesia. c. xix.

nituntur jure quatenus Ecclesiæ est invigilare fidei morumque integritati, et filiorum suorum emendationi et saluti: sed ex civilis potestatis assensu plurimum pendent ut servantur, vimque obtineant.

11. De actibus externis fiunt leges, et quidem de iis qui sunt magis necessarii ad animarum profectum: qui enim non adeo sunt necessarii uniuscujusque arbitrio plerumque relinquuntur.¹ Disputant theologi utrum Ecclesia possit lege injungere actum mere intantum; plerisque negantibus, quum necessaria non sit hæc potestas ad externum regimen:² constat quidem hujusmodi legem numquam esse latam. Potest tamen actum externum injungendo, internum, qui ad ejus valorem sit necessarius, exigere:³ secus frustra actum externum injungeret. Hinc meritò damnata est propositio: "Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ."⁴ Potest etiam exigere ut actus externus honeste fiat,⁵ ideoque internum injungere sine quo impius foret et sacrilegus, nam damnata est altera propositio: "Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Dominici corporis manducationem."⁶ Potest etiam punire actum externum ob pravum quo factus est animum: sic excommunicatione percillantur hæreticæ pravitatis inquisitores qui ex odio, aut lucri cupidine innocentes damnant, vel reos absolvunt.⁷ Non autem consuevit actum internum lege injungere, qui ad meritum coram Deo

(1) Mirum est episcopum Anglicanum hæc scripsisse "All outward duties are so enjoined that they can be supplied, and the internal grace instanced in other actions, of which there are so many kinds that some or other can be done by every one, and yet there is so great a variety that no man or but very few men can do all. I instance in the several ways of mortification, viz. by fastings, by watchings and pernoctations in prayer, lyings on the ground, by toleration and patience, laborious gestures of the body in prayer, standing with arms extended, long kneelings on the bare ground, suffering contradictions and affronts, lessenings and undervaluings, peevish and cross accidents, denying ourselves lawful pleasures, refusing a pleasant morsel, leaving society and meetings of friends, and very many things of the like nature, by any of which the body may be mortified, and the soul disciplined, or the outward act may be supplied by an active and intense love which can do every thing of duty." Jeremy Taylor, Ductor Dubitantium, l. ii. c. iii. p. 438.

(2) Vide Suaresium de Legibus, l. iv. c. xii. 7.

(3) Ibidem, c. xiii. 6.

(4) Prop. xiv. inter damnatas ab Alex. VII.

(5) Suares. de Leg. l. iv. c. xiii. 14.

(6) Prop. lv. inter damnatas ab. Innoc. XI.

(7) Clementin. i. § Verum de hæreticis.

adipiscendum sit necessarius, v: g: animi pœnitentiam dum quis jejunia servat, devotionem dum adstat Missæ, vel dum recitat Breviarium. Qui tamen legeret illud¹ absque ulla orandi intentione non videtur satisfacere præcepto, quod orationem respicit.

12. Quamvis leges ferendi potestas circa actus externos præcipue versetur, de quibus tantum judicare potest Ecclesia, præsules tamen jus habent animas regendi, ut earum saluti consulant: quapropter meritò damnatus est Molinos, asserens animarum interius regimen episcopis aliisque præsulibus haud competere:² eo scilicet consilio id asseruit ut nefanda principia occulte spargeret, animasque iis infectas retineret, præsulum auctoritate elusa.

(1) Suares. de Leg. l. iv. c. xiii. 6, 7.

(2) Prop. lxxv. et lxxvi.

CAPUT II.

DE LEGUM OBLIGATIONE.

§ I. DE PROMULGATIONE LEGUM.

13. CONSTAT promulgandas esse leges ecclesiasticas ut vim habeant. Quæ a Pontifice feruntur, promulgantur Romæ, decreto ad valvas S. Petri basilicæ affixo. Utrum vim ubique obtineant, statim ac innotuerit ea promulgatio, res est controversa. Affirmant plerique Romani theologi verbis decretorum innixi; quibus adhæret Suaresius cum aliis :¹ sed contradicunt exteri plurimi, contententes necessariam esse in singulis provinciis promulgationem per episcopos; quum hanc postulet suave Ecclesiæ regimen, et imperialium decretorum similis sit ratio.² Id exploratum videtur fideles a legibus servandis eximi, quamdiu episcopi, pontifice haud refragante, eas executioni demandandas non curent; nam bona fidē sibi persuadere possunt pontificis mentem non esse ut earum observantia ubique exigatur. Quod si noverint episcopum pontificiæ jussioni repugnare, principis gratia, vel humano aliquo studio, videntur teneri ad legem servandam, quatenus possint: nec enim fas est ut inferioris præsulis pertinacia, vel animi infirmitate, supremi rectoris Ecclesiæ jussa irrita fiant. Peccat plane episcopus, qui, justa causa haud suffragante, leges pontificias negligit promulgare: gravi autem imminente incommodo, debet difficultatem pontifici referre.³

14. Quæ Bullario insertæ sunt leges pontificiæ ad corpus juris censentur pertinere, ideoque ubique obtinere vim.⁴ Quæ etiam consuetudines inductæ sunt, promulgatæ habentur. Quæ verò consuetudine contraria abrogatæ sunt alicubi, vel quæ nunquam in usum sunt

(1) De Leg. l. iv. c. xv. 3.

(2) Authen. lxvi. Justin.

(3) Bened. xiv. de Syn. l. ix. c. viii. § iii. iv. Vide et Suares. l. iv. c. xv. 6.

(4) S. Alph. l. i. Theol. Mor. n. 96. *Sed quæritur* 1.

deductæ, non sunt necessario executioni demandandæ, præsertim si grave inde immineat incommodum.¹ Cavendum tamen ne consuetudini robur episcopi decreto addatur, ne videatur auctoritatem sibi arrogare delendi legem superioris.²

15. Concilii œcumenici decreta Pontifici probata ejus opera promulgari consueverunt, et in singulis reipublicæ Christianæ regionibus solemniter recipi et agnoscī. Per diuones Hispanicæ concilii Tridentini decreta, a Pio IV. confirmata, opera Philippi II., recepta sunt; et in plurimis conciliis præsulū Gallorū laudata sunt³ quamvis regia sanctio non accesserit, quibusdam regni consuetudinibus, seu privilegiis obstantibus.

16. Conciliorū provincialium decreta et diœcesanorū constitutiones promulgantur, quando solemniter leguntur. Antiquus fuit mos post habitum concilium provinciale synodum convocare diœcesanam, in qua promulgarentur decreta: sed jam in ipso concilio leguntur, quamvis vis eorū suspendatur, donec accesserit pontificia confirmatio. Ut populus iis obstringatur consueverunt nonnullis in locis valvis ecclesiæ affigi: sed penes episcopos est eam seligere rationem ea promulgandi quæ opportunior videatur.

§ II. DE CONSCIENTIÆ LIGAMINE.

17. Quum leges ecclesiasticæ ferantur ex auctoritate a Christo Apostolis commissa, conscientiam utique ligant,⁴ nam, ipso dicente, ligabuntur in cælis quæ ipsi ligaverint in terris. Merito igitur proscriptum concilium Tridentinum errorem Lutheri asserentis hominem justificatum non teneri ad observationem mandatorum Christi et Ecclesiæ.⁵ Cæterum non omnes leges pari ratione constringunt conscientiam; sunt enim quæ districte præcipiunt ut munia divinitus

(1) Cap. fin. de consuetudine. Vide Sylvium apud S. Alphons. l. i. n. 96.

(2) Bened. xiv. de Syn. l. xii. c. viii. § viii.

(3) Conc. Rhemens. an. 1564. Rothomag. an. 1581. Burdigal. anno 1583. Turon. an. 1583. Bituric. an. 1584. Tolos. an. 1590; et comit. general. Luteliæ Parisiorū an. 1615.

(4) Id fatetur Jeremias Taylor, suæ sectæ perperam accommodans. "The church hath power to make laws and to give commands obliging the conscience, that is, tying the subjects to obedience under the penalty of committing sin, or of incurring the divine displeasure." Jeremy Taylor, Ductor Dub. l. iii. c. 4. Rule ii. vol. 2. p. 220.

(5) Sess. vi. can. xx.

injuncta impleantur, certo in eum finem statuto tempore, quæ procul dubio graviter ligant animam :¹ quales sunt præcepta de audienda Missa, et de suscipiendis sacramentis pœnitentiæ et Eucharistiæ : aliæ cultus decorem spectant, quæ quoad singula non tantam obtinent vim : aliæ ordinem judiciorum, jura, privilegia, et politiam universam statuunt, quarum vis plurima est quatenus interest justitiæ, ordinis, et utilitatis publicæ, præsertim gravissimis pœnis intentatis eas violanti : alioquin haud adeo graviter ligant.

18. Gravis legis obligatio pendet tum ex rei quam respicit gravitate, tum ex voluntate legem ferentis. Res per se levis nequit sub gravi peccato præcipi, vel prohiberi, nisi iis in adjunctis in quibus magni fit momenti. Non valeret lex hodiernis temporibus qua tabaci usus graviter vetaretur sacerdoti Missam celebranti : quæ tamen olim valuisset, nam quum primum induceretur mos illud sumendi, fideles valde abhorrebant ab illius usu in sacris muneribus. De re gravi lex potest ferri sub culpa leviori, si ita videatur legem ferenti ; quum enim ex ejus voluntate pendeat tota obligatio, ipsius est decernere quo usque extendatur.² Sic posset præcipere episcopus statuto diœcesano ut confessiones mulierum nonnisi in confessionali in loco publico et patenti posito in ecclesiis excipiantur, quod jam in Rituali Romano, et concilio Baltimorensi præceptum est, et per se est gravissimum ad omnem mali speciem et suspicionem amovendam : simul autem injungere sub peccato veniali confessionalium usum in locis in quibus ecclesia erecta non est, declarando se nolle graviter obligare ob difficultatem quæ in lege exequenda in missionibus rure adhuc reperitur. Cappuccinorum quædam constitutiones nonnisi levem culpam violantibus inducunt. Quoties res per se est gravis, sub gravi peccato censetur lege præcipi vel vetari : sed plerumque verba gravissima adhibentur ex quibus mens legem ferentis inno-

(1) Audiatur Hooker : " Is it a small offence to despise the church of God ? ' My son, keep thy father's commandment,' saith Solomon, ' and forget not thy mother's instruction ; bind them both always about thy heart.' It doth not stand with the duty which we owe to our Heavenly Father, that to the ordinances of our Mother the church we should show ourselves disobedient. Let us not say we keep the commandments of the one, when we break the law of the other : for unless we observe both, we obey neither. . . . Yea, that which is more, the laws thus made God himself doth in such sort authorize that to despise them, is to despise in them Him." Hooker's Ecclesiastical Polity, l. iii. n. 9.

(2) S. Alphonsus, l. i. n. 143.

tescat : v : g : “Præcipimus sub indignatione nostra,” “sub interminatione divini iudicii,” “in virtute sanctæ obedientiæ.” Pœnæ autem adjectæ legis gravitatem indicant : sic excommunicatio intentatur negligentibus communionem Paschalem, vel confessionem annuam : suspensio ab omni munere sacro intentatur alicubi clerico alieno Missam absque licentia Ordinarii celebranti. Aliquando, nulla apposita pœna, lex nihilominus graviter obligat : sic lex abstinentiæ et jejunii gravem secum fert obligationem. Ex consuetudine quæ “est optima legum interpretis”¹ gravitas præcepti innotescit et definitur.

19. *Leges sæpe feruntur ad pericula amovenda, eaque de causa irritos declarant actus quosdam in quibus fraus facile contingere, vel ex quibus damnum oriri possit. Dicuntur niti præsumptione periculi, et vim obtinent etiamsi nullum in casu speciali sit periculum. Sic irritum habendum matrimonium clandestinum censuerunt patres Tridentini, ob periculum palam ducendi uxorem, alia jam clam ducta : quæ lex vim obtinet in locis in quibus promulgata est, licet omne periculum hujusmodi sæpe absit. Leges prohibent librorum quorundam lectionem, ne fides legentium vacillet : quibus tamen tenentur homines scientia et fide muniti, adeo ut peccent contra vetitum in locis in quibus vigent, si absque venia eos legant. Leges aliæ vel iudicum saltem sententiæ legibus innixæ, facti præsumptionem sequuntur : quæ si rei veritati non respondeat, vim nullam in conscientia obtinent, nisi publicus ordo, ea neglecta, periclitetur. Sic lege et iudicis sententia cogitur vir ad mulieris consortium quam coram Ecclesia duxit : quod si occultum obstat matrimonio impedimentum, debet potius excommunicationis subire sententiam quam cum ea coire.*

20. *Leges ecclesiasticæ plerumque non obligant cum gravi detrimento, nec enim censetur Ecclesia velle suos filios cum magno rerum suarum damno, vel periculo, ad actus per se haud necessarios adstringere. Hinc lex de audienda Missa in die festo non obligat eum qui muneri suo, quo sustentationis subsidia comparantur, debet deesse, cum ejus amittendi periculo. Sed numquam licet legem violare cum injuria vel contemptu potestatis ecclesiasticæ.² Hinc si*

(1) Cap. viii. de consuetud.

(2) Jeremias Taylor in hoc consentit : “In the case of scandal, or injury to Religion, or the confession of our faith, we are obliged to die, rather than break a positive law of God or man.” *Ductor Dubitantium*, vol. ii. p. 30.

quis cogere velit famulum ut carnes die esuriali edat in contemptum Ecclesiæ, et fidei abnegationem, oportebit Eleazarum imitari, qui noluit vel violare legem Mosaicam, qua caro suilla vetabatur manducanda, vel ejus simulare violationem, etiamsi mors ei immineret.¹

§ III. DE MODO LEGIS SERVANDÆ.

21. Modus finisque legis plerumque haud præcipiuntur, ideoque legi satisfit rem exequendo, licet modus finisque negligatur. Perfectò jejunium animo penitenti servandum est, ad expianda peccata et cupiditates domandas: nec ideo legis violatæ arguitur qui jejunat, licet in peccato versetur, et peccandi fomitem tollendi haud sit sollicitus. Mercedem tamen non habet apud Deum qui modum finemque legis prorsus negligit, præsertim si peccatum animo foveat.

22. Intentio implendi præceptum non requiritur, sed satis est ut res peragatur lege injuncta. Sic qui intra tempus paschali communioni apud nos concessum, Eucharistiam suscipit, ignorans illud jam inchoatum, non tenetur iterum accedere: qui audivit Missam ex more, ignarus diei festi qui celebrabatur, non tenetur altera vice sacrificio adstare. Quod si quis adeat ecclesiam, matri, vel sorori, vel amicæ comes, et nullo devotionis affectu, reverenter tamen adstet Missæ, non est reus violati præcepti, sed alias deficit Dei cultum negligendo. Si animo ita foret dispositus ut alias ecclesiam non adiret, coram Deo, cui patent corda, reus est legis cultusque neglectus.

23. Pluribus legibus aliquando satisfit eodem tempore per plures actus, quando scilicet res præceptæ consociari invicem possunt, et legislator aliter non statuit. Sic communiter consentiunt theologi clericum Missæ audiendæ præceptum implere, si dum ei adstat recitet officium divinum. Pœnitentia etiam quam confessarius injunxit impleri potest pari ratione, preces illas, scilicet, dum Missæ quis adstat, fundendo. Sed si confessarius injunxerit in pœnitentiam Missam audiendam, exigitur plerumque ut præcepto satisfiat, et Ecclesiæ legi, Missa bis audita; nisi constet confessarium præcepti ecclesiastici executionem tantum urgere. Unico autem actu pluribus legibus satisfit, quando ex pari ratione aliquid statuunt. Sic in die festo, qui incidit in Dominicam, unica audienda est Missa. Unicum igitur admittitur peccatum, si quis ei adstare neglexerit:

(1) 2 Macc. v. 18.

duplex vero si urgeret confessarii præceptum pœnitentiæ causa latum.

24. Totum opus a lege præceptum implere si quis non valeat, partem quam potest exequi debet, si res dividi queat, partisque executio legis fini aliquatenus inserviat. Hinc merito damnata est ab Innocentio XI. propositio: "Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem."¹ Rejecta est pariter a Benedicto XIV. eorum sententia, qui solum ob legitimam causam ab abstinentia, statim jejunii etiam lege solvi putabant.² Cui tamen duplex refectio in diebus jejunii est necessaria ob afflictam valetudinem, vel gravem laborem, jejunandi lege solvi, non autem abstinendi, censent theologi; quum jejunium ecclesiasticum unica refectioe necessario constet. Hinc non peccat tres refectioes si sumpserit, etsi duæ sufficerent. Commendandum autem vehementer fidelibus est ut a legis rigore quam parum recedant.

25. Leges affirmativæ a negativis distinguuntur, quod illæ præcipiant, hæ prohibeant. *Semper, sed non pro semper*, illæ dicuntur obligare, quod actus aliquando eliciendos statuant:³ quum hæ obligent *semper* et *pro semper*, prohibent, scilicet, ne actus omnino fiat. Indicia igitur obsequii erga parentes filii aliquando tenentur exhibere, quin unquam possint impune aliquid in eos delinquere. Qui carnes die vetito forte manducare cœpit, oblitus prohibitionis, debet, errore agnito, se abstinere; negativa scilicet lex adhuc viget, servarique potest. Qui jentaculum amplum die jejunii ex errore sumpsit, debet collatiuncula sub vespere esse contentus, nisi obstet grave incommodum. Si autem post prandium et jentaculum detegat errorem, jam non tenebitur a cœna esuriali abstinere, præceptum enim jejunandi amplius nequit servari.

26. Legum executioni nemo debet impedimentum ponere, ut obligationem eas servandi evadat, "nemini enim sua fraus patrocinari debet." Sic non debet quisque opus suscipere eo animo ut jejunii lege sit immunis. Sed qui bona fide agit, vel jure suo utitur, non

(1) Prop. liv. (2) Vide Ben. xiv. Ep. Encyclic. de jejunio.

(3) "The schoolmen have well and soundly determined that God's affirmative laws and precepts, the laws that enjoin any actual duty, as prayer, alms, and the like, do bind us *ad semper velle*, but not *ad semper agere*—we are tied to iterate and resume them when need is, howbeit not to continue them without any intermission." Hooker's Eccl. Polity, l. v. n. 71.

peccat alio se conferendo ubi lex non viget, vel se in ea conditione constituendo, in qua ea non adstringitur. Sic licet iter suscipere negotiorum suorum causa, quamvis quis eo impediendus sit a jejunio, vel a sacro audiendo. Excusantur etiam famuli alique munus suscipientes sustentationis causa, quo a muniis Religionis aliquatenus detineantur, dummodo quæ magis necessaria sunt valeant implere.

§ IV. DE IIS QUI LEGIBUS LIGANTUR.

27. Infantes ante septennium nulla lege teneri censentur; ideoque carnes eis præbendo non peccatur, nec eas domi relinquendo diebus festis. Perpetuò amentes legibus immunes pariter habentur.

28. Ecclesiæ leges baptizatos tantum respiciunt, nullam enim habet potestatem in eos qui baptismo eam non sunt ingressi: "quid enim mihi," inquit Apostolus, "de iis qui foris sunt, judicare?"¹ Hinc abstinentiæ a carnibus, vel jejunii lege non tenentur qui baptismum nunquam susceperunt. De baptizatis omnibus asserunt communiter theologi eos teneri legibus ecclesiasticis, quum baptismus sit Ecclesiæ janua: quod autem extorres sint quidam ratione hæresis, schismatis, vel criminis alterius, anathemate lato, eorum culpa contingit, a qua immunitatem et privilegium derivari non oportet. Hinc impedimenta matrimonii hæreticos ligant, adeo ut non valeant nuptiæ ab iis intra gradus prohibitos attentatæ. Clandestinitatis tamen impedimentum excipiendum est, quum enim patres Tridentini voluerint illud vim habere nonnisi elapsis triginta diebus post decreti illud statuentis publicationem in singulis parœciis, Summi Pontifices benigne censuerunt illud non haberi apud hæreticos publicatum, quum cœtus sint distincti.² Inter recentiores sunt qui idem asserunt de omnibus legibus ecclesiasticis, præsertim verò de iis quæ post eorum ab Ecclesia divortium sunt latæ: sed verior sententiâ adversatur:³ dubitari tamen vix potest plurimos a culpa excusari, quum ignorent obligationem infortunio potius suo, quam voluntate.

29. Subditi qui extra territorium versantur non tenentur legibus suorum præsulum, nisi ratione rerum in ditione eorum positarum. "Statuto episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommu-

(1) 1 Cor. v. 12.

(2) Vide Benedict. xiv. l. vi. de Synodo, c. vi.

(3) Gerdil. tract. de Legibus disp. vi. prop. ii.

nicationis sententia promulgatur, subditi ejus furtum extra ipsius diœcesim committentes, minime ligari noscuntur, cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.”¹ Cæterum leges quæ respiciunt beneficia vel munus parochiale vim obtinent, quum hæc subjaceant præsulī, fictione quippe juris qui ea possident censentur adesse ubi res sunt sitæ, et legibus idcirco obstringuntur. Sic leges episcopi de ratione parochorum munus obeundi ligant parochos quos extra diœcesim versari contigerit, adeo ut teneantur reverti et munus obire, prout lex præscribit. Sed si episcopus statuatur pœnam suspensionis ipso facto contrahendam a sacerdote quocumque sibi subdito qui crimen aliquod admisit, v. g: ebrietatis, statutum illud non ligat sacerdotem qui extra diœcesim delinquat.

30. Peregrini, qui scilicet iter faciunt animo revertendi ad sua, vel alibi suum domicilium statuendi, locorum per quæ transire contigerit legibus tenentur, quatenus nil facere liceat quod illis sit contrarium, et in aliorum offensionem cedat. Quæ lege præcipiuntur facienda subditos plerumque tantum respiciunt, quum mora quædam sit necessaria ut quis ea exequatur. Hinc clerici iter facientes non tenentur speciale indumentum in diœcesi aliqua injunctum assumere, nisi ex aliena veste fidelibus nascatur gravis offensio. E contra jejuniū quod lege diœcesis cujusdam præcipitur, servandum est iter facientibus, vel paululum illic morantibus. S. Ambrosius a S. Augustino interrogatus de jejuniō sabbati quod Mediolani non servabatur, dum Romæ vigeret, respondit: “Cum Romam venio, jejuno sabbato: cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte ecclesiam veneris, morem illius serva.”²

31. Leges communes Ecclesiæ quæ forsā consuetudine vel indulto alicubi relaxatæ sunt, non sunt necessariò servandæ peregrinis: possunt enim loci privilegio uti. Sed si quis e loco hujusmodi venerit ad diœcesim in qua servantur, debet omnino eas servare.

(1) C. ii. de Constit. in 6.

(2) C. *IIla*, dist. xii

CAPUT III.

DE INTERPRETATIONE LEGUM.

32. INTERPRETATIO *authentica* legum ea dicitur quæ ab ipso legis latore proficiscitur, vel alio potestatis ejusdem hærede. Sic Pontifices leges suas, vel decessorum suorum, imo et conciliorum œcumenicorum, constitutionibus suis solent interpretari: sed et instituerunt cœtum quendam dictum “S. congregationem concilii Tridentini interpretum,” cujus est declarare sensum canonum Tridentinorum, et lites de eo ortas dirimere, pontificia confirmatione accedente. Vim legis habet authentica interpretatio, rite promulgata: quæ verò promulgata non est, eo usque valet quatenus in lege jam sensus continebatur: quod si quid adjectum fuerit, non obligat conscientiam. Interpretatio legum *doctrinalis* ea est quæ nititur jurisperitorum consensu, qui magni merito fit, quamvis non certam obtineat auctoritatem. Consuetudo publica et universalis habetur etiam “optima legum interpres.”¹

33. In lege explicanda obvius verborum sensus retinendus est, serie orationis haud neglecta. Sic lex anathema intentans ei qui violentas manus clericis injecerit, merito censetur eum etiam complecti qui telo percutit.

34. “Ubi lex non distinguit, neque nos distinguemus:”² censetur scilicet lex omnes rerum casus complecti, qui verbis comprehenduntur.

35. “Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi.”³ Ut quis mentem legem ferentis noscat, oportet ut rem de qua agebatur perspectam habeat: sæpe enim specialis inest vis verbis ex occasione ea proferendi.

36. In lege non licet argumentari a pari, imo nec a fortiori: quum enim lex pendeat ex arbitrio eam ferentis, poterit contingere ut in re pari noluerit eam vim habere. Sic suspensio quæ statuto

(1) Cap. viii. de consuetud.

(2) Lege vii. de public. in rem actione.

(3) Cap. vi. de verb. signif.

diocæsano intentatur clericis reis ebrietatis, non afficit eos qui castitatis violatæ fuerint rei, licet gravius sit delictum. Excommunicatio lata in secretæ societatis participes, non potest extendi ad eos qui ad cædem innocentis conspiraverint. In iis tamen in quibus nihil lege definitur, iudices solent arbitrio suo moderari juxta ea quæ lex de rebus similibus decernit:¹ et etiam legis civilis sanctiones imitantur præules, juxta illud Lucii III. : “sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur.”² Ea etiam quæ æquiparantur in jure easdem sequuntur leges : sic electio, postulatio, præsentatio iisdem legibus subjacent. Codicillus iisdem subest legibus quibus testamentum, sunt enim connexa. Obtinet etiam in lege ecclesiastica interpretanda legis civilis principium quod “dispositum in uno correlativo censeatur esse dispositum in alio.”³ Hinc quo jure eximitur vir ab uxoris adulteræ consortio, mulier a mariti adulteri consuetudine excusatur.

37. “Odia restringi et favores convenit ampliari.”⁴ In explicandis igitur legibus pœnalibus mitior sensus quem verba patiuntur præfertur, nam “in pœnis benignior est interpretatio facienda :”⁵ sed in legibus quæ favores respiciunt, amplissima verborum significatio tenetur. Si pœna excommunicationis feratur in homicidam, non afficit eum qui vulnus intulit grave animo interficiendi, si mors non fuerit revera secuta. Lex autem indulgens fidelibus commercium cum excommunicatis, qui non fuerint nominatim denunciati, vel notorii percussores clerici, latissime explicatur.

38. Epiikia, seu benigna interpretatio qua casus singularis, contra verborum legis vim, eximitur a lege ob gravissimam causam, locum maxime habet in lege ecclesiastica : nec enim pia mater Ecclesia vult filios suos in tanta rerum difficultate ad obtemperandum adstringere. Sic moniales a claustro exire possunt, flagrante incendio, vel hostibus irruentibus, licet lex omnem egressum vetare videatur. Quod igitur narrat Matthæus Paris de “duabus reclusis vestalibus, quæ nec in tali necessitate,” (incensa scilicet ab hostibus ecclesia prope quam degebant,) “putarunt suas fore ædículas deserendas,”⁵ magnum prodit pietatis sensum, sed qui legis vim excedit.

(1) L. xii. ff. de Legibus.

(2) Cap. de novi operis nuntiatione.

(3) Reg. xv. in 6.

(4) Reg. xlix. in 6.

(5) L. ult. Cod. de indicta viduit.

(6) Hist. Angl. Wilielmus II. p. 12. edit. Tiguri 1606.

CAPUT IV.

DE CONSUETUDINE.

39. PRÆTER legem scriptam *consuetudo*, seu lex non scripta agnoscitur. Obligationem inducit quoties a majori parte communitatis animo se obligandi fuerit publicis actibus celebrata. Sic fideles ad audiendam Missam diebus festis ex consuetudine antiqua noscuntur obligati. “In his rebus de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, et instituta majorum pro lege tenenda sunt.”¹ Quæ autem fiunt a plerisque ex sola animi devotione, nullam inducunt obligationem. Consuetudo igitur se aqua lustrali aspergendi, vel crucis signo ante prandium muniendi, vel preces matutino et vespertino tempore fundendi, vim legis non habet; quamvis peccaret qui ritum lustrationis sperneret; vel a signo crucis faciendo, fidem Catholicam erubescens, abstineret; vel orationis munus diu negligeret. Non peccat autem qui aliquando ab externis his pietatis exercitiis justa de causa abstinet, ne scilicet absque ulla utilitate hæreticorum cachinnos moveat.

40. Consuetudo est etiam “optima legum interpres,”² quæ enim dubia vel obscura in lege videri possunt, manifestò intelliguntur ex publicis et universalibus populi moribus. Quod si legibus plane adversetur, nec per se mala sit, earum vim tollet, dummodo per diuturnum tempus invaluerit: “Nemo sanæ mentis intelligit naturali juri (cujus transgressio periculum salutis inducit) quacumque consuetudine (quæ dicenda est verius in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari. Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime sit præscripta.” Ita Gregorius IX.³ Rationabilis autem habetur consuetudo quæ naturali vel divino juri non repugnat, nec publico bono,

(1) Can. 7. dist. 11.

(2) Can. viii. de consuetudine.

(3) Can. ult. de consuetudine.

et ratione aliqua coonestatur : quam tamen inducentes contra legum auctoritatem peccant, quamvis a peccato immunes sint qui eam jam inductam sequuntur, etiam ante tempus præscriptionis plene elapsum : puniri nihilominus a publica potestate possunt, nisi lex fuerit præscripta. Præscriptionis tempus varie adsignatur, decennium enim Lessius aliique sufficere putant ut consuetudine abrogetur lex ecclesiastica, quum alii quadraginta annos exigant : alii verò arbitrio prudenti rem definiendam, relinquunt, habita ratione actuum frequentia, et rerum naturæ de quibus agitur. Lessii opinio probanda videtur, quum spatium illud quadraginta annorum respiciat immobilia. Tempus præscriptionis continuatum esse debet ; si enim interrumpatur etiam unico actu a majori parte communitatis, vel si interim puniantur qui legem violant, consuetudo haud procedit. Cæterum si possessio tantum interrumpatur, jure quod nititur consuetudine illæso, consuetudo adhuc obtinet. Actus autem ex quibus oritur consuetudo notorii esse debent, et pluries repetiti libere, et scienter, non vi, vel metu : quapropter ex clanculariis actibus lex detrimentum nullum patitur. Consensus legislatoris ad consuetudinem legi adversam sancendam requiritur, non quidem expressus et personalis, sed tacitus, qui intervenit quoties non resistit invalescenti consuetudini.¹ Si lex quamcumque consuetudinem rejiciat, uti pleraque Tridentina de Reformatione decreta, de præterita consuetudine, non autem futura, rite explicatur : quod si etiam futuram consuetudinem, etsi ei favere videatur principis silentium, respuat, (quod in Bulla Cænæ Domini fit,) plures doctores cum Suaresio tenent probabilius consuetudinem posse eam abrogare.²

41. Legislatores possunt consuetudines, sicut et leges, abrogare. "Licet Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur : quia tamen locorum specialium, et personarum singularium consuetudines et statuta (cum sint facti, et in facto consistant) potest probabiliter ignorare : ipsis, dum tamen sint rationabilia, per constitutionem a se noviter editam (nisi expresse caveatur in ipsa) non intelligitur in aliquo derogare."³ Ita Bonifacius VIII. Inde liquet consuetudines speciales posse

(1) Lib. de quibus, ff de Leg.

(2) Vide S. Alphonsum Theol. Mor. l. i. de consuetud. ante. n. 110.

(3) C. i. de const. in 6.

quidem abrogari, quamvis revocatae plerumque non censeantur, præsertim si fuerint immemorabiles, nisi expresse ita statuatur. “Episcopi tamen per eorum leges abrogant quamcumque consuetudinem particularem, quia præsumuntur ipsi plenam notitiam habere consuetudinum diœcesum suarum.”⁴

42. Legibus ecclesiasticis in hac regione plura solent fieri haud consentanea, quæ utrum vim consuetudinis assecuta sint vix audemus dicere. Plura autem ex indulto pontificio, seu facultatibus episcopis concessis orta verosimile est, necessitate etiam cogente; quæ idcirco retineri posse videntur, donec aliter præsulibus, vel Sedi Apostolicæ visum fuerit. Sic larido in diebus esurialibus, butyro et lacte, ovis et lactiniis in quadragesima, utuntur fideles. Sacerdotes unctionem renum, in moribundis, prorsus omittunt. Cæterum in aliis plurimis ea est morum discrepantia quæ consuetudinem tollit, vel infirmit: ideoque quamvis non damnemus eos qui usus receptos sequuntur, quousque eos aboleverit præsulum auctoritas, vehementer tamen commendandos censemus, qui universalis Ecclesiæ, et Romanæ præcipue, disciplinam, nobis a primo concilio Baltimorensi valde commendatam, contrariis quarundam provinciarum usibus postpositis, quatenus rerum adjuncta patiuntur, in omnibus imitantur.

(1) S. Alphonsus post Salmant, loco paulo ante citato.

CAPUT V.

DE PŒNIS.

43. SANCTIONES legum pœnæ dicuntur quæ violatoribus intentantur. Equidem infirma foret et nulla leges ferendi potestas, si impune violarentur: quapropter ex ipsa, sponte veluti sua, derivatur pœnas decernendi et irrogandi auctoritas. Eam sibi competere plane ostendit Paulus, Corinthiis minans se virga usurum: "Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?"¹ Alias dicit: "in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam:"² quam potestatem sibi a Domino datam aperte declarat: "nam et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram, non erubescam."³ Pœnæ verò quæ solent adjici legibus ecclesiasticis censuræ sunt, scilicet suspensio clericorum ab officiis sacris, interdictum et excommunicatio de quibus alias dicendum erit. Equidem in regnis Catholicis in quibus episcopi, faventibus principibus, suam explicabant potestatem ad mores integros servandos, quædam leviores pœnæ temporales legibus olim adjectæ sunt, ut improbi quos nullus pietatis sensus intra officii limites retinet, pœnarum saltem metu coercerentur. Id eo magis contigit quod ex ipsorum regum consensu plurima crimina, clericorum præsertim,⁴ ad episcoporum tribunal deferenda forent,⁵ quæ pœnis plectenda lex civilis et ipse so-

(1) 1 Cor. iv. 21.

(2) 2 Cor. x. 6.

(3) Ibidem 8.

(4) Fatetur Binghamus ecclesiastica crimina, et leviora saltem clericorum delicta, episcoporum judicio servata esse. *Antiquities*, l. v. c. ii.(5) A primordiis Ecclesiæ consueverunt episcopi adiri a fidelibus lites suas et controversias componendi causa: quod ad Apostoli Pauli ad Corinthios monitum refert Augustinus: "Constituit talibus causis ecclesiasticos Apostolus cognitores in foro prohibens jurgare Christianos." *Serm. xxiv. in Ps. cxviii.* "What was thus begun by custom, while the civil governors were heathens, was afterwards confirmed and established by law, when the emperors became Christians." *Bingham, Antiquities*, l. ii. c. vii.

cietatis ordo exigebat. Hinc blasphemis mulcta irrogabatur, in pios usus impendenda: aliorum criminum rei carcere includebantur; sed ultimum supplicium numquam legibus ecclesiasticis statutum est, "Ecclesia enim abhorret a sanguine." Igitur fassi sunt patres concilii Constantiensis excommunicationem esse summam pœnam quam decernere potest Ecclesia: quod theologi et jurisperiti magno consensu agnoscunt:¹ quapropter si lex respiceret facinus immane quod pœnam capitis merebatur, consuevit statuere reum e gremio Ecclesiæ pulsum civili potestati tradendum, juxta leges civiles tractandum, commendata tamen erga eum lenitate. Cæterum sublata jam est præsulibus ubique fere terrarum omnis pœnarum temporalium decernendarum species, et leges ecclesiasticæ censuris tantum in transgressores muniuntur: de quibus proinde loqui intelligendi sumus.

44. Pœnæ sunt aliæ *latæ*, aliæ *ferendæ sententiæ*. Latæ sententiæ sunt quæ ipso facto irrogantur, sicuti excommunicatio in Liberos Muratores lata. Ferendæ sententiæ pœna est quæ irroganda est delinquenti, sed judicis postulat operam. Sic excommunicandi sunt qui negligunt Eucharistiam in paschate suscipere. Judicis sententia nonnumquam *declarat* pœnam quam quis facto jam incurrit, et retrahitur ad tempus delicti, adeo ut effectus inde sequantur. Sic sententia quæ simoniacum declarat beneficii ingressum, facit ut restituendi sint fructus omnes percepti. Aliquando sententia *damnationis* instar est, et nonnisi prolata vim cœpit obtinere. Sic clericus ob concubinatum dejectus beneficio fructus jam perceptos non tenetur reddere, si alioquin officium persolverit. *Declaratoria* dici solet prior illa sententia: *condemnatoria* altera. "Pœnæ spirituales, ut excommunicatio, irregularitas, &c. quando imponuntur ipso facto, non indigent judicis sententia."²

45. Pœnæ *privativæ* dicuntur quæ aliquem munere quod habet, vel jure quo gaudet privant, v. g: beneficio, vel suffragii jure. Hæ si ferantur ipso facto contrahendæ tenent reum, absque judicis sententia, nisi infamia inde immineat, vel nisi jus acquisitum tollatur: "tunc enim semper requiritur declaratio juridica vel pœnæ, vel saltem criminis, etiamsi pœna imponatur ipso facto incurrenda, nulla expectata declaratione . . . cum enim lex pœnalis accipi debeat in mi-

(1) Devoti Inst. Can. l. iv. n. vii.

(2) S. Alphonsus, l. i. n. 148.

tiori sensu, verba illa . . . possunt explicari . . . nulla expectata declaratione pœnæ, sed non excluditur declaratio criminis ut pœna possit reo applicari."¹ "Quod dictum est de pœnis privativis, a fortiori dicendum de *positivis*, quæ consistunt in actione positiva: v. g: aliquid restituendi, aut patendi, . . . quia nimis ardua et inobservabilis esset lex illa humana, quum reus ipsemet in seipsum deberet pœnam exequi."² "Pœnæ autem *inhabilitantes* obligant ante iudicis sententiam, ut est pœna imposita a Tridentino non residentibus, non lucrandi fructus." Cæterum si hujusmodi pœna gravissima sit, et infamiam secum ferat, nemo haud damnatus criminis, eam in se suscipere cogitur.³ Pœnæ *irritantes*, quæ, scilicet, actum nullum declarant, vim habent ante iudicis sententiam, etiamsi fraus abfuerit ob cujus periculum actus nullus declaretur. Sic collatio beneficii simoniaca est irrita, licet illud recipiens non fuerit conscius delicti, quod pater ejus vel amicus admisit, pecuniam dando ejus causa. Disputatur autem utrum quis teneatur in conscientia actum irritum habere, ante iudicis sententiam. Affirmans sententia probabilior videtur S. Alphonso:⁴ sed si fraus abfuerit, vix eum ad pœnam suscipiendam cogere mus. Omnes pœnæ ecclesiasticæ medicinales sunt, in animæ remedium statutæ: sed pœnæ medicinales a Jeremia Taylor dicuntur leviores quædam, quales olim⁵ pœnitentibus publicis præscribebantur, vel etiamnum in Ordinibus quibusdam Religiosis.

46. Ignorantia legum ecclesiasticarum eximit a censuris, feruntur enim in contumaces, "qui scienter et temerario ausu" egerint: contumax autem in potestatem ecclesiasticam non censetur qui rem

(1) Ibidem.

(2) Ibidem, n. 149.

(3) Idem, l. vi. n. 705.

(4) Ibidem, l. i. n. 151.

(5) "When the punishments are principally or merely medicinal, the conscience is bound to a voluntary execution of the sentence, if the law requires it. For then the laws are precepts of institution and discipline; and they are intended as mercies to the man, as well as to the public; and of mercy every man may very well be minister. It bath in it no undecency for a man to mingle his own severe potion, or let himself bleed, or lance an ulcer, and there is no more in the medicinal punishments of the law. Thus the laws can command us, to fast, to wear sackcloth upon the bare skin, to go barefoot, to watch all night upon a solemnity of expiation, to inflict disciplines, and the like: and for these we are to expect no other process but the sentence of the law, no judge but our consciences, no executioners but ourselves." Jer. Taylor, Duc. Dub. l. iii. c. 2. vol. ii. p. 66. Mirum est Protestantium præsullem hæc scripsisse.

patravit etiam flagitiosam, quam tamen non novit vetitam esse speciali Ecclesiæ lege. Sunt qui eum immunem esse censuris dicunt, si ignoraverit pœnam legi adjectam, licet vetitum noverit ecclesiasticum. Cæterum si affectata fuerit ignorantia, censuras procul dubio contrahit, nec enim æquum est ut sic potestati Ecclesiæ illudat. In foro externo semper pœnæ contrahuntur, quum scientiam legum unusquisque habere censeatur: "ignorantia facti, non juris excusat."¹

(1) Reg. xiii. in 6.

CAPUT VI.

DE DISPENSATIONE.

47. DISPENSATIO dicitur relaxatio legis legitima auctoritate ad tempus facta in aliquo casu in quo lex alioquin obligaret. Legitima quidem auctoritas requiritur, par ei a qua lex est profecta, quia "lex Superioris per inferiorem tolli non potest."¹ Eum qui tulit legem, vel alium qui eandem vel potiore habet potestatem, posse legis obligationem aliquo in casu tollere liquet, nam "res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur, nisi aliud obstet."² Quamvis autem ordo publicaue utilitas exigat, ut lex ab omnibus plerumque servetur, casus tamen plures facile occurrunt in quibus æquitas postulat eam ab aliquo omitti. Si lex in contractum transierit, nequit legislator in ea dispensare, nisi prævio illius cujus interest consensu.

48. In præceptis divinis, juxta probabiliorem sententiam, judice S. Alphonso de Ligorio,³ homo nullus, nequidem Pontifex Supremus, potest dispensare, nec enim constat eam potestatem a Deo concessam esse. In omnibus Ecclesiæ legibus, sive a pontificibus prioribus, sive a conciliis etiam œcumenicis latis, pontifex Romanus valet dispensare, sicuti constat ex omnium theologorum consensu, et totius Ecclesiæ per omnia sæcula consuetudine. Imo dispensat pontifex in apostolicis institutis, quæ divinam originem haud præseferunt, sed ab Apostolis, tamquam ecclesiarum rectoribus, sunt profecta: v: g: in jejuniis Quadragesimali: non autem in iis quæ Apostoli a Christo edocti promulgarunt, circa oblationem sacrificii, vel sacramentorum substantiam.

49. Episcopus nequit plerumque dispensare in legibus pontificiis, seu conciliorum œcumenicorum, nisi iis in rerum adjunctis, in quibus pontificis consensus ex rei natura, vel ex consuetudine jam induc

(1) Clem. 2. *de elect.*

(2) In Reg. juris.

(3) L. i. n. 189.

præsumitur.¹ Potest tamen dispensare in suis statutis, vel in synodo, cleri adhibito consilio, vel extra, a se vel a suis decessoribus latis : “ et idem potest Capitulum, sede vacante. Hoc tamen non potest Vicarius Generalis, nisi expresse ab episcopo ei concedatur. Episcopi possunt etiam dispensare in legibus concilii provincialis in suis Diœcesibus ; modo non sint concilio specialiter reservatæ. Hoc enim expedit ad bonum regimen.”² Contradicit tamen Suaresius, qui negat archiepiscopum ipsum posse a legibus concilii provincialis dispensare, nisi “ quatenus illis concessum est expresse, vel tacite, aut consuetudine.”³ “ Potest autem inferior dispensare in lege superioris, si in lege generaliter permittatur dispensatio, v : gr : si dicatur : donec dispensetur.” “ Possunt etiam episcopi dispensare in rebus quæ communiter eveniunt, in jejuniis, esu ciborum, observatione festorum, recitatione officii, votis non reservatis.” Item in legibus latis a Papa pro illa particulari Diœcesi, in quibus videtur relicta facultas dispensandi illius prælato. Item potest episcopus dispensare in legibus communibus Pontificis, v : gr. in impedimentis matrimonii, in irregularitatibus, in votis reservatis, et similibus, quando non est facilis aditus ad Papam, et periculum est in mora, quia hoc expedit ad commune bonum. . . . Parochi possunt etiam dispensare cum suis ovis in jejunio, et observatione festorum, ubi non est facilis recursus ad episcopum.” “ Et in his omnibus dicuntur episcopi dispensare jure ordinario, cum talis facultas eis competat vi proprii officii, cui est perpetuo adnexa. . . . Et ideo bene possunt eam alicui delegare, ut certum est.”⁴ In hac regione facultates plures hujusmodi missionariis, vi indulti apostolici, solent communicari : sed nec hi, nec episcopi ipsi possunt generali quadam ratione tollere obligationem servandi universalem Ecclesiæ legem.

50. Sunt inter theologos qui episcopis generatim vindicent potestatem dispensandi in omni lege ecclesiastica, quam Pontifex sibi relaxandam expresse non reservavit ; eo præcipue nitentes textu : “ Quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.”⁵ Animadvertunt etiam episcoporum jurisdictionem, a Deo profectam, liberam manere, quamdiu vinculum quoddam ei a superiore auctori-

(1) Vide Suares. de leg. l. vi. c. xiv.

(2) S. Alph. l. i. n. 190.

(3) L. vi. de leg. c. xv. n. 4.

(4) S. Alphonsus, l. i. n. 190.

(5) Cap. nuper. de sent. excomm.

tate injectum non fuerit. Nobis post Suaresium, S. Alphonsum et Benedictum XIV.¹ contraria aridet sententia; quamvis enim id de censuris non reservatis constet ex laudato textu, et communi consuetudine, non ita liquet de legibus cæteris ecclesiasticis, quæ a suprema Ecclesiæ auctoritate profectæ, inferiorum præsulum potestatem (sive a Deo recta, sive per Pontificem, jurisdictio in eos derivetur,) limite quodam coercent. Hinc ne quidem archiepiscopus potest dispensare ut plures sacri ordines eidem eodem die conferantur “cum illi hujusmodi dispensatio a canone minime sit permissa.”²

51. Si dubium sit utrum casus indigeat dispensatione, poterit episcopus dispensare, vel declarare legem non obstare, “cum in tali dubio bene possit etiam prælatus inferior dispensare sine concessione legislatoris.”³ Imo “sive dubium sit positivum, sive negativum, potest subditus uti sua libertate.” Ita S. Alphonsus.

52. “Circa potestatem autem delegatam dispensandi, notandum, quod quisque habens potestatem ordinariam, potest eam delegare: et tunc si delegatio est per modum commissionis pro certo casu, expirat morte concedentis, si res sit adhuc integra; si vero per modum gratiæ, tunc non expirat; *ex regul. 16 juris. in 6.* . . . Delegatus autem nequit subdelegare nisi sit delegatus a principe, sive a Papa, ut *ex cap. fin. § i. de officio et pot. deleg.* vel nisi sit ab inferiore ordinario delegatus ad universitatem causarum, *ex Leg. i. § an ob eo ff. quis, et a quo.* Aut nisi concessa sit facultas subdelegandi.”⁴

53. Facultas delegata dispensandi latam excipit explicationem si *gratiæ* instar fuerit concessa ad plurimos casus; secus si *commissionis* ad specialem casum formam præseferat. “Ipsa vero dispensatio cum sit odiosa, semper stricte sumenda est, nisi dispensatio sit debita, vel sit ex motu proprio principis, vel sit inserta in corpore juris, vel tandem nisi concedatur communitati, vel ad bonum commune.”⁵ Habens potestatem generalem dispensandi potest etiam secum dispensare directe et immediate” ait Busembaum, “quia (adjungit S. Alphonsus,) est jurisdictio pure voluntaria, quæ etiam erga seipsum exerceri potest. Hinc bene sibi dispensare potest in

(1) De Syn. l. vii. c. 30.

(2) Cap. dilectus, de temp. ord

(3) S. Alphons. l. i. n. 192.

(4) Ibidem, n. 193.

(5) Ibidem, n. 195

votis, juramentis, jejunio, &c.”¹ Sed id intelligendum, gravis si adsit causa, ob quam dispensationem alteri concedendam judicaret.

54. Ad dispensandum æqua aliqua ratio exigitur pro rei de qua agitur natura, quum potestas omnis data sit “in ædificationem, et non in destructionem.”² Valet tamen dispensatio a legislatore etiam absque causa concessa, ex ipsius quippe arbitrio tota vis legis pendet. Peccati meritò arguitur, qui potestate ita abutitur in publicam perniciem et aliorum offensionem, quamvis si hæc mala non sint secutura, gravis delicti vix reus videtur qui aliquando temere dispensat.³ Qui utitur dispensatione absque causa concessa, culpæ arguendus erit quoties ipse impulerit precibus importunis Superiorem ad dispensandum, vel aliis fit offensioni et damno, suo exemplo: secus gravis culpæ reus non videtur. Si delegatus temere dispenset, nulla urgente causa, lex adhuc suam vim retinet; nec enim potestas ei delegata censetur nisi æqua ex causa exercenda. Cæterum gravis admodum non semper exigenda est ratio, sed quæ pro rei natura sufficere videtur, sive sit petentis necessitas, vel utilitas, vel merita quæ in communem utilitatem cedere videantur. Quæ in Curia Romana conceduntur dispensationes sine causa, non omnem excludunt rationem, sed quæ rei veluti inhæreat et gravis sit, quamvis aliunde plerumque accedat, nempe Ecclesiæ pax, cui student principes dispensatione ad matrimonium impetrata, vel eleemosyna in pia opera impendenda. Si gravissima urgeret ratio, publica scilicet utilitas, vel petentis dispensationem salus, peccaret Superior eam denegando. Non ideo tamen licebit contra legem agere, nisi iis in rerum adjunctis in quibus legis obligatio desinit. Hinc si episcopus denegat dispensationem a lege jejunii ei cui ob afflictam valetudinem medicus jejunium nocere existimat, poterit ipse jejunii legem, quæ tunc desinit obligare, solvere; et “si episcopus injuste neget dispensationem publicationum ante matrimonium, potest, urgente gravi causa, contrahi sine eis.”⁴ Sed si etiam injuste neget solvere impedimentum dirimens, non ideo valebit contractus eo existente attentatus.

55. Dispensatio nulla est si fuerit *obreptitia* vel *subreptitia*, scilicet si falsum aliquid malitiose exponatur, vel verum taceatur quod exponi stylus Curix rei que natura postulat: “Nos igitur,” inquit Innocentius III., “inter eos, qui per fraudem vel malitiam, et illos

(1) L. i. n. 183.

(2) 2 Cor. xiii. 10. Vide Suares. de legibus, l. vi. c. xviii. 4.

(3) S. Alph. l. i. n. 178.

(4) Ibidem, n. 179.

qui per simplicitatem vel ignorantiam literas a nobis impetrant, hujusmodi credimus discretionem adhibendam; ut hi qui priori modo falsitatem exprimunt, vel supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam, nullum ex illis literis commodum consequantur.—Inter alios autem, qui posteriori modo literas impetrant, duximus distinguendum, quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa: nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quæ quamvis fuisset tacita, vel expressa, nos nihilominus saltem in forma communi literas dedissemus, delegatus non sequens formam in literis ipsis appositam, secundum ordinem juris in causa procedat. Si verò per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, literæ fuerint impetratæ, qua tacita vel expressa nos nullas prorsus literas dedissemus, a delegato non est aliquatenus procedendum.”¹ Quotiescumque igitur causa *principalis* dispensandi tempore porrectarum precum non subsistit, nulla erit dispensatio: secus si causa tantum moveat ad facilius dispensandum. Imo si causa *principalis*, quæ, dum preces porrigerentur, subsistebat, ante concessam dispensationem, sive a Superiore, sive a delegato, deficiat, non valet dispensatio; conceditur quippe “quatenus si ita est.” Sed si concessa jam dispensatione, antequam quis ea utatur, causa cesset, controversitur utrum ea adhuc valeat. Sententia affirmans satis probabilis videtur, ablato scilicet legis vinculo, eo ligari quis nequit amplius, et “factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.”²

56. Cessat dispensatio, si postea deficiat conditio, sub qua, tacite saltem intellecta, fuit concessa: v: g: si quis ob afflictam valetudinem obtinuerit dispensationem a lege jejunii, vel ab officio recitando, restaurata valetudine tenebitur jejunare, et officium recitare. Sed si ob vehementes carnis quos patiebatur stimulos, petierit quis et obtinuerit dispensationem a voto castitatis ad matrimonium contrahendum, poterit illud inire, etiamsi jam non eadem tentatione agitetur: nam conditio non adnectitur dispensationi.

57. Cessare potest dispensatio *per revocationem dispensantis*, cui licet ob justam causam eam rescindere: non valet tamen inferioris prælati revocatio, nisi æqua ei suffragetur ratio; nec enim dispensandi vel revocandi facultas ei a legislatore concedita censetur, nisi juste exercenda.

(1) *C. Super literis*, de Rescriptis.

(2) Reg. 73. Juris in 6.

58. Morte dispensantis non cessant pleræque dispensationes, nam “concessio (quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram) non expirat, etiam re integra per obitum concedentis.”¹ Cæterum si Superior dispensaverit *ad suum arbitrium*, vel *donec ei placuerit*, morte illius expirat dispensatio: secus si dispensatio concessa fuerit *ad arbitrium Sedis Apostolicæ*, vel *episcopi*; hæc enim mortuo Pontifice, vel episcopo, perdurat. In rebus quæ ad judicia pertinent “mandatum, re integra, Domini morte finitur,”² adeo ut si dispensatio concessa fuerit ad ordinem consuetum iudiciorum omittendum, et delegatus facultate sibi data non cœperit uti ante concedentis obitum, nullum inde commodum derivare sibi poterit: sed si jam initium quoddam iudicii posuerit, poterit rem ad finem prosequi, etiam dispensante mortuo.

59. Renunciatione dispensationis potest quis ejus beneficio spoliari, adeo ut postea non liceat ipsi aliquid inde utilitatis sibi vindicare. Nequit tamen aliquis cum alterius damno, vel communitatis, cujus est membrum, detrimento, dispensationi renuntiare. Antequam renunciatio a superiore acceptata fuerit, absoluta non est, ideoque potest quis dispensatione uti. Licet etiam ea uti, etsi quis ei renuntiasset quodammodo visus sit, dummodo id fiat nullius jure læsis. Hinc qui dispensatus ab officio diurno illud recitaverit, potest postea dispensationis beneficio frui.

60. Lex vim suam amittit si superior potestas eam in irritum mittat. Sic canon concilii Chalcedonensis de episcopi Constantinopolitani privilegiis irritus factus est a S. Leone M. Abrogantur etiam leges jam vigentes, vel Superioris auctoritate, vel contraria consuetudine eas præscribente, vel legibus posterioribus eas expresse vel tacite revocantibus. Speciales regionum leges legibus universalibus abrogatæ haud censentur, nisi expresse revocentur, nec enim sufficit clausula generalis: “non obstante quacumque lege particulari.” Si superioris auctoritas inferioris prælati legibus accesserit, novum majusque robur iis tribuendo, nequit hic eas suo arbitrio tollere, habentur enim tamquam superioris leges: secus si superior leges honoris tantum causa confirmarit. Leges diœcesanæ vel provinciales, etsi Pontificia accesserit confirmatio, poterunt plerumque solvi absque venia pontificis: nisi speciali quadam ratione jusserit eas servandas.

(1) C. xxxvi. de præbendis in 6.

(2) Lege xv. Codice, Mandati.

61. Cessante fine adæquato legis universaliter cessat ipsa lex, uti omnes fatentur; sed si cesset legis finis in speciali tantum casu, non ideo desinet tota vis legis, juxta plures theologos, aliis contradicentibus. Id nobis certissimum videtur neminem sibi temere persuadere debere legis finem quoad se non existere, quum cæteros plerosque afficiat facile enim quisque sibi hallucinatur cum animæ detrimento, aliorumque offensione.

CAPUT VII.

DE PRIVILEGIIS.

62. **PRIVILEGIUM** ab Innocentio III. definitur “lex privata aliquid specialiter indulgens.” Eo autem nomine præsertim intelliguntur beneficia, et immunitates singulis, vel cætibus quibusdam, concessæ. Sic privilegium est clericorum ut habeantur inviolati, adeo ut eos percuciens anathemate irretiatur: et ut sint immunes foro civili, ubi vigent canones, qui tamen vix alicubi vim plenam jam obtinent.

63. Privilegium *reale* dicitur, quando rei vel officio adnectitur, et proinde ad eos qui rem vel officium assequuntur transit. Sic privilegium est reale episcopatus Neo-Aureliæ, quod sedi Apostolicæ, non autem archiepiscopo Baltimorensi, subjiciatur. *Personale* dicitur, si personæ cuidam ob sua merita, vel dotes, similemve aliam rationem concessum fuerit, ita ut ad alios non transeat: “Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.”¹ Sic nonnumquam sacerdoti simplici conceditur ab Apostolica Sede facultas ministrandi confirmationem. *Gratiosum* habetur privilegium, quod ex mera benignitate concedentis datur gratuito, nullo merito exigente, nulloque imposito onere. “Si privilegium est mere gratuitum, revocari potest valide etiam sine justa causa: quamvis hoc non excusatur saltem a culpa veniali, si scandalum absit.”² “Si vero cum privilegio translatum fuisset dominium alicujus rei in privilegiatum, illud revocari nequit nec licite nec valide, nisi ob causam urgentissimam boni communis, vel gravis delicti, vel ob illas causas, ob quas revocari potest quælibet donatio.” “Sed si privilegium est *remuneratorium*, vel ob justitiam, vel ob gratitudinem, semper requiritur justa causa, ut valide revocetur. Et si insuper est *oneratum*, ut exempli causa concessum ob pretium acceptum, vel ob aliquod

(1) Reg. vii. Juris in 6.

(2) S. Alph. l. i. app. 2. de priv. xv.

onus privilegiato impositum, tunc ut revocetur (ultra justam causam) requiritur compensatio.”¹

64. Privilegium *favorabile* reputatur, si ita uni faveat ut aliis non afferat incommodum : v. g. : ut quis carnibus vesci possit in Quadragesima. De eo illud axioma celebratur : “beneficium principis late explicandum est.”² Omnia privilegia realia amplam patiuntur interpretationem, quum enim rebus inhæreant, habentur veluti inserta in corpus Juris. “Ea etiam quæ sunt concessa alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam, omnia sunt interpretanda non modo late, sed etiam latissime, etiamsi adversentur juri communi, vel alicui tertio, quemadmodum communissime affirmant doctores. . . . Privilegia enim communitatibus concessa præsumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum præstitorum, et ideo omnia habentur tamquam favorabilia, *ex l. sicut persona, ff. de Relig.*”³ *Odiosum* dicitur privilegium si juri communi, aut statutis et consuetudinibus derogat, vel in aliorum cedat detrimentum : v. g. : si cui concedatur plura simul retinere beneficia, vel vacantia conferre. Hæc stricte sunt intelligenda, nam “odia sunt restringenda.” Privilegium plerumque *ad instantiam partis* concessum habetur ; quod si *motu proprio* et *ex certa scientia* concedatur, inter favores semper recensetur, qui amplissime sunt accipiendi, etsi res sit alteri nociva, juxta illud legis civilis : “beneficium imperatoris, quod a divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus.”⁴

65. Nemo tenetur uti privilegio “cum liberum sit unicuique suo juri renunciare.”⁵ Si tamen privilegium non personam sed cætum respiciat, nequit aliquis ei cum ordinis seu cætus detrimento renunciare. Hinc clericus fori privilegio (ubi viget) se abdicare nequit, etiam interposito juramento : “cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico sit publice indultum : cui privatorum pactio derogare non potest.” Sic etiam episcopi et regulares nequeunt, cum suæ dignitatis, vel ordinis, detrimento, suis renunciare privilegiis.⁶ Si privilegium tollat

(1) S. Alph. l. i. app. 2. de priv. xv.

(2) Cap. olim de verbor. signif. et leg. ult. de const. princip.

(3) S. Alphons. loco supra cit. n. viii.

(4) Reg. juris ult. ff. de constit.

(5) Cap. 6. de privilegiis.

(6) Vide S. Alph. append. II. de privilegiis, c. i. n. iii.

impedimentum præcepto servando, debet quis eo uti : v. g. : si sacerdos altaris portatilis privilegio gaudeat, et in die festo procul sit ab ecclesia, debet celebrare in domo privata, dummodo omnia præsto sint ad decentem sacrificii celebrationem. Sic etiam tenetur confessarius privilegio absolvendi a reservatis uti, post auditam confessionem, si pœnitens sit rite dispositus ; quum alioquin gravis inferretur ei injuria.

66. Privilegia *localia* extra territorium non valent : *personalia* verò circumferuntur, si a suprema auctoritate fuerint concessa ; imo si ab inferiori præsule ob specialem conditionem personæ ex æquitate quadam vim obtinent.¹ Qui in bulla *Cruciata* Hispanis conceditur lacticiniorum in Quadragesima usus, eleemosyna quadam in pios usus injuncta, locale dicitur a Suaresio privilegium, quod extra ditionem Hispaniensem non valet :² quamvis jam passim abstinentiæ leges eo prætextu violentur. Qui ob infirmam valetudinem obtinuit licentiam carnibus vescendi, poterit ea ubique uti, sed offensionem fidelium vitare debet, et ordinariis locorum deferre reverentiam, petita venia, si sit occasio facilis.

67. Privilegium cessat lapsu temporis, quando certus terminus in indulto fuerit constitutus : et etiam cessatione causæ finalis, propter quam concessum erat, si ea tamquam conditione nitatur :³ secus si concessio fuerit absoluta, uti opinio valde probabilis est.⁴ Amittitur per usum contrarium, vel non usum, per spatium ad præscriptionem requisitum, si privilegium aliis sit detrimento : quapropter templariis sibi vindicantibus immunitatem a decimis cuidam monasterio solvendis, jussit Innocentius III. eos ad solvendum cogendos, si constaret, examine instituto, eos per quadraginta annos proxime elapsos absque lite solvisse : “ cum enim tanto tempore contra indulta privilegia decimas solverint, eis renuntiasse tacite præsumuntur.”⁵ Si autem privilegium aliorum jura non lædat, non amittitur per usum contrarium. Hinc cui breve recitare officium concessum est, potest illud dicere, etsi per plurimos annos longius officium, privilegii haud sollicitus, recitaverit. Abusus privilegii justam præbet Superiori causam illud auferendi, quia “ privilegium meretur amittere, qui permissa

(1) Suarez de leg. l. viii. c. xxvi. n. 15.

(2) Ibidem.

(3) C. Leg. quoties, de precibus imperatori offerendis.

(4) S. Alph. app. ii. de priv. n. xi.

(5) Cap. xv. de privil.

sibi abutitur potestate.”¹ Cæterum *ipso facto* privilegium non cessat, nisi Superior in indulto ita stauerit.

68. Revocari possunt privilegia vel expresse, vel tacite. Expressa habetur revocatio, si apponatur legi novæ clausula: non obstantibus quibuscumque privilegiis, vel non obstante tali privilegio. Tacita fit privilegiorum revocatio, quando lex fertur universalis iis adversa. Quod si Superior privilegia antea concessa ignorare videatur, utpote quæ a decessore suo privato cuidam data fuerint, nec in corpus Juris inserta, ea revocata non censentur, nisi specialis apposita sit clausula qua rescindantur. Specialis ejusmodi clausula etiam requiritur ad rescindenda privilegia jam in corpore Juris recensita, vel Regularium ordinibus concessa, vel quæ concilii generalis nituntur auctoritate; vel quæ ex indulti verbis specialem exigunt mentionem; vel quæ speciem contractus præferunt ob merita quæ compensant, vel onus quod inducunt. Sed si lex revocatoria lata declaratur *ex certa scientia, motu proprio, et ex plenitudine potestatis*, revocatum censetur omne privilegium, exceptis onerosis, aut quæ jus tertii spectant.

69. Communicantur privilegia inter Ordines Mendicantes, adeo ut quæ uni fuerint concessa, cæteris data intelligantur, tum circa loca, tum circa personas, festivitates, et indulgentias. Hujusmodi privilegiis fruuntur conversi, et novitii; sicut et religiosi ad episcopatum assumpti, “dummodo non agatur de rebus, quibus episcopi si utantur, aliquod religioni præjudicium proveniret, ut esset habitatio in monasterio, datio suffragii, &c.”² Moniales et monachi etiam communione privilegiorum inter se invicem fruuntur, ideoque quæ ordini alicui conceduntur privilegia favorabilia, sunt omnium ordinum viris fœminisque communia: quæ autem sunt odiosa, vel contraria propriis statutis, non communicantur.

(1) Cap. *Ubi*, distinct. lxxiv.

(2) S. Alphon. l. i. app. II. n.

P A R S II.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE.

CAPUT I.

DE MISSA AUDIENDA.

1. INTER leges ecclesiasticas quæ omnes adstringunt fideles, sex præsertim recensentur quæ præcepta Ecclesiæ dici consueverunt.

- I. Sacrum Missæ officium dominicis festisque reverenter audito.
- II. Peccata tua singulis saltem annis confitere.
- III. Sacram Eucharistiam saltem semel in anno, circa festum Paschæ, sumito.
- IV. Dies jejunii et abstinentiæ servato.
- V. Decimas pastoribus dato, vel aliud ad sustentationem subsidium.
- VI. Matrimonium contra Ecclesiæ vetitum noli celebrare.

2. Ut præcipua fidei mysteria colantur, et in fidelium memoriam revocentur, dies quidam ab ipsis rei christianæ exordiis sacri habiti sunt, iisque celebrandis dicati. Sic dies natalis Christi Domini, et dies resurrectionis ab antiquissimo tempore celebrari consuevere. Equidem sapientissimam et sanctissimam consuetudinem hanc æstimabit, quicumque secum reputaverit quam opportuna sit ad hominum in Deum provocandos affectus, et ad ipsa recolenda mysteria. Alii etiam statuti sunt dies quibus sanctorum virtutes commemorarentur, ut Dei gratia in eorum triumphis laudaretur, et fideles ad eos imitandos excitarentur.

3. Præsens hujus regionis disciplina, saltem in plerisque provinciis, octo tantum per annum dies, præter dominicas, ex præcepto, seu lege, servandos injungit, scilicet diem natalem Domini, qui vigesima quinta die Decembris celebratur; ejus circumcisionem, quæ commemoratur die prima Januarii, ejus manifestationem gentibus, quæ dici solet Epiphania die sexta Januarii; annuntiationem Virginis die vigesima quinta Martii; et post resurrectionem, quæ die dominica celebratur, ascensionem in cælum; decimo die post Pentecosten, quo Spiritus Sancti in Apostolos illapsus commemoratur, corporis Domini mysterium, sanctissimi scilicet Sacramenti; assumptionem Virginis die decima quinta Augusti; et Sanctorum omnium triumphum, qui die prima Novembris celebratur.¹

4. Festi hi dies ea prorsus ratione, qua dies dominica, servandi sunt, sacrificio scilicet adstando, et ab operibus servilibus se abstinendo: et peccatum admittitur lethale si negligantur: damnata quippe est propositio hæc: "Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus."² Sed facile occurrunt in hac regione causæ ob quas excusentur qui ea districte non servant.

5. Dies Christi natalis a Romanis die 25 Decembris jam tempore S. Chrysostomi celebrari consuevit,³ quem morem adoptarunt Græci, qui die Epiphaniæ nativitatem Domini antea celebraverant. Circumcisio Domini Nostri Jesu Christi a quarto sæculo exeunte spe-

(1) Hooker consuetudinem festa servandi, quam Anglicani retinuerunt, contra Puritanos vindicat: "For as much as we know that Christ hath not only been manifested great in himself, but great in other his Saints also, the days of whose departure out of the world are to the Church of Christ, as the birth and coronation days of kings or emperors: therefore, especial choice being made of the very flower of all occasions in this kind, there are annual selected times to meditate of Christ glorified in them which had the honor to suffer for his sake, before they had age and ability to know him: glorified in them which knowing him as Stephen had the sight of that before death, whereinto so acceptable death did lead; glorified in those sages of the east, that came from far to adore him and were conducted by strange light; glorified in the second Elias of the world, sent before him to prepare his way: glorified in every of those Apostles, whom it pleased him to use as founders of his kingdom here; glorified in the angels as in Michael; glorified in all those happy souls that are already possessed of heaven." Eccl. Polity, l. v. n. 70.

(2) 52 inter prop. damn. ab Innoc. XI.

(3) Serm. de Christi Nativ. Vide et Aug. ep. liv. et lv.

ciali festivitate commemorata est, quæ in codice antiquo Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ refertur. Epiphania apud Orientales et Occidentales semper fuit celebris, a tertio saltem sæculo. Annuntiationis diei mentio occurrit in synodo Trullana anno 692; in ea scilicet utpote festa, licuit sacrificium offerre, quod Græci non offerebant plerumque per Quadragesimam, nisi sabbatis et diebus dominicis: sed de ejus origine non constat, quum de ea tamquam festo solemniori jam noto loquatur synodus. Pascha Resurrectionis ab Apostolorum tempore fuit celebratum: octava die deponerentur a neophytis vestes albæ, unde occasio orta est eam dicendi dominicam in albis: habet etiam festum hoc magnum octavam hebdomadarum, non enim nisi post octo hebdomadas desinit tempus Paschale. De Ascensionis Domini festa die loquitur S. Augustinus,¹ quæ ad Apostolicam ætatem haud inverosimiliter refertur. Pentecostes dies celebris semper extitit, consuevit enim, ab ipsa Apostolorum ætate, Spiritus Sancti illapsus eo die celebrari, quo et olim lex in monte Sinai tradita est. Festum Trinitatis speciale anno 1405, sub Benedicto XIII. ubique obtinuit, quum jam ab anno 1334, a Joanne XXII. prima Dominica Post-Pentecosten ei adsignaretur, variis antea de eo consuetudinibus. Festum corporis Christi ab Urbano IV. anno 1264, servandum ubique statutum est, postquam per annos octodecim Leodii celebratum erat: et paulatim processio consuetudine introducta est. Assumptio Virginis a sæculo saltem octavo celebrari consuevit, vel probabilius a sexto.² Festum Omnium Sanctorum originem desumpsit ex dicato templo Romæ dicto Pantheon, quod in cultum veri Dei, anno 687, transtulit Bonifacius IV., reliquiis martyrum ibi depositis. Gregorius III. deinceps festum fecit toti Ecclesiæ commune, et Gregorius IV. diem 1 Novembris ei celebrando statuit. Festorum dierum celebrandorum utilitates laudant Oxonienses,³ vetustiorum qui Puritanis resisterunt prementes vesti-

(1) Serm. cclxxi. alias cxviii. et cxix.

(2) Bened. XIV. de Festis, cap. 8. n. 29.

(3) Pulchre Pusey morem antiquum Ecclesiæ, qui idem manet, exponit! "Each Lord's day they rose with Him, and thus, 'day unto day uttered speech, and night unto night showed knowledge;' and as the year flowed on, the Festivals of our Lord did not simply commemorate (in modern phrase) 'events which took place 1800 years ago,' but showed Him to their purified hearts, as even then coming into the world, born, suffering, dying, rising, ascending; they longed for His coming, they suffered in His Passion; they rose with Him from

gia: sed per magnum quo separantur temporis intervallum haud adeo agnitæ sunt, et reipsa pergunt negligi.

6. Præceptum Missam audiendi diebus dominicis et præcipuis festis antiquissimum est, et ex perpetua consuetudine et sensu omnium fidelium innotescit. Moralis et humana præsentia requiritur ut huic præcepto satisfiat; nec enim Ecclesia exigere censenda est ut quis adstet, nisi in Dei obsequium et cultum. Cæterum nullæ speciales præscribuntur adstantibus preces recitandæ. Nil igitur officit, juxta plerorumque theologorum sententiam, si quis officium divinum, vel pœnitentiam a confessario injunctam, vel alias quascumque preces recitet, sacro adstans, nam in Dei cultum diriguntur, nec quid habent præcepto adversum. Ea tamen præ cæteris commendanda sunt devotionis exercitia quæ ad ipsum sacrificium referuntur. Qui inserviunt Missæ, præceptum implent, etsi speciali sibi injuncto officio præcipue vacent, vel paululum recedant a templo, thus aliudve necessarium allaturi. Pulsantes organum, et Musici, si ad Missam simul attendant, satisfaciunt præcepto.

7. Integra Missa ex præcepto audienda est: quapropter peccat, saltem venialiter, qui aliquam ejus partem audire negligit. Gravis autem est culpa notabilem partem omittere. Quæ pars notabilis habenda sit, disputant theologi: satis communis est sententia gravem esse culpam omittere initium Missæ usque ad epistolam inclusive: videtur enim pars notabilis Liturgiæ. Sed si quis ab offertorio adstet, non auferemus eum gravis arguere culpæ. Quæ post communionem recitantur omittere, gravis culpa non habetur, etsi quis etiam omiserit audire quæ epistolam præcedunt: abesse autem dum fit consecratio, et dum communicatio a celebrante sumitur, habetur grave: sed in controversia ponitur utrum grave sit alterutram tantum omittere. Si quis absque culpa abfuerit, usque dum inceperit canon, videtur obligatus ad reliquam partem Missæ audiendam, quum essentiam sacrificii complectatur. Sed si advenerit peracta jam consecratione, probabilius videtur ad reliqua audienda haud teneri, in ea enim pluri essentiam sacrificii constituunt. Cæterum quum communicatio sacerdotis ad consummationem pertineat, alii contendunt eum debere ei adstare.

the tomb; they followed His ascension; they awaited his return to judge the quick and dead, and to receive them to His kingdom." *Tract No. 67, on Baptism*, p. 141.

8. Instar unius Missa est audienda, nec "satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit;" jure enim meritoque Innocentius XI. eam propositionem confixit.¹ In dubio vertitur utrum satisfaciat qui duas partes a duobus sacerdotibus successive audit: v: g: a canone usque ad finem, et deinceps ab initio usque ad canonem. Plurimi insignes doctores affirmant, aliis negantibus. S. Alphonsus de Ligorio censet affirmantem sententiam probabilem, si consecratio et communio in eadem Missa sint; secus si quis audierit partem Liturgiæ quæ sequitur consecrationem ab uno sacerdote recitatam, et alteram ab initio usque ad consecrationem inclusive ab altero: unitas enim sacrificii consecrationem et communionem in eadem Missa exigit.

9. Somno qui indulget dum Missa celebratur, humana et morali præsentia non adest: satisfacere autem censendus est ille qui somno veluti vexatus, quantum potest, Missæ audiendæ dat operam.

10. Qui in templo adest, vel extra templi portam, nec tamen valet sacerdotem celebrantem videre ob interjectam columnam, parietem, vel altare, satisfacit præcepto si ex populi actionibus, pulsationibus tintinnabuli, vel voce sacerdotis, possit aliquatenus percipere quæ aguntur, ipseque sit populo adsistenti quodammodo conjunctus.

11. Controvertitur inter theologos de attentione requisita ad audiendam Missam. De Lugo cum aliis tenet Ecclesiam attentionem animi ad Sacrum, orationemque comitem non exigere, quia de internis actibus legem ferre nequit; quamvis vehementer cupiat fideles magna cum animi devotione adesse. Alii plurimi censent Ecclesiæ potestatem ad internos actus *indirecte* pertingere, eamque non tantum exigere ut exterior servetur reverentia, sed ut animo ad divina elevato, Spiritu et veritate Deum colamus. Hæc sententia communior et probabilior a S. Alphonso de Ligorio vocatur;² illa verò probabilis ratione et gravium doctorum auctoritate non caret: quapropter concionatores et confessarii cautius loqui debent, ne laqueum animabus injiciant, dum eas incertæ legis vinculo adstringunt.

12. Qui tempore Missæ in templo confitetur, non videtur pluribus theologis Missæ audiendæ satisfacere præcepto, quia non potest etiam exterius attendere: sunt tamen haud parvi nominis theologi qui cen-

(1) Prop. liii.

(2) L. iii. n. 313.

sent piam hanc actionem, posse ad Dei cultum, qui in Missa præcipue peragitur, referri. Horum sententiam probabilem dicere non audet S. Alphonsus de Ligorio.¹ Cæterum si facilis occasio non sit futura confitendi famulis aliisque juste impeditis, nullus eis erit movendus scrupulus ob confessionem dum sacro adstant peractam.

13. Confabulatio per magnam Missæ partem continuata obstat attentioni etiam externæ, ideoque præcepti observantiæ. Levis autem erit culpa paululum confabulari.

14. De loco in quo audienda est Missa vix aliquid occurrit dicendum. Constat quidem iis in regionibus in quibus ecclesiastica disciplina viget, in ecclesiis, non autem in privatis oratoriis, eam audiendam, nisi privilegio quis fuerit donatus. His autem in provinciis satisfacit præcepto qui Missam quolibet in loco reverenter audit.

15. Ab audienda Missa excusat quævis causa gravis, scilicet notabile aliquod incommodum, aut damnum in bonis animæ, vel corporis proprii, vel proximi. Ita communiter theologi, teste S. Alphonso de Ligorio. Qui habet privilegium celebrandi in altari portatili, debet eo uti in die dominica, festave, si alias Missam ipse audire nequeat: dummodo tamen possit reverenter tantum munus obire iis in rerum adjunctis in quibus eum versari contigerit. Cæterum si inter acatholicos solus versetur in itinere non tenetur ad celebrandum; quum vix possit debita sacrificio reverentia servari.

16. Qui in mari, vel carcere versantur, excusantur ab audiendo sacro, si sacerdos qui celebret non adsit, nemo non videt. Infirmos etiam excusari, qui exeundo ad Missam audiendam grave damnum valetudini, vel moram ad convalescendum notabilem, timent, apud omnes constat. In dubio autem sequi poterunt confessarii, vel medici, vel prudentis et pii viri iudicium. Senes etiam facile excusantur sæviante hieme, et glacie solo coacto: est enim manifestum lapsus periculum, et membri fracturæ.

17. Excusantur ii qui necessario manere domi debent ad ejus custodiam; sed si plures sint ejusdem familiæ, debent inter se convenire, ut per vices custodiam servant. Famuli possunt excusari si rarius ad Missam audiendam accedant, heris copiam ecclesiam ade-

(1) Ibidem, n. 311.

undi sibi servantibus : cæterum curare debent ut aliquando saltem eam audiant, ne sensus pietatis omnino evanescat, et si Missæ audiendæ copia eis penitus denegetur, quamprimum alium dominum quærere oportet. Matres quæ parvulos, sine periculo, vel vitæ, vel morum, domi relinquere nequeunt, eosque ad ecclesiam adductos perturbationem astantibus facturos timent, excusantur, si domi manserint.

18. Gravis aliorum offensio ex Missa audita oritura potest aliquando excusationis locum obtinere : præstat enim opus bonum aliquando omittere, quam aliis, gravi etiam cum sui incommodo, præbere peccandi occasionem. Sic excusatur uxor, quæ ex accessu ad ecclesiam zelotypi mariti vehementes suspiciones timet : et famulas, qui indignationem nimiam domini veretur, præsertim si ministerium cui domi vacare debet, sit quodammodo necessarium.

19. Quæ distantia ab ecclesia excuset a præcepto Missæ audiendæ servando certa aliqua norma statui non potest. Personæ, temporis, locorumque adjuncta sunt attendenda. Fœminæ, aliique valetudinibus haud firmæ, facilius cæteris excusantur : sed plerique qui tribus millibus passuum ab Ecclesia distant, excusati habentur, si iter pedibus sit faciendum. Qui equo vel curru vehuntur haud semper excusantur etsi decem milliaribus distent : iter enim hujusmodi negotiorum suorum causa quotidie fere conficiunt : sed plerumque sex aut septem millia excusationi sunt fœminis, pueris, vel aliis qui longiori itineri non assueverunt. Qui rure degunt et sacerdotis copia semel in mense fruuntur, in ecclesia quæ iis sit instar parochialis, non videntur teneri ad iter alio faciendum in diebus festis vel dominicis in quibus abest. Omnes autem qui remotius ab ecclesiis habitant, debent saltem nonnunquam in anno, vel sæpius per vitam, ecclesiam aliquam adire, ut sacrificio Deum colant : et interim pietatis exercitiis suis in ædibus vacare.

20. Consuetudo alicubi habet ut viduæ aliquamdiu tempore luctus per octo dies, et mulieres post partum per sex hebdomadas non exeant. Quamvis damnandæ non sint quæ eam sequuntur ubi viget, cavendum tamen ne tempus protrahatur. Puellæ quæ rubore ne suffundantur dum proclamationes matrimonii in ecclesia fiunt, ubi ille viget mos, absunt, haud facile excusantur : vix enim rubor ille gravis incommodi nomen meretur. Disputant theologi utrum puella debeat omittere Sacrum, ne juveni, a quo novit se perditæ amatam, præbeat

concupiscentiæ occasionem. Si bis terve omittendo speret libidinem juvenis domandam, videtur teneri ad abstinendum ab accessu ad ecclesiam, quum charitatis præceptum, quo alienam ruinam præcavere debemus, præcepto de audienda Missa dignitate sua præcellat. Cæterum diutina hæc non debet esse excusatio, sibi enim juvenis casum suum imputet. Ipsa tamen puella sibi ut consulat, poterit diutius abesse, si ruinam timeat.

21. Qui vestes non habent suo statui convenientes, excusantur aliquando: debent tamen, si sit facultas, tempus opportunum quærare, diluculo ecclesiam adeundo. Pudor ex delicti indicibus ortus etiam excusat eam quæ fama adhuc integra crimen proderet palam adstando Missæ; quamvis enim in causa culpanda sit, jam ea est conditio quæ efficit ut nequeat præcepto satisfacere.

22. Lucri permagni amissio esset excusatio legitima, præsertim ei qui vix posset eo carere. Sic qui muneris amittendi discrimini se objicerent Ecclesia adeunda ut Missæ adstarent die festo, excusantur. Minus autem dispendium pauperes excusat. Cæterum non excusantur cauponæ qui die dominica Missam negligunt ut adeuntes cauponam excipiant, lucrum magnum inde percepturi; nam id fit cum religionis detrimento, et magna omnium offensione.

23. Affectus erga parentes et propinquos demonstrandi causa excusari videntur qui aliquando se conferunt ad loca in quibus nulla futura sit eis Missam audiendi facultas. Cæterum non sæpe, nec leviter, nec per tempus diuturnum id faciendum est.

24. Qui valetudinis causa, vel legitimæ animi recreationis per aliquot ætatis hebdomadas aliò se conferunt, prout plurimorum est mos, excusantur a violato præcepto, etsi copia Missæ audiendæ eis iter agentibus defutura sit: otium quippe illud et animi levamen aliquando necessarium, et persæpe utile est: nec coguntur perpetuò in loco in quo est copia sacri consistere.

25. Est alicubi mos rure ut vicini, præsertim acatholici, alios invisant mane diei dominicæ, totum diem cum iis mansuri: quo pacto catholici ab audiendo sacro detinentur. Id autem quæritur, utrum excusentur qui domi manent, ne comitati et amicitie deesse videantur. Si sit facultas ecclesiam adeundi, et redeundi ad hospitii jura præstanda, liquet Missam non posse negligi ab omnibus, quamvis aliquis domi possit manere comitatis causa: sed vix censemus omnes

posse ideo abesse ab ecclesia, præsertim si consultò advenerint hospites, non semel, iterumve, sed sæpius. Id magis dicendum de catholicis invisentibus alios, quorum præsentia obstare non debet præcepto ecclesiæ adimplendo. Cæterum non damnamus eum qui ad vitandam gravem aliorum offensionem aliquando domi cum hospitibus manet.

CAPUT II.

DE CONFESIONE ANNUA.

26. DIVINUM est confitendi præceptum, quod ne negligetur jussit concilium Lateranense IV. ut "omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno confiteatur proprio sacerdoti."¹ Pœna quæ negligentibus illud implere intentatur, gravissima sane est: "alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura." Præceptum hoc obligat omnes qui peccati lethalis conscii sunt, quod ante usum rationis admitti nequit. Septennium plerumque censetur ætas in qua obligare incipit. Cæterum qui nullius peccati gravis sibi conscius est, non videtur præcepto teneri, quum latum sit ad divinam legem, quæ peccati lethalis reos respicit, executioni demandandam.² Id certum videtur, satisfacere Ecclesiæ menti, qui nullius gravis peccati quum sibi sit conscius, se confessario coram sistit, illud declarans. Proprius sacerdos, ex mente patrum Lateranensium, videtur parochus esse, qui tamen poterat, juxta illorum temporum disciplinam, sacerdotes alios sibi in audiendis confessionibus adsciscere. Jam verò ea facultate parochis sublata, proprius habendus est sacerdos, seu parochus, seu alius ab episcopo ad excipiendas confessiones deputatus: ideoque impletur præceptum cuilibet sacerdoti rite probato confitendo. Confessio annua quum injungatur ut præcepto divino satisfiat, ille procul dubio muneri imposito deest, qui facit confessionem voluntarie nullam, prout constat ex damnata ab Alexandro VII. contraria alicujus sententia: "Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ."³

(1) Cap. xxi.

(2) Vide utriusque sententiæ rationes apud D. Thomam in 4 dist. 17, quest. 3, art. 1, quest. 3, ad 3.

(3) 14 prop. inter damnatas 14 Sept. 1665.

Quomodo confessio facienda sit ut valeat, alibi, ubi de sacramento pœnitentiæ agendum erit, explicabitur. Interim animadvertemus omnia peccata gravia quorum veniam antea quisque consecutus non est, esse declaranda, animo vere pœnitenti, et ad Dei et Ecclesiæ mandata perficienda parato.

27. Intra annum confessio est facienda: fert autem fidelium mos, quem probavit concilium Tridentinum, ut fiat tempore quadragesimali.¹ Qui annum elabi sivit, confessione haud peracta, tenetur quantocyus confiteri, tempus enim præscribitur ad urgendam divini præcepti impletionem, non ad obligationem terminandam: quod colligere est ex verbis illis: *saltem semel in anno*. Qui prævidet se impeditum iri ne confiteatur, nisi præsentem arripiat occasionem, tenetur ad confitendum statim, licet anni finis non appropinquet: præceptum enim obligat anno inchoato, nec alia futura est illud implendi occasio. Siq̄ qui aliquando invisuntur a sacerdote fideles in loco degentes ab ecclesia dissito, et omni sacri ministerii subsidio plerumque carentes, debent confiteri peccata, si prævideant per reliquam anni partem non fore illis confessarii copiam. Annus solet a multis computari a tempore quod paschali præcepto implendo destinatur, ad sequentis anni tempus item paschale.

28. Parentes qui non curant ut filii huic satisfaciant præcepto graviter sunt culpandi; præsertim quum hoc munere in tenera ætate neglecto, difficile deinceps ad bonam frugem redigantur. Igitur septennes ad confitendum mittendi sunt, et deinceps quotannis saltem: quod si dum adolescenti renuunt, precibus et suasionibus præsertim sunt adducendi; sed peccant plerumque patres qui suo exemplo filiis non præeunt. Qui confitentur etiam pueri absolvendi sunt, nam ideo confessio annua injungitur, ut animæ saluti consulatur: quod si de animi pœnitentia dubitetur, confessarii studium in eo ponendum est, ut ad doloris sensum et detestationem peccatorum excitentur, ad absolutionis beneficium percipiendum. Puero de quo adhuc

(1) Sanctam hanc consuetudinem retinere frustra voluerunt Anglicani, divina lege confitendi peccata denegata. "Our first Reformers contented themselves to procure from Edward the sixth in the first of his reign certain injunctions. . . . Order was given by the same injunctions, that the same persons should in Confessions in Lent examine every person that came to confession to them, whether they could recite the articles of their faith, the Pater noster, and the ten Commandments in English." Injunction 9. See the *Collection of Articles, Injunctions, &c.*, by Bp. Sparrow.

dubatur utrum satis noverit peccati malitiam, et de eo doleat, absolutionem sub conditione posse aliquando impertiri consentit S. Alphonsus, ob vitam incertam, ne salute periclitetur.¹ Constat a puero non esse exigendam notitiam adeo explicitam fidei mysteriorum, quamvis præcipua aliquo pacto agnoscere et tenere debeat. Ab eo etiam non sunt expectanda indicia valde manifesta doloris; sed sufficit si confessario monente quantopere Deus oderit puniatque peccatum, videatur ex animo illud rejicere, et nolle in posterum patrare.

29. Qui neglexerunt confiteri infra annum, sequenti anno bis confiteri non tenentur, nam peccata utriusque anni unica confessione rite peracta remittuntur: quod si initio anni confessi sint, nullo peccato lethali gravati, in quod deinceps incidunt, tenet S. Alphonsus cum aliis eos ad confessionis præceptum servandum debere iterum confiteri, "cum respectu præsentis anni non satisfaciat, qui non confitetur mortalia istius anni."²

30. A præcepto implendo excusari videntur quibus non est copia sacerdotis probi: quamvis enim potestas non pendeat a moribus, et fideles non debeant vitam sacerdotum curiosius scrutari, viæ tamen censendi sunt ligati ad peccata sua detegenda ei cujus vitia patent, nisi gravissima urgeat necessitas. Utitur tamen jure suo fidelis qui pastorem suum, etiam improbum, adit ad legem Ecclesiæ adimplendam. Cæterum levis quæcumque pastoris culpa, vel mores acerbi vel agrestes, non debent fidelibus excusationi haberi, quo minus annum saltem confessionem faciant: quamvis aliqui excusari possint ob maximam quam experiuntur difficultatem in eo adeundo, dummodo brevi sit eis sacerdotis alterius copia futura.

(1) L. vi. n. 432.

(2) L. vi. n. 669.

CAPUT V.

DE COMMUNIONE PASCHALI.

31 PRÆCEPTO confitendi aliud eucharistiam recipiendi adnexum est: "suscipiens reverenter ad minus in pascha eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christiana careat sepultura."¹ Quamvis utrumque præceptum conjungatur, communiter tamen tenent theologi citius obligari quemque ad confitendum, quam ad suscipiendam eucharistiam, quum hujus sacramenti dignitas majorem animi præparationem, et plenioram doctrinæ notitiam postulet. A decennio ad quatuordecim annorum ætatem plerique censent tempus prima vice accedendi ad eucharistiam variari posse pro puerorum indole et pietate.² Quod si puer vita periclitetur, sacra eucharistia refici poterit, si capax sit confessionis, et aliquam eucharistiæ habeat notitiam, et sensum pietatis.³ Peccant autem parentes qui pueros suos ad eucharistiam suscipiendam, quum primum licuerit cum fructu accedere, parare negligunt. Culpandi etiam sunt animarum pastores qui studium necessarium haud ponunt in pueris tenera ætate ad eam disponendis, quum sic tanto careant munere, et magno discrimini in vitia labendi objiciantur.

32. Paschatis tempus eucharistiæ suscipiendæ adsignatum est, ut victimæ pro nobis oblatæ ipso quo immolata est tempore participes essemus, resurrectionis ejus futuri consortes. Paschale autem tempus, quod ad muneris hujus impletionem attinet, quindenos dies a dominica palmarum ad dominicam in albis inclusive complectitur,

(1) Conc. Gen. Lat. iv. Cap. *Omnis*, de pœnit. et remiss.

(2) Antoine Tract. de Euch. c. ii. qu. 1. resp. 2.

(3) Ibidem. Vido et Benedict. xiv. de synodo, l. vii. c. ix.

ex Eugenii IV. declaratione,¹ et Ecclesiae usu et sensu. Concessit porro Sedes Apostolica, rogantibus patribus primi concilii provincialis Baltimorensis, ut fideles intra provincias fœderatas præceptum hoc implere possint a dominica prima Quadragesimæ ad Trinitatis festum inclusive.

33. Quum confessio proprio sacerdoti facienda injungeretur, eucharistia ab eodem suscipienda intelligitur; quod ex consuetudine Ecclesiae exigit ut in propria parochia suscipiatur. S. Congregatio Cardinalium idcirco, anno 1682, declaravit sæculares non satisfacere præcepto ecclesiastico, per communionem factam in ecclesiis regularium. At verò quum nullæ apud nos parœciæ agnoscantur, præceptum impletum censetur, ubicumque quis eucharistiam susceperit: sed optandum est et suadendum ut in ecclesia quæ parœcialis instar sit suscipiatur.

34. De consilio confessarii ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eucharistiæ perceptione abstinere quis poterit, quin præcepti violati reus habeatur: quod dicendum videtur etiam de eo qui sua culpa confiteri neglexit donec temporis paschalis finis immineret; quamvis enim ob moram illam, qua se objecit discrimini, graviter arguendus sit, utitur tamen legis concessionem, dum communionem, ex consilio confessarii, differt. Cæterum si neglexerit accedere tempore a confessario definito, reus violati præcepti plane habendus erit. Illa legis concessio suffragatur in hac regione, licet tempus amplissimum præcepto satisfaciendo omnibus detur, nam temporis extensio ob communem necessitatem facta non derogat gratiæ quam lex permittit singulis tribui.

35. *Reverenter* sumenda est eucharistia, ratione quæ in tanti sacramenti honorem et in suscipientis utilitatem cedat, ideoque animo a peccati gravis labe immuni. Damnata idcirco est ab Innocentio XI. propositio: "Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem."² Qui igitur tantum admisit crimen ut corpus Domini indigne manducaret, paschali muneri satisfaciendi specie, debet quantocyus et plangere culpam, et animo rite probato et expurgato, divinum sacramentum suscipere.

36. Paschalis communio facienda est, intra tempus scilicet vel lege communi vel speciali indulto definitum, etiam ab eo qui paulo antea

(1) Bulla, *Fide digna*.

(2) Prop. 55. inter damnatas 2 Martii, 1679.

eucharistiam suscepit, nam tempori alligatum est præceptum. Qui neglexit communicare per id temporis, tenetur postea, saltem ante anni finem, ad eucharistiam suscipiendam; non enim ita alligatum est præceptum tempori ut eo finiatur, quum latum sit præcipue ut divinum præceptum de ea aliquando suscipienda impleatur. Imo Suarez, Azor, Reginaldus et alii censent novum admitti peccatum si moræ nectantur in præcepto implendo, tempore paschali elapso. Qui prævidet se non posse intra tempus paschale communicare, illud debet, si possit, antevertere, ut præcepto semel in anno communicandi, quod cum confessionis præcepto conjunctum videtur, satisfaciat.

CAPŪT IV.

DE JEJUNIO ET ABSTINENTIA.

37. JEJUNIUM præscribitur lege totius Ecclesiæ singulis Quadragesimæ diebus, Dominicis exceptis, et in feriis quarta, sexta, et sabbato, quater in anno, seu quatuor temporibus; et in vigiliis Omnium Sanctorum, Natalis Domini, et Epiphaniæ, et Pentecostes. Jejunatur etiam plerisque in his diœcesibus feria sexta singulis hebdomadibus Adventus. Jejunium etiam vehementer commendandum est fidelibus harum provinciarum sabbato ante Dominicam in qua dies festus S. S. Petri et Pauli solemniter apud nos celebratur, scilicet in quam ipse dies festus inciderit, vel quæ fuerit intra Octavam. Ita jussit S. Congregatio, quum obligatio jejunandi vigilia festi ipsius auferretur, rogantibus episcopis concilii quarti Baltimorensis. Abstinencia a carnibus absque jejunio præscribitur sigulis feriis sextis per totum annum, excepta ea in qua contigerit festum Natalis Domini. Quæ alias servatur sabbati abstinencia, ex Sedis Apostolicæ indulgentia, apud nos, sicut jam in nonnullis aliis locis, relaxata est.

38. Abstinenciæ nomen strictius hic sumitur; quum alias virtutem indicet qua in cibis comedendis appetitum regimus. Virtutis hujus utilitates plurimis commendat S. Thomas: "delectationes ciborum natæ sunt abstrahere hominem a bono rationis, tum propter earum magnitudinem, tum etiam propter necessitatem ciborum, quibus homo indiget ad vitæ conservationem, quam maxime homo desiderat."¹ "Per abstinenciam corpus castigatur, non solum contra illecebras luxuriæ, sed etiam contra illecebras gulæ: quia dum homo abstinet, magis redditur fortis ad impugnationes gulæ vincendas, quæ tanto fortiores sunt, quanto magis homo eis cedit."² Jejunium ad hanc virtutem pertinet, quod singularibus laudibus effert ipse Angelicus Doctor: "Assumitur enim jejunium principaliter ad tria. Primò

(1) 2. 2. qu. cxlvi. *Resp.*(2) *Ibidem, ad secundum.*

quidem ad concupiscentias carnis reprimendas. Unde Apostolus dicit in auctoritate inducta, 'in jejuniis, in castitate,' quia per jejunia castitas conservatur. Ut enim Hieronymus dicit: 'Sine Cerere et Baccho friget Venus;' id est, per abstinentiam cibi et potus tepescit luxuria. Secundò, assumitur ad hoc, quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda. Unde dicitur Danielis X. quod post jejunium trium hebdomadarum, revelationem accepit a Deo. Tertiò ad satisfaciendum pro peccatis. Unde dicitur Joel. II.: 'Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu.' Et hoc est quod Augustinus dicit in quodam sermone de oratione, et jejunio: 'Jejunium purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subjicit, cor facit contritum, et humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit.'¹

39. Abstinentiæ dies vulgò dicitur ille in quo carnibus vesci non licet,² quamvis refectionibus nullus lege definiatur limes: jejunium verò fit, dum unica per diem datur relectio. Abstinentia jejunio includitur, adeo ut non liceat diebus jejunii carnibus vesci, vel jusculo e carnibus expresso, vel re alia quæ substantiam carniū contineat. Ova et lacticinia diebus Quadragesimæ ex generali Ecclesiæ consuetudine prohibentur: damnata est enim propositio: "Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget:"³ Attamen in fœderatis provinciis comeduntur, episcopis

(1) 2. 2. qu. clxvii. art. i. *Resp.* Non minus vehementer J. Taylor: "Fasting is an act of many virtues: it is an elicited and proper act of temperance, and of repentance, and of humiliation, and of mortification of the flesh with its affections and lusts: it is an imperate and instrumental act ministering to prayer, and is called a service of God. So the good old prophetess served God night and day in fasting and prayer: and that which serves God, and ministers so much to Religion, and exercises so many graces, and was practised by the faithful in both Testaments, and was part of the Religion of both Jews and Gentiles, and was the great solemnity and publication of repentance, and part of a natural Religion, and an endearment of the divine mercy and piety; that which was always accounted an instrument of impetration or a prevailing prayer; which Christ recommended and presupposed, and adorned with a cautionary precept, and taught the manner of its observation, and to which he made promises, and told the world that his Heavenly Father will reward it; certainly this can be no less than a duty of the Evangelical or Christian Religion." *Ductor Dubitantium*, l. ii. c. iii. p. 419.

(2) Hooker, inter ritus legesque Ecclesiæ Anglicanæ recenset: "enjoining abstinence at certain times from some kinds of meat." *Ecl. Polity*, l. iii. n. 5.

(3) Prop. xxxii.

indulgentibus ex facultate sibi concessa ab Apostolica Sede. Caseus, lac, et butyrus in vespertina collatiuncula a plerisque adhibentur: qui tamen mos emendandus videtur, quum omne jejunii vestigium fere tollat. Larido in cibis coquendis diebus esurialibus uti licet in hac regione, ex consuetudine episcopis probata, et speciali olim indulto. Consueverunt etiam episcopi indulgere ut carnibus utantur fideles semel in die quibusdam diebus ferialibus Quadragesimæ, et sæpius diebus omnibus Dominicis, excepto die Palmarum. Sed jejunandi lex manet, etiam abstinendi a carnibus obligatione sublata.

40. Pisces cum carnibus non sunt miscendi in diebus jejunii, quando facta fuerit facultas carnibus vescendi.¹ Nequidem pisces sale siccati, ad condimentum carni, v: g: alecia, vel testacea marina, adhibendi sunt.² Si tamen contigerit dispensari ab abstinentia die quæ non sit jejunii, v: g: die quolibet Veneris, licebit carnes cum piscibus miscere: exceptis diebus Dominicis Quadragesimæ.³

41. Jejunium si quis absque causa fregerit, plures sumendo refectioes, peccati mortalis reus est: violat quippe districtam Ecclesiæ legem.⁴ Damnavit idcirco Alexander VII. propositionem. “Fran-

(1) Ex decl. Bened. xiv. die 10 Junii 1745.

(2) Vide resp. S. Pœnit. 8 Jan. et 16 Jan. 1834.

(3) Resp. S. Pœnit. 15 Feb. 1834.

(4) Recitat Jeremias Taylor verba hæc Chrysostomi: “Adveniente tempore jejunii, etiamsi quis millies urgeat, et infini te cruciet, et cogat vinum delibare, aut aliquid aliud quod jejunii lege non est licitum gustare, patiendum potius esse, quam prohibitum tangere nutrimentum.” Addit ipse: “It was accounted a great matter then to break an ecclesiastical fast: and therefore when a law is supported by such an estimate, that law binds heavily; and it will be a great sin to break it, unless there be a great cause to legitimate or excuse it.—Thus also in the foregoing instance of ecclesiastical fasts are those words of St. Basil to be understood saying, ‘Non minus crimen esse violare jejunium ecclesiasticum, quam militi abjicere scutum in bello, aut stationem deœerere.’ Ecclesiastical fasts in his time were the cognizance of a Christian, his defence and guard; and therefore not to keep them was as if a soldier did throw away his shield in a day of battle, or desert his station.” *Ductor Dubitantium*, Vol. ii. p. 13. l. iii. c. i. Hooker consentit: “Considering that they which grieve and joy as they ought, cannot possibly otherwise live than as they should, the Church of Christ, the most absolute and perfect school of all virtue, hath by the special direction of God’s good Spirit hitherto always inured men from their infancy, partly with

gens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subicere præcepto.”¹ Quod si quis, vel forte, vel consultò, in die jejunii duas sumpserit refectiões, alias sumere non erit gravis culpa, quum amplius nequeat præceptum servare.

42. Refectio unica, quæ die jejunii permittitur, post solis occasum olim sumebatur in quadragesima; et hora nona, seu tribus circiter post meridiem horis, cæteris anni temporibus; jam a sæculo XIV. circa meridiem sumitur. Tempus hoc prandendi notabiliter prævenire, puta per duas aut tres horas gravis nonnullis videtur culpa: aliis levem eam habentibus, quum substantia jejunii servetur, quoties unica in die sumitur refectio. A levi culpa eximit quævis æqua causa: v: g: iter inchoandum. Si prandium interrumpi contingat, licet illud postea finire, quum unica habeatur refectio. Interruptio autem prudenti arbitrio æstimanda est, habita adjunctorum ratione. Post plures horas ad prandium redire non licet, si jam se satis quis refecerit, nec enim, tanto intercedente intervallo, eadem refectio haberi potest. Etsi quis a mensa surrexerit animo amplius non comedendi, poterit paulo post redire, vel poma aut cibos leviores comedere. Tempus per quod prandium protrahi potest, nulla certa regula definiri potest; sed prudenter est æstimandum pro more regionum. Ad duas horas illud protrahi theologi nonnulli concedunt.

43. Vinum aliosque liquores sumere in diebus jejunii olim non licuit: progrediente verò tempore adeo mitigata est disciplina, ut potus hujusmodi legibus jejunandi repugnare haud censeatur. Fini tamen quem sibi proponit Ecclesia maxime adversaretur, qui potui nimio indulgeret in fraudem jejunii. Bibenti modicum aliquid cibi simul sumere una aut altera vice, ne potus noceat, theologi permittunt.

44. *Electuaria*, quæ ideo dicuntur quod ex electis rebus, puta ex saccharo, et junipero, aut cedro conficiuntur, “etiamsi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum: unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum

days of festival exercise, for the framing of the one affection, and partly with times of a contrary sort, for the perfecting of the other.” *Eccl. Polity*, l. v. n. 72. Jejunandi morem et legem ex professo eo loci defendit.

(1) Prop. 23.

medicinarum assumptio, nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.”¹

45. Thè, et Caffè potando sumere in diebus jejunii nulla lege vetatur, sed omnino ad libitum permittitur. Chocolatis cyathum etiam semel in die jejunii sumere, unciam scilicet cum dimidio circiter aquæ admixtam, ex consuetudine licet. Qua ratione apud nos paratur, potus plane habet rationem; et instar thè vel caffè sumi potest.

46. Unicæ refectioni consuetudo addidit vespertinam collatiunculam, seu modicam refectionem vespere, quæ nomen sortita est a collatione de rebus spiritualibus, quam olim habebant monachi, dum haustum vini, et fructum, vel legumen aliquod ad vires reficiendas post diei labores sumerent. In regionibus nonnullis in quibus prandium nonnisi pluribus horis post meridiem elapsis sumitur, collatiuncula mane fit: quo more utentes non esse inquietandos ex responso S. Pænitentiaræ colligitur.² In his provinciis videtur vespere tantum sumenda, nisi occurrat gravis ratio in contrarium. De quantitate ciborum et qualitate, piorum hominum usus spectandus est. Octo uncias cibi sumi posse asserit S. Alphonsus de Liguorio, et, ubi consuetudo obtinet, duplo majorem in vigilia Natalis Domini. “Quoad qualitatem vero cibi in cænula sumendi, hodie commune est posse comedi panem, fructus, oleas, herbas, et dulciaria.”³ Ova autem non permittuntur. Caseus vel butyrus in cænula non conceditur juxta generalem Ecclesiæ disciplinam: sed usus in his provinciis obtinuit ut adhibeantur. Lac etiam ex necessitate quadam alicubi apud nos sumitur: plurimi enim rure præsertim, quum caffè vel thè sibi comparare nequeant, alium potum vespere non habent: modicum autem lac cum thè admixtum ubique apud nos usurpatur. Pisces parvos in cænula comedere, imo duas vel tres uncias piscis majoris, ex consuetudine licere plures asserunt theologi. Qui ob ætatem vel gravem laborem a jejunio eximuntur, possunt iis diebus in quibus carnes ex episcopi indulto semel edendæ conceduntur, iis pluries vesci, quoties comedunt, juxta S. Pænitentiaræ quoddam responsum.⁴

47. Qui jejunium violat carnes comedendo, peccat graviter, nisi

(1) S. Thomas, 2. 2æ. qu. cxlvii. art. vi. *ad tertium*.

(2) 10 Jan. 1834.

(3) S. Alphonsus, l. iii. n. 1026.

(4) 16 Jan. 1834.

octavam partem unciæ (quam parvam materiam habent theologi,) tantum comederit. Qui duas integras refectiones sumpserit, gravis peccati reus quoque noscitur. Venialiter autem peccat, qui parvum quid extra prandendi tempus una aut altera vice comederit; vel qui aliquatenus excedat in vespertina collatiuncula. Duas uncias ultra concessas non esse gravem excessum plures dicunt theologi.

48. *Dispensatio* Superioris æqua ex causa concessa excusat a jejunio. Legislator potest quidem absque causa dispensare, quamvis peccet: sed qui ab ipso derivant dispensandi facultatem, ea uti nequeunt nisi justa intercedente causa, quum ea conditione concessa intelligatur. Episcopi in suis diœcesibus pro casibus particularibus dispensare possunt, non verò pro tota diœcesi, quum ipsi nequeant Superioris legem relaxare, nisi eo consentiente; qui jure præsumitur velle, ut occurrentibus quorundam necessitatibus subveniant, non verò ut omnibus legem relaxent. Ita fert communior et probabilior sententia, teste Benedicto XIV.¹ Parochi suis subditis simili ratione dispensationes concedunt, ex consuetudine. In his provinciis habent episcopi ex Summi Pontificis indulto, potestatem "dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carniùm, ovorum, et lacticiniorum tempore jejuniorum et quadragesimæ." Eam solent etiam impertiri missionariis, qui singulis pro causa æqua, non vero omnibus fidelibus suæ curæ commissis, dispensationem possint concedere. De necessitate petendi dispensationem præ oculis habenda est S. Thomæ doctrina: "Si causa est evidens, per seipsum licite potest homo statuti observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si non posset de facili recursus ad Superiorem haberi. Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad Superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi."²

49. *Impotentia, sive physica, sive moralis* a jejunio excusat. Sic excusantur infirmi, quibus jejunium grave damnum allaturum verosimile est. Item qui experientia norunt se grave nocumentum ex jejunio derivare. "Ideo etiam excusantur, qui laborant febris tertiana, vel quartana, vel qui ab ea immediate convaluerunt. Item debiles qui una vice alimentum sufficiens non possunt sumere. . . . Item prægnantes et lactantes, quibus aliquando permittunt etiam carnes, si puer sit infirmus, aut ei immineat periculum infirmitatis, vel si mater sit debilis. . . . Imo prægnantes peccarent, si pluries je-

(1) In Bulla. *Prodiit jam dudum.*

(2) 2. 2^æ. qu. cxlvii. art. iv.

junarent; secus si unum vel alterum jejunium aliqua mulier robusta ferre vellet. Ita S. Alphonsus de Ligorio.¹ Item “excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.”²

50. Impotentia moralis etiam excusat. “Hinc 1. non tenentur jejunare ii, quibus jejunium affert gravem capitis dolorem. 2. Excusantur ii, qui jejunando non possunt noctu calefieri, vel per notabile tempus somnum capere.”³ Nec pluribus videntur obligati ad prandium differendum, collatiuncula mane sumpta, quum id absque incommodo haud levi vix fiat. 3. Excusantur “milites, sive sint in castris, sive in hospitiiis, tum quia ipsi magnos labores perferunt, tum quia statis horis non possunt comedere, nec congruum habent cibum pro jejunio. 4. Excusantur uxores, quæ alias jejunando magnam paterentur indignationem a viris . . . modo jejunium a viro non prohibeatur in contemptum religionis, vel præcepti Ecclesiæ. Excusantur viri, si jejunando non possent uxoribus debitum reddere. . . . Non autem excusantur conjuges a jejunio, si cum illo debitum petere non possint. Tamburini tamen probabiliter excusat conjugem advertentem in altero, nisi petat, periculum incontinentiæ, vel gravem suspicionem concipere quod ipse adulteratus fuerit, vel aliam diligit.”⁴ Excusantur universe adolescentes usque ad annum vigesimum primum completum. Excusantur senes qui annum sexagesimum compleverunt, uti fert sententia satis recepta; indigent enim frequentiori cibo. Idem dicunt nonnulli de mulieribus quinquagenariis; alii tamen vehementer repugnant.

51. *Labor gravis* a jejunio excusat. Cæterum Alexander VII. merito damnavit propositionem. “Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare; an labor sit compatibilis cum jejunio.”⁵ Ob nimiam scilicet latitudinem propositio hæc proscripta fuit. “Cæterum omnes artes, quæ exerceri non possunt nisi cum ingenti corporis agitatione, a jejunio excusant, eo quod in eis multi spiritus consumuntur.”⁶ Excusantur idcirco “fossores, agricolæ, lapidicinæ, figuli, textores, lanarii, fullones, bajuli, aurigæ, nautæ remigantes,

(1) L. iii. n. 1033.

(2) D. Thomas, 2. 2. qu. cxlvii. art. iv. *ad quartum*.

(3) S. Alphons. l. iii. n. 1034. (4) *Ibidem*.

(5) Prop. 30.

(6) S. Alph. l. iii. n. 1041

fabri lignarii, ferrarii, et murarii.” “Excusantur cursores, sutores qui calceos conficiunt, non verò qui coria scindunt. . . . Item furnarii, pistores, coqui plures dapes et multis personis præparantes, si fere per diem laborent. . . . secus, si pauca fercula parent. . . . typographi prelum versantes, non verò typos componentes. . . . famuli, qui vehementer tota die incumbunt majoribus laboribus non vero ancillæ lanam aut linum nentes, aut similia levia domus servitia exhibentes. . . . secantes lapides. . . . percursantes urbem ad vendendas merces.”¹ Cæterum post Tamburini bene advertit S. Alphonsus omnes hos “non excusari a jejunio, nisi laborent saltem per majorem diei partem, non vero si per duas vel tres horas.” Barbitonsores, sartores, pictores, et scribæ, communiter non excusantur. Neque horologiarii, nisi qui magnis horologiis construendis occupantur. “Alii absolute excusant molitores, argentarios, et sculptores,” sed S. Alphonsus censet considerandum esse, utrum labor cui vacant gravis sit, vel ab ipsis jejunantibus possit perfici absque gravi incommodo.

52. Si artifices sint divites, et opera differri queant, consultius est ea differre, ut servetur jejunium: communis tamen est sententia, ut ait S. Alphonsus, eos præcepto non obligari ad dilationem, quum reipublicæ intersit opus progredi.

53. Si aliqui sint adeo robusti, ut operando jejunare queant, plures dicunt eos ad jejunium teneri: quod alii negant, eo quod lex respiciat quæ plerumque contingunt. Cæterum vix reperietur qui gravem laborem jejunus possit absque detrimento ferre.

54. Qui uno aut altero die vacant a labore, habentur a jejunii lege immunes, quum labor præcedens exigat virium refectionem, præsertim ut labori novo idonei evadant. Tenentur autem ad jejunandum si manifestum sit eos absque incommodo jejunium peragere posse.

55. Qui laborem gravem assumunt, nulla urgente causa, sed jejunium ut evitent, in fraudem legis agunt, et peccati sunt rei. Imo si absque causa, etsi haud animo legem evadendi, labori vacent, adeo ut jejunare nequeant, non sunt peccato immunes. “Si peregrinatio et operis labor commode differri possit aut diminui, absque detrimento corporalis salutis et exterioris status qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vitæ, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda.”²

(1) S. Alphons. l. iii. n. 1041.

(2) 2. 2. qu. cxlvii. art. iv. ad tertium.

56. Iter facientes pedestres a plerisque excusantur a jejunii obligatione, si spatium quindecim milliarium eodem die conficiant, et iter commode differre haud potuerint. “Si tamen via esset tam ardua, aut tempus tam asperum, aut si itinerans esset adeo debilis, vel itineri non assuetus, ut non posset jejunare sine magna difficultate; ob has causas aliquando posset eum excusare a jejunio iter etiam sex milliarium, vel minus.” Excusantur¹ etiam eadem de causa plaustraducentes: imo et litterarum latores, vel alii qui per totum diem circumcursant urbem negotiorum causa.

57. De equitantibus damnata est ab Alexandro VII. propositio: “Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.”² “Cæterum,” ait S. Alphonsus “communitè doctores excusant qui sic itinerantur per plures dies... Bene autem advertit Viva, quod hujusmodi itinerantes non excusantur, si constet eos sine magno incommodo posse jejunare. Præterea recte dicunt... posse aliquando excusare iter etiam unius diei, si agendum esset cum magna defatigatione, ut evenit cursoribus: vel si equitans sit debilis, aut tempus sit asperum, vel iter arduum, aut extraordinarium.” Qui publicis curribus vehuntur per totum diem, ac totam fere noctem, videntur excusari a jejunio, quum frequentiori cibo ad defatigationem sustinendam egeant.

58. *Pietas* excusat a jejunio eos qui æqua ex causa pia aggrediuntur opera, quæ jejunantes vix possunt perficere absque gravi incommodo: “quia,” ut ait S. Thomas, “non videtur fuisse intentio Ecclesiæ statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, et magis necessarias causas.”³ “Hinc 1. excusantur qui pluribus infirmis cum magno labore inserviunt in hospitalibus aut monasteriis.” 2. “Excusantur concionatores, qui prædicant quotidie sive frequenter in quadragesima;”⁴ laudandi tamen qui jejunium servant, si valeant absque valetudinis detrimento. Qui ter vel quater in hebdomada concionantur, a jejunio per totam hebdomadam aliquando excusari possunt, quando scilicet ex corporis agitatione vehementi, et mentis studio, jejunium nequeunt perferre. “Excusantur lectores scientiarum qui magno studio et labore indigent.”⁵ Scholastici etiam qui

(1) S. Alphonsus, l. vi. n. 1047.

(2) Prop. 31.

(3) 2. 2æ. qu. 147. ad 3.

(4) S. Alphons. l. iii. 1041.

(5) Ibidem.

per quinque horas utilibus studiis vacant, immunes a jejunio a non-nemine habentur. Nonnulli dicunt magistros Grammaticæ, qui per quatuor horas docent, non teneri jejunare plusquam tribus diebus in hebdomada." "Excusantur advocati, qui cum jejunio non possent satisfacere suis clientibus propter studium quo indigent,"¹ vel corporis agitationem dum causas agunt. Confessarii per octo horas excipientes confessiones, excusantur si ipsi sint ita debiles, ut jejunantes nequeant id muneris explere. Cæterum prædicti omnes lectores, scholastici, &c. tantum excusati habendi sunt, quando constat eos non posse jejunare, et sua obire munia. In dubio præsumptio stat pro lege, quum ipsorum labor plerumque non sit gravis.

59. Excusantur ii qui in potestate patris-familias sunt, uxor scilicet, filii famulique, si vescantur cibis ipsi permissis, quoties nequeat vel nolit epulum esuriale iis parare.² Quod si pater-familias acatholicus sit, vel catholicam profiteatur religionem, quin de servando jejunio curet, non ideo excusabuntur qui in ejus sunt potestate, nisi cibos esuriales nequeant habere: alia enim est ratio illius qui ob æquam causam ex Ecclesiæ indulgentia carnibus utitur, cujus privilegium cæteris communicatur absque auctoritatis ecclesiasticæ injuria; alia illius qui hanc nihili faciens, exemplo suo et gratia suos a lege servanda avertere quærit. Constat autem dispensationem alicui concessam, qui pater-familias non sit, v. g. uni ex filiis, non esse rationem, cur cæteri a servanda lege solvantur.³

60. Hæc pleraque ex S. Alphonso de Ligorio collegimus, quæ ostendunt plurimas esse causas jejunii rigorem relaxandi: quibus si adjiciamus peculiariora regionum harum adjuncta, facile patebit paucos ad hanc legem, quæ olim tam arcte servabatur, haberi obligatos. Plerique profecto fideles hisce in provinciis vel colendis agris, vel alii gravi labori vacant; præterquam quod cibi esuriales quibus semel per diem vescens quis satis reficiatur, non facile comparantur; nec succi et nutrimenti plurimum, quæ ex solo Americano nascuntur, dicantur continere. Ideo missionariis cavendum est, ne occasionem peccandi aliquibus ex errore præbeant, veteri disciplinæ arctius inhærendo; quamvis commendare sæpe oporteat fidelibus pœnitentiæ studium, et accuratam legis jejunii observantiam, quatenus pro sua valetudine et laboribus poterunt. Abstinentiæ obligatio tutius inculcatur, quamvis

(1) S. Alph. l. iii. 1041.

(2) S. Pœnit. die 16 Jan. 1834.

(3) *Ibidem*.

et ea relaxanda sit, quoties fideles in iis rerum adjunctis versentur, in quibus vix eam servare possint: præstat enim facultate dispensandi uti, quam eos manifesto discrimini violandi legem objicere. Cæterum etiam dum confessarius hanc impertitur dispensationem, ex facultate sibi concessa, hortari pœnitentes juvat, ut ea parce omnino utantur.¹

(1) Satis feliciter dicit Taylor: "This caution is of use in the injunction of fasting days, and external acts of mortification, which are indeed effects of the law of Christ, but the measures of these laws are to be such as consist with the great end of the laws, that is mercy and internal Religion." Ductor Dubitantium, l. ii. c. iii. p. 436.

CAPUT V.

DE DECIMIS SOLVENDIS.

61. QUINTUM quod diximus Ecclesiæ præceptum decimarum respicit solutionem, pars scilicet decima fructuum terræ et pecudum lege præcipiebatur sacerdotibus danda, prout Deus ipse per Moysen populo Israelitico præceperat.¹ Hæc quidem lex, quum ad mores non spectet, cum ritibus et legibus Judaicis desiit, jure tamen a Christo Domino sacris ministris concesso, ut sustentationis subsidia a fidelibus acciperent: “dignus est enim operarius mercede sua.”² Apostolus id manifesto tradit: “Numquid non habemus potestatem manducandi, et bibendi? . . . Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? . . . Nescitis quoniam qui in sacrario operantur quæ de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.”³ “Jure Evangelico,” inquit Joannes Devoti, “ad alendos clericos nullæ indictæ sunt decimæ; tantum Christiani jubentur Ecclesiæ ministris præbere necessaria ad vitam honeste ac decenter traducendam. Itaque divini quidem juris est quod iis qui altari ministrant, necessaria vitæ subsidia præbeantur; non item, quod ea de causa detur decima pars fructuum terræ, et hoc quidem modo decimæ ad jus Divinum referri non possunt.”⁴

(1) Lev. xxvi. 30.

(2) Luc. x. 7.

(3) 1 Cor. ix. 4.

(4) Inst. can. l. ii. tit. xvi. n. ii. Miro studio Hooker laborat ut probet veteribus persuasum esse decimas jure divino deberi: quod ipse tuetur, gravissime ir eo hallucinatus. Antiquities of the Christian Church, l. v. c. v.

62. Primordiis Ecclesiæ fidelium donis sponte collatis sustentabantur sacerdotes, præsertim iis quæ occasione sacrificii celebrandi afferebantur: demptis enim iis quæ ad Eucharistiæ confectionem necessaria erant, cætera sacerdotibus dabantur; sicut et sacerdotibus Aaronicis pars victimæ plerumque cedebat. *Oblationes* idcirco dicebantur quæ in Dei honorem et sacrorum ministrorum sustentationem, occasione sacrificii, dabantur: quarum rationem præclare explicat Angelicus Doctor. "Sacerdos quodammodo constituitur sequester, et medius inter populum et Deum: sicut de Moyse legitur Deut. V. Et ideo ad eum pertinet divina dogmata et sacramenta exhibere populo. Et iterum ea quæ sunt populi, puta preces et sacrificia et oblationes per eum Domino debent exhiberi, secundum illud Apostoli ad Hebræos V. 'Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.' Et ideo oblationes, quæ a populo Deo exhibentur, ad sacerdotes pertinent, non solum ut eas in suos usus convertant, verum etiam ut fideliter eas dispensent: partim quidem expendendo eas in his quæ pertinent ad cultum divinum: partim vero in his quæ pertinent ad proprium victum: quia qui altari deserviunt, cum altari participant, ut dicitur 1 ad Corinthios ix. Partim etiam in usus pauperum, qui sunt, quantum fieri potest, de rebus Ecclesiæ sustentandi: quia et Dominus in usum pauperum oculos habebat, ut Hieronymus dicit super Matthæum."¹

63. Antiquo huic mori successit decimarum solutio, quam plura injunxerunt concilia, nono præsertim sæculo: inter cætera Turonense anno 813, et Maguntiacum anno 888. Præceptum hoc naturali lege nitebatur, et divina etiam auctoritate, quatenus Christus Dominus jus dedit missis a se discipulis subsidia ad vitam sustentandam accipiendi: præcesserat autem in veteri lege Dei ipsius exemplum jubentis ut decimæ sacerdotibus persolverentur. Audiatur iterum Angelicus Doctor: "Quod enim eis qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat, sicut et his qui communi utilitati invigilant, scilicet principibus. et militibus, et aliis hujusmodi, stipendia victus debentur a populo."² Ætate S. Thomæ non ubique obtinuit lex illa, quapropter eos quorum mores erant diversi, eximit a peccato, laudatque sacros ministros

(1) 2. 2. qu. lxxxvi. art. ii. *Resp.*

(2) 2. 2. qu. lxxxvii. art. i. *Resp.*

jure suo nolentes uti, ne obici forent salutis animarum. “Ministri Ecclesiæ majorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promovendorum quam temporalium colligendorum. Et ideo Apostolus noluit uti potestate sibi a Domino tradita, ut scilicet acciperet stipendia victus ab his quibus Evangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Evangelio Christi. Nec tamen peccabant illi qui ei non subveniebant; alioquin Apostolus eos corrigere non omisisset. Et similiter laudabiliter ministri Ecclesiæ decimas Ecclesiæ non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possent, propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. Nec tamen sunt in statu damnationis qui non solvunt in locis illis, in quibus Ecclesia non petit: nisi forte propter obstinationem animi, habentes voluntatem non solvendi, etiam si ab eis peterent.”¹

64. Jam vero plerisque in locis decimæ sublatae sunt, et clerus sustentatur vel beneficiorum redditibus, vel pensione annua e fisco, vel fidelium incerta largitate. In his provinciis mos late obtinet ut scamna locentur in ecclesia, vel vendantur, certa pensione annua solvenda, et ex redditibus pensio adsignetur sacerdotibus: unde gravissima incommoda et mala orta esse nemo ignorat. Quæ sponte dant fideles occasione baptismi et matrimonii etiam in sacerdotum sustentationem cedunt, et quæ alio quovis pacto donant. Id autem omnibus persuasum esse debet oportere ut singuli pro sua parte aliquid conferant, ne sustentatione necessaria indigeant sacerdotes: sed quamdiu nulla certa lege onus injungitur et definitur, non audeamus peccati mortalis damnare eum qui omittit æquam portionem conferre, quoties non est periculum ne sacerdotes ea de causa indigeant, vel alii fideles nimis graventur. Illi autem qui præ avaritia recusant quid dare, in iis quæ indicavimus adjunctis, videntur graviter rei, et indigni venia sacramentali: violant enim legem Christi Domini de ministrorum Evangelii sustentatione, et se aliosque objiciunt discrimini salutis.

(1) 2. 2. q. lxxxvii. art. i. ad quintum.

ANIMADVERSIO.

65. Quæ Ecclesiæ extant vetita de nuptiarum celebratione impedimenta dicuntur impedientia, vel dirimentia. Qui iis posthabitis nuptias inire attentant, violatæ legis rei sunt; nec quidquam prorsus efficiunt, si impedimentum dirimens obstet. Vetat Ecclesia ne nuptiæ solemniter celebrentur ab Adventu usque ad diem epiphaniæ exclusive, et a die cinerum usque ad octavam paschæ inclusive; intelliguntur autem solemnitates nuptiarum vetari, nempe nuptiis benedicere, Missa pro sponso et sponsa celebrata, nuptialia celebrare convivia, sponsam domum traducere pompa quadam et festivitate: "matrimonium autem omni tempore contrahi potest."¹ Ideo ni obstet specialis consuetudo, possunt semper celebrari nuptiæ ritu in Rituali Romano præscripto: nec illicitum est sponsam domum traducere sine pompa, vel matrimonium consummare, quamvis hoc minus congruat. Sed de his opportunior erit locus dicendi in tractatu de Matrimonio.

(1) Rit. Rom.

APPENDIX I.

JURIS ECCLESIASTICI FONTES.

1. **JUS CANONICUM** quod ecclesiasticum, sacrum, et pontificium etiam vocatur, illud est quod ab Ecclesiæ præsulibus prodiit in fidei regimen. Constat præcipue pontificum summorum et conciliorum decretis quæ canones vocantur. In juris canonici corpus relatæ sunt etiam divinæ Scripturæ sententiæ, quæ, quum per se sint fidei morumque regulæ, nullam ab Ecclesiæ præsulibus mutuantur auctoritatem, sed ab iis proponuntur et promulgantur. Etiam ex operibus patrum plura desumpta sunt testimonia, et in corpus juris inserta, quæ legum vim obtinent, tantum consuetudine ea firmante, vel Ecclesiæ accedente sanctione. Leges autem civiles, si quandoque in jure canonico adhibeantur, totam suam vim, quoad Ecclesiæ res vel judicia, ab ipsa Ecclesiæ auctoritate obtinent.

2. Antiquissima, quæ nobis innotescit, *canonum collectio Apostolorum* dicta, una cum libris octo *Apostolicarum Constitutionum*, tertio vel quarto Ecclesiæ sæculo censetur prodiisse, ex Orientalium Synodorum decretis præcipue conflata, juxta disciplinam quæ in Oriente per tria priora sæcula viguerat; nonnullis tamen erroribus admixtis. Altera canonum collectio postea edita est, Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses atque Gangrenses complectens canones, quibus alii deinceps adjecti sunt. Justiniano imperii habenas tenente, Joannes Scholasticus, ex schola scilicet seu ordine advocatorum, deinceps Patriarcha Constantinopolitanus, novam amplioremque collectionem canonum ad Chalcedonense usque concilium, additis etiam 68 canonibus ex epistolis S. Basilii, adornavit. Post Trullanam Synodum aucta est illa Græcorum collectio, et pluries postea in lucem emissa, variis emendationibus adhibitis; qua in re Photius, schismatis auctor, plurimam posuit operam. Apud Latinos nulli agniti sunt conciliorum canones ante Nicænos; Græcorum tamen codex Latine privato studio redditus est. Duplex memoratur ante

Dionysii exigui tempora ejus versio, *Isidoriana* scilicet, quam postea Isidorus ex vetusta Hispanica collectione vulgavit, et *prisca*, quæ Isidoriana aliquamdiu posterior videtur. Dionysius Exiguus, a monachatu ita forsan appellatus, quinto exeunte sæculo, novam edidit versionem, et collectionem canonum, Sardensibus et Africanis una cum cæteris editis. Addidit etiam pontificum epistolas decretales quas in Romano archivio reperit, a Siricio usque ad Anastasium II. Accesserunt Dionysianæ versioni aliæ posteriorum pontificum epistolæ, unde *Hadriana collectio* vocata est, quum Hadrianus I. eam sic auctam Carolo M. octavo exeunte sæculo, tradiderit, tamquam *codicem canonum*. Celebrantur etiam collectiones Africanæ, Gallicanæ, Hispanicæ, quæ doctorum virorum ecclesiasticæ disciplinæ studiosorum opera sæpius prodierunt. Celebrior inter Hispanicas S. Isidorum Hispalensem auctorem, vel saltem probatorem, habere videtur.

3. Post annum 829 edita est *Isidori Mercatoris, vel peccatoris*, collectio, Maguntinæ, ut videtur. Quis fuerit ejus auctor, quodve ei consilium, in controversia est. Id verò extra omnem dubitationis aleam est positum, plurima falsa eum veris admiscuisse, et ementitis nominibus publicasse, legum, patrumque verbis sæpius vetustis pontificibus tributis. Supposititiæ igitur agnoscuntur epistolæ pontificum a Clemente usque ad Sylvestrum; imo cæteræ omnes usque ad Siricium, exceptis S. Damasi ad Paulinum litteris. Isidoriana collectio, quæ nihil præseferbat fidei disciplinæque tunc vigenti admodum adversum, paulatim invaluit in sæculis artis criticæ haud studiosis. Hincmarus Rhemensis eas quidem respuit eo quod in *Codice Canonum* non reperirentur; qua de causa rejectæ sunt etiam ab episcopis Gallicanis in causa Rothadi episcopi Suessionensis. Sensim tamen sine sensu in plerisque regionibus adhibitæ sunt, adeo ut sæculo medio XI., Leo IX. eas citaverit.

4. Plures deinceps secutæ sunt collectiones, donec medio sæculo XII. *Gratianus*, monachus Benedictinus, Clusii natus, *Concordiam discordantium Canonum*, quæ nunc vocatur *Decretum* (voce minus propria,) ediderit. "Tota hæc collectio," inquit Devoti, "conflata est ex locis S. Scripturæ, ex canonibus quinquaginta Apostolorum, ex conciliis generalibus ac particularibus, ex decretalibus Summorum Pontificum, ex operibus patrum, scriptorumque ecclesiasticorum, ex libris Juris civilis Romanorum, capitularibus

regum Francorum, et rescriptis aliquot imperatorum, denique ex historia ecclesiastica, gestisque summorum pontificum plerumque desumptis ex Libro Diurno, atque ex Ordine Romano.”¹

5. “Dividitur² autem universa collectio,” pergit Devoti, “in partes tres, quarum prima de personis præsertim agit, continetque *distinctiones* 101, et sub qualibet distinctione plures canones, qui ita allegantur ex. gr. *Can. omnes dist. 1*, hoc est canon qui incipit *omnes dist. 1*, vel per numerum Canonis, ex. gr. *Can. 3, dist. 1*. Pars altera judicia persequitur, eaque divisa est in *causas*, quæ sunt numero 36; sub unaquaque causa sunt plures *quæstiones*, et sub quæstionibus plures *canones*. In altera hac parte laudantur *numerus, causæ, et quæstiones*, præter numerum vel priora canonis verba, ex. gr. *Can. 2. Caus. 8. quæst. 2.* vel *Can. Nemo. Caus. 11. quæst. 3.* Extat in hac decreti parte, hoc est in Causa 33. quæstione 3. tractatus de *pænitentia* in septem distinctiones tributus. Cum indicantur canones, qui in hoc tractatu referuntur, ne cum canonibus primæ partis confundantur (eodem enim modo procedunt) additur de *pænitentia*, et causa nequaquam citatur, ex. gr. *Can. quem pænitet, dist. 1. de pænit.* Denique ad res pertinet tertia pars, eaque complectitur *tractatum de consecratione* tributum in *quinque distinctiones*, quarum canones laudantur hoc modo *Can. tabernaculum dist. 1. de consecr. vel Can. 1. de consecr. dist. 1.* Additur de *Consecratione*, ut noscatur canonem ad partem tertiam pertinere.”

6. Quum Gratianus Isidori decretalibus usus sit, plurima supposititia suæ collectioni inseruit, quæ nullam inde derivant auctoritatem; omnia enim quæ ea continentur eam vim tantummodo habent quæ eis tribueretur si extra *decretum* vagarentur; hoc scilicet, etsi probante Eugenio III. publice explicatum, et Gregorio XIII. jubente, emendatius editum sit, solemnī tamen sanctione pontificia numquam est munitum.

7. Post Gratianum prodierunt quinque aliæ collectiones decretorum pontificiorum, quæ Gregorii IX. jussu, opera S. Raymundi de Pennafort, anno 1234, in *quinque Decretalium libros* sunt distributa. Complectitur autem collectio hæc epistolas decretales pontificum a S. Gregorio I. usque ad Gregorium IX. et plura alia ex Scrip-

(1) Juris Canonici Instit. l. i. c. vi.

(2) Ibidem.

tura, canonibus Apostolorum, et conciliorum decretis desumpta. Dividitur in libros juxta ordinem versiculo hoc indicatum

Judex, Judicium, Clerus, Connubia, Crimen.

“Libri autem,” inquit Devoti, “divisi sunt in plures titulos, quorum singuli plura capita continent; et capita cum longiora sunt, in paragraphos tribuuntur. Ex his quoties aliquid laudandum est, indicantur prima verba capituli, vel numerus, vel utrumque simul, hoc modo ex gr. *Cap. Venerabilem de elect. Cap. 1. de Cleric. conjug. Cap. tua nos 26 de Sponsal. et matrim.*”

8. *Librum sextum Decretalium*, qui tamen et ipse in quinque libros distribuitur, edidit, decimo quarto ineunte sæculo, Bonifacius VIII. Continet canones duorum conciliorum generalium Lugdunensium, et Decretales pontificum, quæ post Gregorianam collectionem fuerant evulgatæ.¹ Ejus capita cum laudantur, in fine additur *in sexto*, ex gr. *Cap. Concertationi de appellat. in 6.*

9. *Clementinæ Decretales* in 5 etiam libros dividuntur. Prodierrunt Clementis V. jussu, qui suas constitutiones in concilio Viennensi editas, corpori juris adjici voluit, quod Joannes XXII. perfecit. Sic solent citari: *Clement, si furiosi de religio: domib.*

10. *Extravagantes* dicuntur pontificiæ illæ constitutiones, quæ, post laudatos Decretalium libros emissæ, extra corpus juris vagari videbantur. Joannis XXII. viginti epistolæ decretales uno libro comprehenduntur. Ita citantur. *Extrav. cum inter nonnullos Joan. XXII. de verb signif. Extravagantes Communes*, aliorum pontificum ab Urbano IV. ad Sixtum IV. decreta exhibent in 5 libros distributa. Sic laudantur: *Extrav. rem non novam de dol. et contumac. inter commun.*

11. *Corpus igitur juris ex Gratiani Decreto, Decretalibus, Libro sexto Decretalium, Clementinis, et Extravagantibus* conflatur. *Jus novum* dicitur, ut ab antiquis collectionibus distinguatur. *Jus vero novissimum* ea amplectitur quæ postea sunt edita pontificum seu conciliorum decreta: inter quæ Tridentina insignem occupant locum. *Bullas* pontificias, seu decreta sigillo, vel plumbeo, vel aureo, munitas, quæ *consistoriales* dicuntur, quoties in consistorio, ex Cardinalium consilio, expediuntur, in unum collegit, et in 14 tomos distribuit Hieronymus Mainardus, *Bullario magno* edito.

(1) Instit. Juris. Canonici l. i. c. vi. n. 87.

Bullarium etiam Benedicti XIV. Bullas ejus, in 4 tomos distributas, exhibet. *Regulæ Cancellariæ Apostolicæ*, Joannis XXII. jussu, scripto consignatæ sunt, quæ solent a quolibet Pontifice renovari, et deinceps vim legis obtinere iis in rebus in quibus per pacta seu *concordata* iis non est derogatum.¹ Quæ adhuc extra corpus juris videntur Pontificum constitutiones plenam vim habent, nisi consuetudine fuerit eis derogatum.²

12. *Congregationes*, seu cœtus Cardinalium emittere solent declarationes et decreta ex Pontificis auctoritate, eoque plerumque consulto, quæ proinde vim plenam obtinent in singulis casibus de quibus agitur. Utrum autem vim legis universalis habeant controversatur, quamvis dubitari nequeat ea magni esse momenti. Constat vim legis iis tribuendam, si Pontifex specialiter jusserit ea servanda ubique. Si usu recepta fuerint, satis omnes obligant.

13. Congregationi de Propaganda Fide concesserunt Pontifices, ut ejus decreta Cardinalis præfecti subscriptione munita, vim Constitutionis Apostolicæ habeant. Cardinalibus autem viginti sex constat, quibus negotia ecclesiastica in locis missionum tractanda conceduntur.

14. Corpus juris, decreto Gratiani excepto, de quo supra egimus, ubique vim obtinet, nisi obstet consuetudo, vel nova constitutio Pontificia.

(1) Nuperrime de regulis his veteres refricavit calumnias Fullerus, quem egregie refutavit episcopus Carolopolitanus.

(2) C. si Romanorum. Dist. xix. vide S. Alphonsum l. i. n. 104.

APPENDIX II.

DE REGULARIUM PRIVILEGIIS.

1. INTER præcipua Regularium privilegia recensetur immunitas ab episcoporum jurisdictione: ut scilicet in unum corpus facilius coalescerent, et conjuncti suo vacarent vitæ instituto, summi Pontifices eos Superioribus juxta quodlibet institutum electis, vel designatis, voluerunt tantum subjacere.¹ Hinc "prælati Regulares habent in suis ecclesiis et monasteriis jurisdictionem quasi episcopalem, tam quoad personas, quam quoad loca."² Si dubitatio de aliquo privilegio oriatur, pontificia dirimenda est auctoritate, uti declaravit Clemens IV. Exemptioni cedere nequit quisquam, uti liquet ex jure canonico: "cum etsi sponte volueris, de jure tamen nequiveris, sine licentia Romani Pontificis, renuntiare privilegiis vel indulgentiis libertatis, quæ monasterium illud indicant ad jus et proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere."³ Exemptione gaudent etiam *Tertiarii*, et famuli Regularium, "qui actu serviunt et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt."⁴

2. Monasteria in quibus duodecim Religiosi actu non habitant, exemptione non gaudent, juxta S. Congregationis Concilii decretum: "Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni talia monasteria erecta absque eo quod duodecim fratres in

(1) De Ordinum Religiosorum immunitate opportune animadvertit Morena "Fué preciso eximirlos en gran parte de la autoridad de los obispos, y subordinada cada uno de los cuerpos que ellas forman à un superior *general*, que bajo el su premo Pastor de toda la Iglesia, lo animase todo, lo gobernase, y le diese un impulso uniforme àcia el fin intentado por los santos Fundadores." *Ensayo sobre la supremacia del Papa*, Lima, 1831.

(2) S. Alph. l. i. app. ii. n. 9.

(3) Cap. *Cum tempore*, de arbitris.

(4) Trid. Sess. xxiv. de Ref. c. xi.

eis valeant habitare, et de facto habitent, subjecta esse intelliguntur.” Decretum hoc confirmarunt Gregorius XV. Urbanus VIII. et Innocentius XII.¹

3. Monasteria erigenda non sunt “ sine episcopi, in cujus diocesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.”² Pontificis etiam licentiam requiri ex antiquo jure constat, quod Innocentius X. Constitutione *Instaurandæ*, adhuc servandum decrevit.³ Ea etiam requiritur ad monasteria jam ædificata derelinquenda. En Bonifacii VIII. hac de re decretum: “ Cum ex eo quod prædicatores minores, et Religiosi alii Mendicantes, in civitatibus, castris, villis, aut aliis locis ad habitandum, domos vel loca de novo suscipiunt, seu olim suscepta dimitunt, se ibidem ad alia transferentes, diversa scandala quandoque proveniant, et frequentes clamores ad Sedem Apostolicam perferantur: Nos super hoc providere volentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis, vel aliqui de prædictis, quibuscumque super hoc privilegiis muniti existant, (quæ ipsis, contra tenorem Constitutionis præsentis nullatenus volumus suffragari,) in aliqua civitate, castro, villa, seu loco quocumque ad habitandum domos, vel ea venditionis, permutationis, donationis, aut cujusvis alienationis titulo quocumque in alios transferre præsumant, absque Sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem: si secus egerint, irritum decernentes.”⁴ “ Monasteria concessa ab Universitatibus,” ait S. Alphonsus, “ cum derelinquuntur, in manus Ordinarii derelinqui debent, at si propriis redditibus, et eleemosynis ædificata fuerint, remanent in dominio Religiosorum, ut de iis possint libere disponere.”⁵ In hac autem regione, quum domus Religiosæ et ecclesiæ plerumque ædificentur ære collatio, fidelibus sacerdotum ministerium sibi comparare, potiusquam ordinis augmentum, exoptantibus, injustum videtur agros vel domos vendere, ad æs alienum solvendum, vel ea sibi retinere, cura animarum derelicta.

4. Ecclesiæ quibus animarum cura est adnexa, etsi monasteriis adjaceant, et Regulares parochos habeant, immunitatis ab episcopi

(1) Vide Ben. xiv. de Syn. l. iii. c. ii. n. 1.

(2) Trid. Sess. xv. c. iii. de Sed.

(3) Vide Ben. xiv. de Syn. Diœc. l. ix. cap. ¶ n. 9.

(4) Cap. unic. de excess. præl. in 6.

(5) App. ii. Priv. c. iv. n. 82.

jurisdictione privilegio non gaudent in iis quæ curam hujusmodi respiciunt; nam juxta Bullam Benedicti XIV. die 6 Novembris, 1744, editam, “Parochi Regulares omnimodo subsunt jurisdictioni, et correctioni, et visitationi episcopi in iis quæ concernunt curam animarum, et proprios mores. 2. quoad visitationem localem, possunt visitari altare, in quo SS. Eucharistiæ sacramentum asservatur, sacrum tabernaculum, fons baptismalis, confessionale in quo residet parochus, pulpitem e quo parochus concionatur, sacrarium ad inspiciendam sacram suppellectilem, sepulchrum parochianorum, eorumque cœmeterium, turris campanaria si adsint ibi campanæ parochiales, omnia sacra vasa. 3. quoad personalem, debet scrutari vitam ac mores curati, quatenus extra claustrum prodierint . . . an ad synodum vocatus iverit, an conferentias casuum conscientiæ habeat frequenter, an onera curæ adimpleverit, an Missam pro populo applicaverit, an festis diebus concionatus fuerit, &c. an vacet confessionibus audientis, an ægrotantibus adsistentiam præstiterit, an pueros ante confirmationem et communionem instruxerit, an de matrimonii impedimentis inquisiverit, et an sponsi in rebus fidei sint edocti, et an recte ordinatos habeat libros parochiales. 4. quod licet Superiores Regulares non possint deputare aliquem ad curam sine episcopi approbatione, possunt tamen eum remove illo inscio; et ita pariter episcopus potest cura illum privare sine consensu superioris, si id justa causa expostulet, &c.” Ita S. Alphonsus de Ligorio.¹ Monasteria etiam exemptarum quoad clausuram subjacent episcopo: “Tam Sæculares, quam Regulares nullis privilegiis tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram monialium, etiam regularibus subjectarum, ab episcopo tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato puniri et corrigi valeant.” Ita Gregorius XV. in Bulla *Inscrutabilis*, anno 1622.

5. Regulares omnes æque ac sæculares episcoporum jussa circa Missarum celebrationem tenentur exequi: episcopis quippe præcepit Tridentinum Concilium ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi” et “ut non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi & sacrosancta synodo potestate, ac etiam ut

(1) L. i. app. ii. de Priv. lxxix.

delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuunt, atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant; non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque.”¹

6. Tenentur etiam ad servandum festa ab episcopo statuta; et episcopi prohibitionem ne audiant confessiones in propriis ædibus, sive cellis, juxta Decretum Sacræ Congregationis, anno 1619, 15 Septembris; vel ne mulierum aut puellarum confessiones extra confessionale excipiant: quod omnibus sacerdotibus vetare poterit episcopus, etiam sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus, ex Decreto Sacræ Congregationis, 18 Decembris, 1694. Debent etiam servare interdictum impositum ab episcopo, si servetur ab ecclesia matrice. Cæteræ episcopi, vel concilii provincialis, leges pluribus non videntur adstringere regulares,² nisi forsâ scandalum immineat, vel ipsi munus exerceant ab episcopo pendens: v: g: parochi, confessoris, concionatoris.³

7. “Ecclesiarum Prælati,” inquit concilium Tridentinum, “ad corrigendum subditorum excessum prudenter ac diligenter intendant, et nemo sæcularis clericus, cujusvis personalis, vel regularis, extra monasterium degens, etiam sui ordinis privilegii prætextu, tutus censeatur, quominus, si deliquerit, ab ordinario loci, tamquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, et corrigi valeat.”⁴ Extra monasterium degere non censetur is qui ad breve tempus extra claustrium ex Superioris licentia moratur, concionandi, confessiones excipiendi, vel alia ex causa legitima. Sunt etiam qui opinantur intra monasterium censi qui ad longum tempus extra versatur, prævia Superioris licentia; et potestatem in eos concessam putant, qui, nulla habita licentia, extra claustra diu vagantur, vel qui ad tempus longissimum procul a Superiore degunt.⁵ Hi qui in his provinciis parochi vel missionarii funguntur muneribus procul a claustris, et nulla fere Superiorum agnita auctoritate, episcoporum correctioni videntur plane subijci. Qui in claustris morantur, vel extra versantur ad tempus ex Superiorum

(1) Trid. Sess. xxii. Decret. *de observ. et evit. in cel. Miss.* Vide etiam Ben. xiv. Syn. l. ix c. xvi.

(2) Cap. i. *de priv.* in 6.

(3) S. Alph. app. ii. lxxviii.

(4) Sess. vi. cap. iii. de Ref.

(5) S. Alph. app. ii. n. lxxvii.

licentia, intra claustra censi possunt.¹ De hujusmodi decreverunt Tridentini patres: "Regularis non subditus episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, episcopo instante, a suo Superiore intra tempus ab episcopo præfigendum severe puniatur, ac de punitione episcopum certiosem faciat; sin minus, a suo Superiore officio privetur, et delinquens ab episcopo puniri possit."² Ne hujus decreti vis eludatur, delinquente a Superiore extra Diocesim misso, statuit Clemens VIII.,³ eum revocandum a Superiore, ut puniatur, instante episcopo, vel si neglexerit Superior, ab episcopo loci in quo moratur puniendum. Adnotant Salmanticenses theologi cum aliis, apud S. Alphonsum,⁴ decretum intelligendum de delicto publice notorio, et a subditis, non autem a Superiore, patrato, nam Superiores in odiosis nomine regularium non veniunt. "Episcopus" adjungit S. Alphonsus, "licet capere possit summariam informationem, ut eam ad Superiorem transferat, non potest tamen juridicum efformare processum adversus reum."

8. Regulares litteras dimissoriales ad ordines recipiendos a suis superioribus recipere debent, ut ordines iis conferantur ab episcopo in cujus diocesi versantur, prævio debito examine. Quod si absit ipse, vel ordinationem habiturus non sit, tempore per leges ecclesiasticas statuto, licet eos ad alium episcopum mittere ordinandos, habita tamen attestazione authentica vel Vicarii Generalis, vel Secretarii episcopi, qua constet eum abesse, vel ordines tempore statuto non collaturum.⁵

9. De prædicatione hæc statuit Tridentinum concilium, "Regulares vero cujuscumque ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus, et scientia examinati, et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in ecclesiis suorum ordinum, prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram episcopis præsentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In ecclesiis verò, quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum etiam episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullo modo prædicare

(1) Cap. *Ex rescripto*, de jurejurando. (2) Sess. xxv. cap. xiv. de Ref.

(3) In Bulla: *suscepti oneris*, anno 1596, edita.

(4) App. ii. n. lxxxiii.

(5) Vide Bened. XIV. Bullam *Impositi*, an. 1747.

possint: ipsam autem licentiam gratis episcopi concedant. Si vero (quod absit) prædicator errores, aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in monasterio sui, vel alterius ordinis prædicet, episcopus ei prædicationem interdicit. Quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiamsi prædicator ipse generali, vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet; quo casu episcopus autoritate Apostolica, et tamquam Sedis Apostolicæ delegatus procedat.”¹ “Nullus autem sæcularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, prædicare præsumat.”² Si denegata fuerit ab episcopo benedictio, poterit regularis in ecclesiis sui ordinis prædicare, nisi episcopus contradixerit. Per plateas, vel alibi extra ecclesias potest etiam regularis, benedictione haud petita, prædicare; prædicandi autem facultas potest cuilibet tonsurato committi.³ Una aut altera vice in alienis ecclesiis, rogante parcho, prædicare absque episcopi licentia, si longe absit, et regularis in itinere versetur, licet ex privilegio Gregorii XIII. Contradicente autem episcopo, etiam post licentiam prius concessam, non licet regularibus in alienis Ecclesiis prædicare; imo nec in suis, si episcopus ipse prædicet, vel solemniter coram se prædicari faciat.⁴

(1) Sess. v. cap. ii. de. Ref.

(2) Sess. xxiv. cap. iv. de. Ref.

(3) S. Alph. l. i. app. ii. n. cxxiv.

(4) Vide Bullam Gregorii XV. *Inscrutabili*.

TRACTATUS V.

DE JURE GENTIUM.

CAPUT I.

DE JURIS GENTIUM ORIGINE.

1. **HOMINUM** inter se societas ex instinctu quodam naturæ, Deo procul dubio auctore, inita est. Ex iisdem orti parentibus unam familiam olim constituebant; et qui diluvio erant superstites, humani generis novi veluti auctores, posteros sanguine cohærentes reliquerunt; qui tamen numero aucti, et in varias regiones dispersi inter se conjungebantur, vel a se invicem dividebantur, pro rerum opportunitate et vicissitudine. Prima morum principia omnibus veluti insita regulam legemque agendi cuique præbebant; sed accesserunt jussa quædam eorum quibus summa imperii concredebatur, ut multitudo in officio contineretur. Multitudo autem quæ in unum corpus coaluerat gens dicitur, scilicet quæ communis regiminis vinculo connectitur, et quæ ab alieno imperio non pendet. Inter gentes fluviiis montibusque a se invicem separatas fovebatur nonnumquam officiorum vicissitudo quæ iisdem naturæ legibus regebatur, additis quæ ipsa gentium conditio postulabat, ut omnia sine alicujus injuria gererentur. Inde jus gentium ortum est, quod ipsa naturæ lege nititur, quatenus hominum multitudini convenit.

2. *Primævum* gentium jus ea complectitur principia, quæ, natura ipsa dictante, omnibus gentibus sunt communia. *Secundarium* jus gentium iis constat, quæ communi veluti consensu ex æquitate

statuta sunt. Aliis placuit *necessarium* gentium jus illud dicere quod ex lege naturæ genti accommodata recta derivatur, adeo ut gentium inter se commercium eo regi prorsus debeat. Huc pertinet quod gens genti injuriam non inferat; et quod fides semel data sancte sit servanda. *Voluntarium* jus gentium a Vattelio dicitur quod ex arbitrio cujuslibet gentis pendet ut servetur, quamvis violari nequeat, illæsa justitia. Huc refert mercium commutationem.¹ Nobis hæc juris voluntarii notio non arridet, utpote quæ obscura et difficultatibus implicata videtur. Placet dicere jus gentium voluntarium, ea principia agendi quæ erga se invicem gentes pleræque excultæ statuerunt servanda, ex æquitatis sensu: sic quæ ad commercium liberum et ad legatos excipiendos pertinent, ad jus voluntarium referantur. Ex gentium *consuetudine* colliguntur plurima:² alia ex *pactis* scriptis derivantur,³ adeo ut duplex veluti genus juris voluntarii inde exurgat: pacta autem definierunt et explicuerunt juris necessarii et voluntarii fere omnia principia, quæ antea ex juris peritorum placitis colligebantur.

3. Jus quod dicunt *internationale* omnia complectitur, quæ ex jure naturæ gentibus conveniente, vel ex gentium consuetudine, vel ex pactis specialibus derivantur.⁴ Universæ prorsus gentes jure adstringuntur naturæ, quatenus hominibus congregatis convenit: et legibus illis commercii inter se, quas gentes excultæ diuturna con-

(1) "The Law of Nations" by De Vattel, l. i. Prelim. § 21. Auctor hic fama celebratur, sæd immerito; nam uti animadvertit Kentius: "he is very deficient in philosophical precision. His topics are loosely, and often tediously and diffusely discussed, and he is not sufficiently supported by the authority of precedents, which constitute the foundation of the positive law of nations." Kent's Comm. Vol. i. n. 18. Addam eum miscere ea quæ ad civile regimen et internam politiam pertinent cum gentium de quo agit jure.

(2) "Certain maxims and customs consecrated by long use, and observed by nations between each other as a kind of law, form the *customary law of nations*." De Vattel, Ibidem, § 25.

(3) "The several engagements into which nations may enter, produce a new kind of the law of nations called *conventional law of treaties*." Ibidem, n. 24.

(4) "The law of nations is a complex system, composed of various ingredients. It consists of general principles of right and justice, equally suitable to the government of individuals in a state of natural equality, and to the relation and conduct of nations; of a collection of usages and customs, the growth of civilization and commerce, and of a code of conventional or positive law." Kent's Comm. Vol. i. lect. i.

suetudine comprobarunt: recte enim ait Justinianus: "jus autem gentium omni humano generi commune est, nam usu exigente, et humanis necessitatibus, gentes humanæ jura quædam sibi constituerunt."¹ Quæ autem pactis statuuntur leges commercii, gentes non afficiunt quæ in eas non consenserint. Tota vis juris gentium ex lege naturæ emanat, nam hac præcipiuntur necessaria principia; commendantur quæ æqua sunt et ex voluntate pendent, et fides pactorum statuitur. Igitur theologi est eatenus jus gentium inculcare.

(1) *Jus autem*, Instit. de jure natur. gent. et civ.

CAPUT II.

DE RERUM DIVISIONE.

4. **PRINCIPIO** omnia erant communia, totus quippe terrarum orbis generi humano in possessionem datus est: aucto tamen hominum numero unusquisque sibi sumebat eam portionem quam poterat occupare, et in qua colenda et custodienda suam ponebat operam. Hinc contigit rerum divisio, quæ ad jus gentium pertinet, quatenus inter hominum multitudines, quæ in unum congregatæ sunt, singulæ in regionibus sibi sumptis, convenit eas regiones gentis cujuslibet esse proprias pro priori occupationis jure; nec alteri genti licere regionem jam occupatam invadere, possessoribus ejectis. Igitur contra jus gentium peccat natio quæ ditionis amplioris libidine gentem aliam lacessit, nulla injuria provocata, eamque exturbat pellitque e regione quam occupabat: sicut peccant singuli contra jus gentium et leges municipales, qui aliorum res vel possessiones usurpant. Quod si contigerit gentem e suis ejici finibus, jus habet alias exquirendi sedes, ubi incolæ pauci sunt numero, vel amplissima est regio: et contra legem naturæ peccaret gens, quæ aliis denegaret refugium quod absque sui detrimento posset præbere: nec tamen tenetur illos unum in locum congregari sinere cum suæ libertatis discrimine.

5. Si gens regionem alienam injuste invaserit, et per longissimum temporis spatium retinuerit, populo sibi obtemperante, videtur vitium tituli tandem aliquando sanatum habendum, ne cum populorum calamitate motus turbæque excitentur. *Usucapionis* jus potest gentibus convenire, quo *præscribitur* contra adversos;¹ sed populi oppressi patientia non est facile in argumentum juris agniti assumenda. *Præ-*

(1) Vide De Vattel. *Law of Nations*, lii. c. xi. § 140. "*Usucapion* is the acquisition of domain founded on a long possession uninterrupted and undisputed. . . . *Prescription* is the exclusion of all pretensions to a right founded on the length of time during which it has been neglected."

scriptio autem certe valet post longissimum temporis lapsum, si potestas usurpata in populorum utilitatem exerceatur.

6. Sedium occupatio ad jus gentium refertur; quum enim generi humano totus terrarum orbis in habitationem divinitus datus sit; licet genti numerosiori novas exquirere regiones in quibus vitam degant. Nemo quidem est qui terras incolis vacuas primò occupanti sic cedere neget: sed et regiones vastæ quas incolunt homines numero pauci, et sylvestres, seu barbari, possunt occupari in sui utilitatem,¹ et ad humani generis decus, ut homines pecudum fere instar viventes² ad mores humanos traducantur; ut nihil dicamus de Evangelii notitia communicanda, quæ Christi cultoribus imprimis æstimanda est.³ Consueverunt autem qui novam detegunt regionem, ædificia turresque munitas in ea extruere, et aliquos ibi constituere, qui gentis nomine occupent:⁴ nonnunquam tamen satis habent vexillum, seu monumentum quodcumque, in ea erigere.

(1) Consentit Vattelius juris gentium scriptor nimium laudatus: "Their removing their habitations through these immense regions, cannot be taken for a true and legal possession; and the people of Europe, too closely pent up, finding land of which these nations are in no particular want, and of which they make no actual and constant use, may lawfully possess it, and establish colonies there." *The Law of Nations*, by M. De Vattel. l. i. c. xviii. § 208.

(2) Robertson de viatoribus qui homines sylvestres inviserunt dicit: "They have been astonished and humbled with observing how nearly man in this condition approaches to the brute creation." *History of America*, l. iv. § ii.

(3) Hæc adsignatur præcipua ratio in celebri Bulla Alexandri VI. quæ incipit: *Inter cætera*. Vis rationis ex hominis virtute non pendet.

(4) In Bulla prælaudata dicitur: "præfatus Christophorus (*Columbus*) in una ex principalibus insulis prædictis jam unam turrinam satis munitam, in qua certos Christianos, qui secum inerant, in custodiam, et ut alias insulas et terras firmas, remotas et incognitas, inquirerent, posuit, construi et ædificari fecit." Quum hæc fuerit jure gentium ratio terras occupandi, liquet Pontificem agnoscere, sancire et probare jus regis Hispaniarum: quod autem dicit: "de nostra mera liberalitate, et ex certa scientia, et de Apostolicæ potestatis plenitudine omnes insulas et terras firmas, inventas et inveniendas . . . auctoritate Omnipotentis Dei Nobis in Beato Petro concessa . . . in perpetuum tenore præsentium donamus, concedimus et assignamus;" intelligendum est de amplissima sanctione qua ab aliorum conatibus jus illud defendatur: notum quippe est verba illa adhiberi juxta stylum curiæ ut latissimam explicationem excipiat decretum. Vide quæ supra diximus *tract. de legibus eccl. c. vii. n. 64*. Equidem constat regem Hispaniensem pontificiam sanctionem quæsisisse ad præcavenda regis Lusitani incepta, cui jam Nicolaus V. anno 1454, jus in Guineam vindicaverat: eo quippe ævo pontifex agnoscebatur jurium arbiter. Cæterum regi Hispaniensi

persuasum erat jus suum per se valere. "His ambassadors," inquit Irvingus, "were instructed to state that, in the opinion of many learned men, these newly discovered lands having been taken possession of by the Catholic sovereigns, their title to the same did not require the papal sanction." *Life and Writings of Christopher Columbus*, by Washington Irving, l. v. c. viii. p. 186. Temporibus illorum ignaros se produnt qui rem totam ad pontificiam usurpationem, et principum superstitionem referunt, quum potius consilium fuerit regi Hispaniensi bellorum periculum tollere, solemniter impetrata juris sui agnitione: qua de causa et limitem petiit statuendum quo uterque rex in terris novis quærendis dirigeretur, absque alterius injuria. Fallitur Irvingus qui altera die Bullam hac de re editam putat, quum eadem sit qua possessio agnoscitur: sed rationem optime exponit qua nititur decretum: "To prevent any conflicting claims between the two powers in the wide range of their discoveries, another bull was issued on the following day, containing the famous line of demarcation." p. 187. Comes De Maistre merito admiratur hoc pontificii juris exercitium, quo ne dissidia, bellaque inter Lusitanos Hispanosque novas quærentes terras orientur, cavebatur: "C'était sans doute un spectacle magnifique que celui des deux nations consentant à soumettre leurs dissensions actuelles, et même leurs dissensions possibles au jugement désintéressé du père commun de tous les fidèles, à mettre pour toujours l'arbitrage le plus imposant à la place des guerres interminables." Du Pape l. ii. ch. xiv.

CAPUT III.

DE GENTIUM JURIBUS.

7. GENS quælibet proprium habens imperium, par alteri censetur, paribusque gaudet juribus, licet limitibus, populo, viribusque minor sit. Suos eligit magistratus et regiminis quam vult formam habet; nec alteri cuicumque genti vel principi jus est alienæ gentis rebus domesticis sese immiscendi, vel de iis rationem postulandi. Sic quilibet ex fœderatis statibus Americæ gentis instar est, parique gaudet jure, quapropter duos mittit ad Senatum supremum, qui communia curent negotia, quamvis in altero cœtu legatorum numerus pro civium ratione definiatur. Ex fœdere inito reipublicæ forma in singulis Statibus servanda est;¹ sed nullus Status rebus Status alterius specialibus immiscere se potest: quod nec ipsi supremo Gubernio permittitur, sed potestas intra negotia sibi commissa omnium Statuum consensu et fœdere se sistit. Hinc quæ in Statibus nonnullis Septemtrionalibus societates conflatae sunt *ad servitutis abolitionem*, uti fert earum nomen, nihil possunt nisi suasionem, quam vehementer rejiciunt Status meridionales in quibus servitus viget. *Congressus ipse*, cœtus scilicet supremus, nihil de abolenda servitute decernere valet, nisi quoad parvam illam regionem quæ supremi Gubernii est, *districtum Columbiae* dictam.

8. Si res alicujus gentis turbari contigerit, et exquirat alienam opem supremus magistratus ad populum continendum in officio, et legitima retinenda jura, videtur licere succurrere principi laboranti: non ita si tyrannidem exercent, vel si populus totus, ob publicam utilitatem, regiminis formam vel rectorem mutare decreverit. Si populus tyrannide oppressus opem alienam exquirat, ut certa et legitima jura recuperet, videtur licere iis subvenire: non autem licet

(1) Const. United States, art. iv. § iv.

paucorum perduellium fovere turbas, et legitimo imperio molestias creare.¹ Si ex turbis motibusque gentis alicujus periculum immineat alteri genti propinquæ, huic certe licebit sibi consulere, motusque comprimere.² Gubernium Supremum Statuum Fœderatorum tenetur succurrere Statui cuilibet contra violentiam domesticam, si legumlatorum cœtus postulaverit, vel Gubernator, quando cœtus haberi nequit.³

9. Quoties hominum multitudo ab imperio fecerit divortium, et regimen speciale sibi elegerit, nova illa rerum conditio solet legitima haberi, quum firma et sibi sufficiens videatur, adeo ut tueri valeant suam libertatem. Quod si populus amiserit libertatem potentiore imperio devictus, et in alienam transierit ditionem, jura ejus amissa non censentur nisi post longissimum temporis lapsum, quum omnis spes libertatis recuperandæ evanuerit, et populus in novam rerum conditionem consensisse videatur. Peccat autem contra jus gentium gens quælibet inferiorem viribus potentia premens, et privans libertate, nisi injuriam ulciscatur bello legitimo.

10. Gens quælibet jus habet ad ea omnia quæ ad sui statum sunt necessaria. Hinc in rerum angustiis ea arripiunt quibus indigent, æqua tamen data compensatione: et omnia quæ usu non exhauriuntur usurpant, dummodo sit absque alterius injuria. Usus *innoxius* hic vocatur.² Sic navis per fretum, quod sub alterius gentis ditione est, fertur, v: g: per fretum Calpes, quod hodie dicitur Gibraltaria, et Angliæ subjacet. Transitus ille denegari non potest genti cuicumque quin jus gentium violetur. Flagrante autem bello hostium naves, vel aliæ quæ eis auxilio sunt, vel quæ suspicioni causam præbent, possunt impediri.

11. Legati jure gentium excipiuntur a gentibus omnibus bello haud

(1) Kentius videtur censere aliquando licere populo succurrere, non item principi, nisi ex turbis periculum sibi immineat, vol. i. lec. ii. sed rectius Vattelius dicit posse gentem aliam pro causæ justitiæ suppetias ferre: "They who are not tied by any treaty may, for their own conduct, take the merit of the cause into consideration, and assist the party which they shall judge to have right on its side, in case this party shall request their assistance or accept the offer of it." *Law of Nations*, l. iii. c. xviii. § 296.

(2) Unicam hanc causam sese rebus alienis domesticis immiscendi agnovit Gubernium Anglicum, anno 1821. Lord Castlereagh's circular despatch of January 19, 1821.

(3) *Const. United States*, art. iv. § iv.

(4) Vide De Vattel, *Law of Nations*, l. ii. c. iv.

contententibus, et inviolati habendi sunt, etiam furente bello: qui et legibus locorum in quibus degunt haud subjiuntur, quum supremorum principum vices gerant. Si sua abutantur auctoritate in reipublicæ, apud quam degunt, apertam perniciem, aliquando dimittuntur. Immunitate gaudent qui pertinent ad familiam, et domus resque legati: attamen suprema Curia jus dicit in iis quæ legatorum intersunt.¹ Fœderati Status Ministrorum plena potentia instructorum nomine suos præcipuos nuntios apud gentes exteras designant, legatorum munere omisso. Legatum nolle accipere licet, si gravissima obstet ratio, v: g: quod vir genti sit omnino invisus; quæ tamen nisi explicetur, simultatum præbebit occasionem. Quæ fiunt a legato, principis nomine, robur vimque certam non obtinent, nisi accedente ratihabitione.

12. Consules dicuntur qui in portibus alienis degunt, negotia minora quæ ad commercium pertinent, gentis suæ nomine, curaturi. Aliquando iis conceditur auctoritas componendi lites inter suos, utraque gente eam iis indulgente: sed plerumque ea carent, nec gaudent immunitate. Eorum scripto testimonio de rebus gestis fides publica adhibetur.

(1) "In all cases affecting ambassadors, other public ministers and consuls, and those in which a state shall be party, the Supreme Court shall have original jurisdiction." Const. United States, art. iii. Judiciary.

CAPUT IV.

DE GENTIUM COMMERCIO.

§ I. DE MERCIUM COMMUTATIONE.

13. COMMERCIIUM gentium inter se iniri consuevit, ut fructus regionum mercesque commutentur, cum communi omnium utilitate. Æquum quidem est et communi omnium hominum origini congruum, ut hoc foveatur commercium. Cæterum nullum legis naturæ præceptum videntur violare qui hoc detrectant, nisi iis in rerum adjunctis in quibus necessarium sit ad gentis alienæ salutem, et statum: quo rerum eventu poterit gens iis indigens subsidiis ea vi arripere, æqua oblata compensatione.¹ Ea est gentium consuetudo, quæ liberum permittit commercium omnibus quæ bello secum non contendunt, appositis tamen æquis conditionibus, quas quælibet gens statuerit.² Inter eas recensetur vectigal quod in utilitatem reipublicæ cedat, ut impensæ publicæ solvantur, et industria civium foveatur, alienis mercibus haud facile investis.³ Cæterum oportet jus illud exigendi parce exercere, ne cum civium detrimento, vel gentium commercii mutui injuria fiscus ditescat.

14. Absque gentium aliarum injuria speciales fiunt inter gentes

(1) De Vattel. Law of Nations, l. ii. c. ix. § 120.

(2) "As every nation has the right and is disposed to exercise it, of judging for itself, in respect to the policy and extent of its commercial arrangements, the general freedom of trade, however reasonably and strongly it may be inculcated in the modern school of political economy, is but an imperfect right, and necessarily subject to such regulations and restrictions, as each nation may think proper to prescribe for itself. Every state may monopolize as much as it pleases of its own internal and colonial trade, or grant to other nations, with whom it deals, such distinctions and particular privileges as it may deem conducive to its interest." Kent's Comm. vol. i. lect. ii. 32.

(3) De Vattel. Law of Nations, l. i. c. viii. § 90.

aliquas tractatus, et conceduntur sibi invicem privilegia commercii et immunitates: quorum pactorum vis inviolata servanda est, etiam regiminis forma mutata. Mare liberum omnibus censendum est procul a littoribus; nam gens nulla valet sibi oceani usurpare imperium: quod diserte ostendit Grotius celeberrimo opere: *Mare Liberum*, dicto. Nec potest gens ulla vi impedire ne alia natio cum civitate aliqua commercium habeat. Jam vero pactis specialibus hæc omnia cum magna omnium utilitate componi et regi consueverunt.

15. Flagrante inter gentes aliquas bello gentibus aliis quæ *neutrales* dicuntur licet commercium cum utraque bello certante gerere: sed jure publico recentiori vetatur ne arma aliaque belli instrumenta suppedient, vel alias bello inserviant.¹ Merces etiam a coloniis gentis inimicæ ad ipsam gentem non licet navibus neutralibus deferre: sed si ad regionem neutralem deferantur, solutis bona fide vectigalibus, nil vetat eas inde devehi, instar aliarum mercium, ad gentem cujus sunt coloniæ.² Plures hac de re quæstiones excitatæ sunt, flagrante bello Anglos-inter et Gallos: illi enim vindicarunt sibi naves Americanas, damnatas ob vetitum commercium, eo quod deferebant merces ab insulis, quarum erat jus Gallis, ad Gallias, iis in portum Americanum primum invectis: et scrutinio subjecerunt naves, si forte laterent merces vetitæ, vel hostes, vel qui originis ratione Anglico suberant imperio. Contendebant Americani plerique licere commercium cum utraque gente fovere, nec posse naves Americanas subjici scrutinio, utrum laterent arma, tela vel instrumenta quæcumque belli, sed standum esse documentis.³ Constat tamen non licere portus obsessos ingredi: obsideri autem censentur quando naves hostium præsto sunt, adeo ut ingressuris sit periculum.⁴

(1) Suecia, Danimarca, Hollandia, et Russia anno 1780 pactum inierunt inter se ad liberi commercii jura vindicanda. Inter articulos hi occurrunt: "that it shall be lawful for any ship whatever, to sail freely from one port to another, or along the coasts of the powers at war: 2, that all merchandize and effects, belonging to the subjects of powers at war, and shipped in neutral vessels, shall be entirely free; excepting contraband goods, (cannon, mortars, muskets, pistols, flints, matches, &c.)" Vide et Grotium de jure belli et pacis, l. iii. c. i. 3. Not.

(2) Vide Robinson's Reports, Vol. ii. p. 368; case of the Polly, Lasky.

(3) Vide "the law of nations investigated in a popular manner by William John Duane," Philadelphia, 1809. Letter viii.

(4) "To ascertain what constitutes the blockade of any place or port, it is to be understood to be in such a predicament, when the assailing power has taken

16. Id autem inquiri potest utrum quis possit tuta conscientia commercium gerere sub vexillo neutrali, et documentis vel fictis, vel ex industria factis ut discrimen evadant: constat quippe plerumque merces invectas in portum neutralem ut inde deveherentur. Videtur grave non admitti peccatum dummodo perjurium evitetur: quod enim quis arte quadam et dolo quærat eludere leges quibus gentes bello inter se divisæ quærent aliarum commercium coercere, nullo naturalis æquitatis principio repugnat: sed discrimini objicitur amittendi merces et navem, si in gentis alterius potestatem venerit.

§ II. DE ALIENIGENARUM ACCESSU.

17. Transitus per regiones externas plerumque datur communi gentium jure, quoties necesse sit, et absque gentis detrimento concedi possit. Sic et per flumina naves descendunt ad oceanum, et ad littus appellunt, urgente necessitate; æquis conditionibus tamen servandis, quas in sui securitatem gens, cujus est regio, statuerit. Quod si dux exercitum per regionem tranquillam ducere voluerit, non erit copia, nisi ex principis arbitrio, et cautione præstita ne quid damni patiatur. Moysis exemplo utitur Grotius,¹ post Augustinum, bellum idcirco jure illatum affirmans: “innocius enim transitus denegabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat.”²

18. Alienigenis plerumque datur libertas accedendi ad gentes pace conjunctas: quæ apud nos nullo arctatur limite, sed apud gentes plerasque Europæas salvo conductu opus est, et venia speciali. Cæterum uniuscujusque gentis est lege cavere ne respublica detrimentum capiat, alienigenis admissis qui haud careant suspicione, præsertim in magnis rerum tempestatibus.³

19. Utrum quis possit absque reipublicæ venia e patria discedere, et civitatem alibi adipisci, præstito etiam fidelitatis juramento, quæ-

such a station, as to expose to imminent danger, any ship or ships, that should attempt to enter or depart.” 3. Art. pacti septemtrionalium regnorum anno 1780.

(1) De Jure Belli et Pacis, l. ii. c. ii. § xiii. n. 2.

(2) L. qu. xlv. super. Num. ad cap. xx.

(3) “I am of opinion, that every government has the right, and is bound in duty to judge for itself how far the unlimited power of emigration, and of the admission and residence of strangers and emigrants may be consistent with its own local interests, institutions, and safety.” Kent’s Comm. V. i. n. 35. Note.

ritur. Equidem ubi nulla lex vetat egressum, naturalis facultas libera manet; ideoque potest quis alio se conferre, vel studiorum, vel negotiorum, vel recreandi animi causa. Ubi lex vetat, obedientia præstanda est, æque implendæ sunt conditiones quæ ad veniam impetrandam exiguntur. Attamen duriores sunt leges quæ cives ita ligant, si publica et gravis causa non urgeat:¹ sed et injustæ, si odio Religionis et pietatis ferantur, uti quæ in Anglia olim viguerunt contra Catholicos. Ad alienam gentem transire licet utilitatis suæ causa, quoties id fit absque patriæ detrimento.² Flagrante bello ad hostium castra transire turpis est desertio: sed qui in tempore pacis novas quærent sedes, sicut plurimi ex Europæ provinciis in dies solent, videntur posse civitatis jura in nova regione quærere, quum alioquin sibi suisque vix queant satis consulere.³ Equidem nulla naturæ lege ad manendum in patria tenemur, alioquin nemo posset unquam migrare: et fidelitatis erga principem muneri satisfacimus, si ei dum in ejus ditione versamur, obtemperemus, et in rerum angustiis non deseramus: sed mutata ex æqua causa habitatione, jure naturali nobis consulendi utimur, novo agnoscendo imperio. Id videtur dicendum etiamsi quis juramentum fidelitatis præstiterit; nam id fit ad obligationem civium naturalem firmandam, potius quam ad novam inducendam, ideoque explicandum est pro illius ratione. Durissimum foret iis qui ex Europa huc migrant, non posse cives Americani fieri, quum nonnullis in Statibus possessiones forent incertæ, et ipsi plurimis obnoxii forent incommodis.

20. Id etiam inquiri potest, utrum bello orto inter rempublicam cujus cives facti sunt, et patriam, possint contra hanc armis certare. Hoc negant Angli jurisperiti: censemus tamen eos posse quoties

(1) "The Sovereign abuses his power, and reduces his subjects to an insupportable slavery, if he refuses them the permission of leaving his dominions for their own advantage, when he might grant it to them without inconvenience, or danger to the state." De Vattel. Law of Nations, l. i. c. xix. § 222.

(2) "Every man has a right to quit his country, in order to settle in any other, when by that step, he does not expose the welfare of his country." Ibidem, § 220. 2.

(3) Id decisum est a Suprema Curia Maritima Angliæ *Admiralty* dicta, de Anglo mercatore qui civis factus Americanus, eoque titulo commercium gessit cum Indiis Orientalibus, quod civibus Angliis tunc non licebat, excepto cætu dicto, *East India Company*. Rem refert Wheaton *Treatise on international law*.

justitia reipublicæ favet, nam omnia munia civium tenentur persolvere, quum privilegiis juribusque ea conditione fruuntur.

21. Rei qui ad pœnam facinorum declinandam in alias nationes se conferunt, plerumque traduntur principi postulanti, ut in judicium sistantur: qui mos ad jus gentium potest referri. Attamen qui ob delicta quæ politica dicuntur, quæruntur judicandi, non solent a Gubernio nostro tradi: quod tamen facinorosos alios haud protegit. Cæterum nulla lege generali definitur:¹ sed speciali Status Neo-Eboraceni lege² statutum est, eos tradendos qui postulantur rei homicidii, aut aliorum criminum quæ legibus istius Status puniuntur morte. Constat autem nonnisi in loco in quo admissum est crimen judicium habendum. Inter Status fœderatos convenit, ut rei, postulante Gubernatore, tradantur, ad Statum reducendi ubi deliquisse dicuntur.

(1) "Mr. Justice Story cites the conflicting authorities, both foreign and domestic, on this interesting question; but intimates no opinion." *Kent's Comm.* Vol. i. n. 37. *Note.*

(2) 5 April, 1822, ch. 148.

(3) "A person charged in any state with treason, felony, or other crime, who shall flee from justice, and be found in another state, shall, on demand of the executive authority of the same state from which he fled, be delivered up, to be removed to the state having jurisdiction of the crime." Constitution of the United States of America. Art. iv. *Of fugitives from Justice.*

CAPUT V.

DE BELLO.

22. BELLUM fit inter nationes ob graves illatas injurias, quas lædens reparare non vult: quum enim nullum agnoscant tribunal, cujus stent iudicio, armis suas ulcisci injurias quærunt, Deo invocato vindice. Equidem per sæcula media sensim sine sensu Pontifex arbiter iudexque a gentibus plerisque Europæis agnitus est; suprema ejus in Ecclesia regenda auctoritate animos hominum disponente ut jurium interpretem et vindicem eum haberent: quapropter principes suas contra se invicem deferebant querelas ad patrem communem, cujus monita si frustra evasisent tunc tandem armis tentatum est, Pontificis anathemate aliquando in contumacem prolato, quo causæ justitia innotesceret.¹ Per rerum vices factum est, ut tribunal hoc, populorum principumque consensu olim celebratum, negligeretur; jamque gens quæque læsa suo arbitrio bellum indicit: sed præcipuorum regnorum opera amica sæpe impediuntur bella, conditionibus æquis propositis.

23. Bellum inferri posse censet Grotius in eos qui "jus naturæ aut gentium immaniter violant, nam libertas humanæ societati per pœnas consulendi, quæ initio penes singulos fuerat, civitatibus ac iudiciis institutis penes summas potestates resedit."² In eam imus sententiam, quatenus licet, vi etiam illata, homines immanibus flagitiis assuetos ad humanos mores revocare; id enim postulare videtur dignitas naturæ omnibus communis. Cæterum ut gens aliena ea de causa bellum inferat, non satis est immania aliqua facinora admitti, si mores plerorumque non sint enormiter corrupti. Ob errores circa

(1) "Wilielmus Dux Normannicus . . . ne justam bellandi causam temeritas deformaret, ad Papam Alexandrum nuntios destinavit, ut susceptum negocium auctoritate Apostolica firmaretur. Unde Papa, consideratis utrinque litigantium cæusis, vexillum Wilielmo in omen regni transmisit." Ex hac Matthæi Paris relatione liquet quomodo contigerit plerumque Pontificem suum interponere iudicium. Vide *Hist. Angl. Harold Rex.* p. 2.

(2) De jure belli et pacis, l. ii. c. xx. n. 40. De Vattel contra sentit, *Law of Nations*, l. ii. c. i. § 7.

Dei cultum non censemus bellum ullatenus inferendum, quum vera religio non sit armis dilatanda : quod autem Carolus M. aliive principes Christiani hostibus bello domitis aliquando pepercerint ea lege ut sacra Christiana suscipere, contigit, bello illato ad gentium barbararum repellendas incursiones, quibus omnia cæde repleverant ; et pace concessa ea ratione qua firmior foret et tutior :¹ nec enim bellum gerebatur ad fidem vi inducendam, nec aliquis ad sacra excipiebatur nisi rite institutus et paratus. Pari de causa non licet hæreticis bellum inferre ad puniendos errores contra fidem, vel ad reducendos eos ad fidem, nam, civilis gubernii non est fidei causam armis ulcisci et promovere. Cæterum Catholicis Mahumetanorum vel hæreticorum tyrannide pressis subveniendum aliquando censuerunt principes Catholici ex communi jure gentium quo gravato succurritur populo. Hinc Grotius de Christianis ab ethnicis pressis dicit : “ Qui in tales sæviunt, ipsi in ea causa sunt ut puniri juste possint ; quod et Thomæ videtur.”² Atque eam ob causam Constantinus Licinio, imperatores alii Persis bellum intulerunt : quamquam hæc bella magis ad innocentium defensionem, quam ad pœnæ exactionem pertinent.”³ Id licere Vattelii fatetur si immanis sit oppressio.⁴ Ea de causa Christiani principes, hortantibus Summis Pontificibus, ad subveniendum Christianis Turcarum jugo pressis, bella quæ dicuntur *Cruce signatorum* gesserunt. Accessit suæ libertatis sollicitudo, ne aucto Turcarum imperio, regna omnia respublicæque Europæ considerent :⁵ quam belli causam justam jurisperiti agnoscunt.⁶

(1) Vide Bergier, *Traite de la Religion*, Vol. viii. c. x. art. iv. § iv.

(2) 2. 2. q. cviii.

(3) De jure belli et pacis, l. ii. c. xx. xlix. 2.

(4) “ When a religion is persecuted in one country, the foreign nations who profess it may intercede for their brethren : but this is all they can lawfully do, unless the persecution be carried to an intolerable excess ; then indeed it becomes a case of manifest tyranny, in which all nations are permitted to succour an unhappy people. A regard to their own safety may also induce them to undertake the defence of the persecuted.” *Law of Nations*, l. ii. c. iv. § 62.

(5) “ La nécessité de la propre défense et la convenance de la diversion, furent un nouveau sujet de ces guerres, et fournissent un nouveau jour pour les justifier pleinement aux yeux de toute personne tant soit peu versée dans le droit de la paix et de la guerre.” Vide *Dictionnaire Historique de Feller*, art. Pierre dit. l’Ermite.

(6) “ Whenever a state has given signs of injustice, rapacity, pride, ambition, or of an imperious thirst of rule ; it becomes a suspicious neighbor to be guarded against : and—its designs may be prevented by force and arms.”—“ Are we to delay the averting of our ruin till it becomes inevitable !” De Vattel, l. iii. c. iii. 44.

24. Principis supremi plerumque est bellum indicere : sed apud nos cœtus Supremi legumlatorum, quem *Congressum* vocamus. Consuevit olim bellum solemniter indici, antequam quid fieret adversum : qui mos sæculis mediis omnino necessarius habitus est ; sed jam ad arma confugiunt gentes, nullo prævio indicio, nisi reparationis injuriæ petitione, quæ requiritur ne bellandi libidini quis indulgere videatur.¹ Indicto vel cœpto bello, cives omnes utriusque gentis hostes inter se habentur : sed plerumque indulgetur, ut qui in inimica regione forte versantur, recedant rebus ablatis : quod legibus nostris statutum est,² jure tamen vindicato a Suprema Curia alienigenas inimicos resque eorum usurpandi, si Congressui visum fuerit.³ Quæ hostium naves in portibus versantur, mercibus onustæ, cæteræque res hostium solent detineri, ea conditione ut si res componantur reddantur, secus detinentibus cessuræ.

25. Bellum aliquando licere patet exemplo Abrahæ, David, aliorumque veterum sanctorum, sicut et ex auctoritate S. Joannis præcursoris, qui militibus petentibus quid sibi faciendum foret, ut saluti consulere, non respondit militiam relinquendam, sed jussit eos ea fugere vitia quibus milites indulgere solent.⁴ Liquet insuper ex perpetua Christianorum regum etiam piissimorum consuetudine, jura sua armis vindicantium, quam nunquam reprobavit Ecclesia. Verum quidem est Nicænum concilium eis qui cingulum militiæ, quod deposuerant, resumerent, pœnas intentasse : earum autem ratio infligendarum ex ipsa militiæ natura non derivabatur, sed ex eo quod ii qui pœnitentiam publicam professi erant, a sancto proposito ad pristinum vitæ genus deflecterent.

26. *Defensivum bellum*, quo vis injusta repellitur, privata auctoritate aliquando geritur absque culpa : *offensivum* publicam auctoritatem, præter justam causam, exigit. Justa autem causa semper requiritur, quam etiam certò constare debere plures theologi docent : nec enim ob rationes tantum verosimiles licet nationum tranquillitatem turbare, et calamitates belli inferre. De justitia belli milites plerumque angere non debent ; præsumere enim possunt illud justum esse, nisi ejus injustitia pateat : alii autem nequeunt alienam

(1) De Vattel, *Law of Nations*, l. iii. c. iii. § 37.

(2) Vide Act of Congress, 6 July, 1798.

(3) *Brown v. The United States*, 8 Cranch 110. et *Ibidem* 228, 229.

(4) Luc. iii. 14.

causam sponte amplecti, et bello dare operam, nisi illud justum videatur. Si bellum sit manifeste injustum, nec subditi nec alienigenæ possunt illud gerere. Possunt quidem cives et milites plerumque suam de injustitia belli opinionem deponere, cætus publici seu principis nixi iudicio: quod si veritati non sit consonum, excusabuntur milites, licet peccet princeps si temere et cupiditate impellente bellum inferat. “Vir justus,” inquit Augustinus, “si forte etiam sub rege et homine sacrilego militet, recte potest, illo jubente, bellare, civicæ pacis ordinem servans, cum, quod sibi jubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit certum non est, ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.”¹ Facile contingit *defensivum bellum* esse justum, etsi causa data sit belli, si enim reparatio injuriæ oblata sit, vel si nimia quærat vindicta, patriam juste defendunt cives.²

27. In bello justo licent ea omnia quæ ad finem belli sunt necessaria, scilicet ad æquam injuriarum ultionem, et reparationem. Hostes licite occiduntur consueto bellandi more, vel aperto Marte, vel insidiis legitimis: nam ut ait Augustinus: “cum justum bellum suscipitur, vi aperta pugnet quis, aut ex insidiis, nihil ad justitiam interest.”³ Sed nefas est eos qui arma deponunt, et implorant salutem, interficere, nisi bellandi more atroci supplicium extremum meriti sint. Qui in hostium castris reperiuntur desertores, morte etiam puniri possunt. Qui ex hostibus capti sunt non sunt, interficiendi, sed commutatio cum aliis ab hostibus captis facienda est, et interim humaniter tractandi sunt, quatenus rerum conditio sinit. Inermibus, qui ætatis, sexus, vel muneris sacri ratione hostilia non gesserunt, parcere oportet. Proditione militum alienorum vel aliorum qui in hostium castris versantur, non licet uti ad ducis vel hostium aliorum interfectionem: nec licet veneno inficere aquas, vel alias adhibere

(1) L. xxii. contra Faustum, c. lxxv.

(2) “The nation in fault is to submit to a penalty which it has deserved, and suffer it by way of satisfaction, yet no way obliged to give itself up to the discretion of an incensed enemy. Therefore, when attacked, it is to make a tender of satisfaction, ask what penalty is required, and if no explicit answer be given, or the enemy is for imposing a disproportionate penalty, it then acquires a right of resisting, and defence becomes lawful.” De Vattel. *Law of Nations*, l. iii. c. iii.

(3) Qu. x. super Josue. Vide plura apud Grotium de jure belli et pacis, l. iii. c. i. § vi. 2.

rationes cladis inferendæ quæ nulla humana prudentia evitari possunt, vel quæ atrocitatem sapiunt.

28. Flagrante bello civili qui rerum potitur cives sibi resistentes rebelles æstimat, eosque captos suspendio, vel alia morte infami necat. Quoties de seditiosis agitur, scilicet de iis qui ex levi causa, vel sola dominandi vel ditescendi libidine, rempublicam perturbant, supplicium justum est: sed si contigerit populi magnam partem armis certare, etiam absque justa causa, paucorum supplicio cæteris poterit metus incuti, sed in multitudinem non est ita sæviendum. Si populus tyrannide pressus armis jura sua petat, princeps debet ei satisfacere quod æquum sit concedendo;¹ qua ratione si nequeat eum placare, rebellium instar punire poterit qui ordinem publicum et gubernium evertere laborant. Si princeps alter de jure regni cum eo qui rerum potitur certet, probabili ei favente ratione, bellum gerendum est more consueto, et capti rebellium instar non sunt tractandi; alioquin dabitur alteri occasio captos eadem pœna plectendi:² quod nuper contigit Carolo cum Christina de regno Hispaniarum certante, donec Anglici Gubernii opera ab atroci illa captorum supplicio desierint.

29. In bello terreno præda capitur, quatenus necessaria est ad hostem conterendum, et ad reparandum injuriam. Milites qui per regiones eorum qui cum hostibus non sunt fœdere aliquo conjuncti, quique *neutrales* dicuntur, transeunt, nihil possunt capere ultra necessitatem, debentque satisfacere si quid intulerint damni.³ In hostium regione nihil faciendum est nisi ex ducum jussione, qui non debent privatis et innocuis civibus⁴ temere inferre damnum, vel ec-

(1) De Vattel, Law of Nations, l. iii. c. xviii. § 291.

(2) Ibidem, l. iii. c. viii. § 142.

(3) Vide Carriere *de justitia et jure*, vol. i. n. 367.

(4) Decrevit Alexander III. in concilio Lateranensi III., anno 1179, "ut presbyteri, monachi conversi, peregrini, mercatores, rustici, euntes vel redeuntes, vel in agricultura existentes, et animalia quibus arant et semina portant ad agrum, congrua securitate lætentur." Cap. *Innovamus, II. de Treuga et Pace*. "The American commissioners, (John Adams, Benjamin Franklin, and Thomas Jefferson,) in 1784, submitted to the Prussian minister a proposition to improve the laws of war, by a mutual stipulation not to molest non-combatants, as cultivators of the earth, fishermen, merchants, and traders in unarmed ships, and artists and mechanics inhabiting and working in open towns." Kent's Comm. vol. i. p. 91. Note.

clesias piaeque loca diruere,¹ nec ædificia privata vel publica quibus vis hostium non augetur, vel artium scientiarumque subsidia tollere.² Si urbs diripienda tradatur, quod nonnisi gravissimas ob causas licet, modus direptioni est ponendus. Præda erit juxta legem vel principis ducisve voluntatem distribuenda. Quod si miles sibi aliquid usurpaverit, magno se objicit pænæ discrimini: nam jure Cæsareo: “is qui prædam ab hostibus captam subripuit, lege peculatus tenetur.”³ Ab omni autem flagitio abstinendum omnino est: quapropter mulierum pudicitiam nemini licet attentare.

30. “Quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt.”⁴ Ita jus Cæsareum. Attamen recentius jus, quod principis jurisperitorum, præsertim Grotii,⁵ et pactis moribusque nationum nititur, mitius admodum est. Equidem potest gens quæ bellum juste infert, hostium occupare bona quantum necesse sit ad damnorum quæ passa est compensationem, et ad impensarum belli solutionem, et ad injuriæ justam vindictam: quapropter recte dicit S. Thomas: “Si illi qui deprædantur hostes, habeant bellum justum, ea, quæ per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur.”⁶ Nec excessus facile admittitur, quum plerumque videatur direptio ad vires hostium conterendas necessaria. Cæterum nemini licet privata auctoritate prædari hostes, vel modum a duce supremo præscriptum excedere. In bello bona capta cedunt reipublicæ, seu principi supremo, juxta notissimum principium juris: “bello parta cedunt reipublicæ;” sed mos est ut quæ in mari capiuntur, post tribunalis maritimi judicium, inter captores distribuantur.⁷ Quæ tamen a privatis absque publica licentia capiuntur, juxta leges nostras cedunt omnino reipublicæ.⁸ Attamen quamvis suo periculo agant, et possint a republica puniri,

(1) Vide Carriere, vol. i. n. 364. (2) Kent, n. 93.

(3) L. xiii. ff. xlvi. xlii. *Ad leg. Juliam peculatus.*

(4) Instit. II. i. § 17.

(5) Vide apud Kentium, Comm. vol. i. part. i. lect. v.

(6) 2. 2æ. quæst. lxvi. art. viii. ad. i.

(7) “The general practice under the laws and ordinances of the belligerent governments is, to distribute the proceeds of captured property, when duly passed upon, and condemned as prize, (and whether captured by public or private commissioned vessels,) among the captors as a reward for bravery, and a stimulus for exertion.” Kent. Comm. vol. i. part. i. lect. v. n. 101.

(8) “It is the settled law of the United States, that all captures made by non-commissioned captors are made for the government.” Ibidem, n. 96.

quòdammodo eis favetur, et ab hostium ultione proteguntur, nec enim sinit respublica, ut veluti piratæ tractentur.¹ Bello flagrante favet quam maxime privatis naves, suis impensis, instruētibus, ut hostes aggrediantur, et litteras concedit quibus licentia eis datur naves hostium capiendi, et omnia quæ in eis reperta fuerint diripiendi.³ Cætus supremus Neo-Eboracenus, anno 1814, dum bellum cum Anglis gereretur, fecit facultatem civibus quibuscumque, numero saltem quinque, societatem ineundi ut naves instruerent, iisque tribuit collegii privilegia.³

31. Qui, licentia prævia, capit vel diripit naves hostium, tenetur prædam in portum deducere, et iudicio subijcere, ut de re constat.⁴ Si omittat rem gestam referre et probare, prædam amittendi discrimini objicitur, quum dominium non censeatur perfectum, nisi post sententiam latam. Cæterum justitiam violare non videtur, nam ex jure gentium res capta fit captoris. Qui absque licentia capit, retinetque prædam, non videtur justitiæ violatæ reus, nam licentia pertinet ad juris ordinem, et præda in pœnam vindicatur reipublicæ: sed jus est captori ex ipsa occupatione, uti jurisperiti cum Voeto docent, “per solam occupationem dominium prædæ hostibus acquiri.”⁵

32. Qui cum hoste capto paciscitur, navemque liberam dimittit pretio persolvendo, dat ei litteras securitatis ab aliis ejusdem gentis navibus;⁶ nisi obstet lex redemptionem hujusmodi vetans, prout

(1) “If they depredate upon the enemy without a commission, they act upon their peril, and are liable to be punished by their own sovereign; but the enemy are not warranted to consider them as criminal.” Kent’s Comm. vol. i. part i. lec. v. n. 96.

(2) “In order to encourage privateering, it is usual to allow the owners of private armed vessels to appropriate themselves the property.” Ibidem, n. 97. Excipiuntur quæ artes et scientias spectant: “In the case of the Marquis de Somerneles, the enlightened judge of the vice-admiralty court at Halifax, restored to the Academy of Arts in Philadelphia a case of Italian paints and prints captured by a British vessel in the war of 1812, on their passage to the United States; and he did it ‘in conformity to the law of nations as practised by all civilized countries,’ and because the arts and sciences are admitted to form an exception to the severe rights of warfare.” Ibidem, n. 93. Note.

(3) Ibidem, n. 98. Note.

(4) Ibidem, n. 102.

(5) Ibidem.

(6) “The effect of a ransom is equivalent to a safe conduct granted by the

apud Anglos, non ita apud nos.¹ Captor suo nomine litem valet instituere coram tribunali in regione hostium ut pretium promissum recuperet, non tamen in Anglia, ubi lex non sinit hostem jus sibi vindicare. Plerumque relinquitur aliquis in vadimonium, cujus nomine instituitur lis, ut pretio persoluto in libertatem vindicetur.²

33. Lege districte vetatur cuivis civi Statuum Fœderatorum navem contra aliquam gentem quæ cum republica nostra amicitia fœdereve conjuncta sit instruere, bello inter eam et aliam gentem flagrante.³ Qui extra justi belli occasionem naves diripiunt quascumque, piratæ sunt, et ad restituendum omnino obligati.

34. "Postliminium fingit eum qui captus est, in civitate semper fuisse."⁴ Ita jus Cæsareum: quapropter jus postliminii est fictio quædam juris, qua res vel persona ab hostium potestate recuperata habetur veluti nunquam capta. Si quis bona ab hostibus recuperaverit, non sua fiunt, nec reipublicæ, sed ejus cujus antea fuerant.⁵ In rebus mobilibus jus hoc non conceditur nisi fuerint brevi recuperatæ, nam post viginti quatuor horas elapsas fiunt omnino victoris. Immobilia eo gaudent jure, quum facile a dominis agnoscantur, etiam post lapsum temporis: sed præmium quoddam solet dari iterum capientibus. Si interim venditum fuerit, emptor omni jure cadit, est enim prioris domini: nisi civitas aut regio victori tradatur, inter pacis conditiones; tunc enim alienatio prius facta a victore alteri adhuc valebit. Apud Gallos olim, et apud nos in bello Americano, navis quæ per viginti quatuor horas in potestate hostium fuerat, postliminii juri non erat obnoxia; sed jam ubique sententia tribunalis opus est ut postliminio non sit locus.

authority of the state to which the captor belongs, and it binds the commanders of other cruisers to respect the safe conduct thus given." *Ibidem*, n. 105.

(1) "They have never been prohibited in this country." *Ibidem*.

(2) "The remedy to enforce payment of the ransom bill for the benefit of the enemy captor, is by an action by the imprisoned hostage, in the courts of his own country, for the recovery of his freedom." *Ibidem*, n. 107.

(3) *Ibidem*, n. 106.

(4) *Inst.* i. 12. 5.

(5) "When, therefore, property taken by the enemy is either recaptured or rescued from him, by the fellow subjects or allies of the original owner, it does not become the property of the recaptor or rescuer, as if it had been a new prize, but it is restored to the original owner, by right of postliminy, upon certain terms." *Kent's Com.* vol. i. part i. *Lec.* v. n. 109.

CAPUT VI.

DE SERVITUTE.

35. QUUM omnes homines jure naturæ sint pares, nemo est natura alterius dominus; jure tamen gentium non tantum *jurisdictionis* dominium, sed etiam *proprietas* hominibus in homines conceditur: quod et vetus lex ratum habuit.¹ Capti in bello plerumque in servitute olim redigebantur, quando victoribus visum est parcere victis. Qui atrox aliquod facinus patrarant eadem pœna afficiebantur.² Tanta etiam erat patria potestas ut filios vendere licuerit, ad suæ subveniendum inopiæ, adjecta conditione de redimendo, si melior affulserit fortuna.³ Nonnulli seipsos vendebant ut suæ sustentationi consulere. Horum omnium filii, ex matre serva nati, servi habebantur, quia "partus sequitur ventrem."⁴ Servitute apud plerasque gentes vigentem Apostolus non reprobavit, sed heris docuit obediendum: "Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo."⁵ Heris etiam mansuetudinem et æquitatem insinuavit: "Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis: et personarum acceptio non est apud Deum."⁶ Apostolica documenta semper præ oculis habuit Ecclesia, quæ idcirco in concilio Gangrensi damnavit anathemate eos qui servos a domino obsequio religionis specie abducerent. Cæterum favit quantum valuit humanæ libertati, dominos ut mancipia manumitterent hortando, donec sensim sine sensu sublata servitute, vetuerit Alexander

(1) Exod. xxi. Levit. xxv.

(2) Cap. *Itaq orundam*, de Judæis et Samaritanis.

(3) L. i. et ii. ff. de patribus qui filios suos distraxerunt.

(4) Partum Cod. de rei vindic.

(5) Eph. vi. 5.

(6) Ibidem 9.

III. anno 1167, ne in posterum Christiani servi haberentur.¹ Hæc humanissima sanctio sequioribus sæculis infirmata est, commercio inducto infando.

36. Novissime claruit hac in re humanitas Apostolici præsulis Gregorii XVI., qui decessorum suorum exempla secutus, Nigritarum commercium, quod nationes christianas exercere non puduit, futilibus et inanibus rationibus ad tantam injustitiam extenuandam adductis, damnavit et prohibuit: "Auctoritate Apostolica," ait Pontifex, "omnes cujuscumque conditionis Christifideles admonemus et obtestamur in Domino vehementer, ne quis audeat in posterum Indos, Nigritas, seu alios hujusmodi homines injuste vexare, aut spoliare suis bonis, aut in servitutem redigere, vel aliis talia in eos patrantibus auxilium aut favorem præstare; seu exercere inhumanum illud commercium, quo Nigritæ, tamquam si non homines sed pura putaque animantia forent, in servitutem utcumque redacti, sine ullo discrimine, contra justitiæ et humanitatis jura, emuntur, venduntur, ac durissimis interdum laboribus exantlandis devoentur, et insuper lucri spe Nigritarum occupatoribus per commercium idem proposita, dissidia et perpetua quodammodo in illorum regionibus prælia foventur. Enim vero Nos prædicta omnia, tamquam Christiano nomine prorsus indigna, Auctoritate Apostolica reprobamus; eademque Auctoritate districte prohibemus atque interdicimus, ne quis Ecclesiasticus aut Laicus ipsum illud Nigritarum commercium veluti licitum sub quovis obtentu, aut quæsito colore tueri, aut aliter contra ea, quæ nostris hisce Apostolicis Litteris monuimus, prædicare seu quomodolibet publice vel privatim docere præsumat."²

37. Quid autem sentiendum est de domestica servitute, quæ in provinciis plerisque meridionalibus et occidentalibus viget, posteris eorum qui ex Africa abducti sunt adhuc jugo subjectis? Equidem in hac libertatis qua omnes gloriantur plenitudine, dolendum tot mancipia esse, a quorum inceptis ut caveatur latæ sunt leges quæ vetant ne litteris excolantur, et quæ religionis exercitium alicubi

(1) Vide de Maistre Du Pape, l. iii. c. ii.

(2) Litteræ Apostolicæ incipiunt. *In Supremo Apostolatus fastigio* die 3 Dec. 1839, datæ. Has si vidisset doctissimus theologus Carriere, suam de commercio hoc opinionem, (opere de justitia et jure, par. i. sect. i. c. iii. art. 3. Parisiis anno 1839,) procul dubio emendasset, Sedis Apostolicæ quum sit observantissimus.

valde impediunt.¹ Cæterum quum ea sit rerum conditio, nihil contra leges tentandum est, nec quid quo servi in libertatem vindicentur, vel quo jugum ægre ferant, faciendum vel dicendum: sed prudentia et charitas sacrorum ministrorum in eo exhibendæ, ut servi, moribus christianis informati, dominis præsentent obsequia, Deum supremum omnium dominum venerantes; et ut domini æquos et mansuetos se præsentent, et servorum conditionem humanitate et salutis eorum studio mitigent. Apostolos habemus auctores qui hæc nobis reliquerunt documenta: quæ qui neglexerint, humanitatis studio totum rerum ordinem convellere studentes, servis plerumque duriosem inferunt conditionem. Hæc præ oculis omnium ponere non omisit pontifex in prælaudata constitutione: “*Inspirati enim a divino Spiritu Apostoli servos quidem ipsos docebant obedire dominis carnalibus sicut Christo, et facere voluntatem Dei ex animo; dominis verò præcipiebant ut bene erga servos agerent, et quod justum est et æquum eis præstarent, ac remitterent minas, scientes quia illorum et ipsorum Dominus est in cælis, et personarum acceptio non est apud Eum.*”

38. Optime animadvertit in rem nostram Gerdil: “*Servitus non ita intelligenda est, quasi homo in hominem eam dominii rationem habere queat, quam habet in pecudem. Qua in re turpiter olim errarunt, qui servos in personarum numero censeri volebant, et quan-*

(1) “*In Georgia, by an act, in 1829, no person is permitted to teach a slave, negro, or free person of colour, to read or write. So, in Virginia, by statute, in 1830, meeting of free negroes, to learn reading or writing, is unlawful, and subjects them to corporal punishment; and it is unlawful for white persons to assemble with free negroes or slaves, to teach them to read or write. The prohibitory act of the legislature of Alabama, passed in the session of 1831-2, relative to instruction to be given to the slave, or free coloured population, or exhortation, or preaching to them, or any mischievous influence attempted to be exerted over them, is sufficiently penal. Laws of similar import are presumed to exist in the other slave-holding states; but in Louisiana the law on this subject is armed with tenfold severity. It not only forbids any person teaching slaves to read or write, but it declares that any person using language, in any public discourse, from the bar, bench, stage, or pulpit, or any other place, or in any private conversation, or making use of any signs or actions, having a tendency to produce discontent among the free coloured population, or insubordination among the slaves, or who shall be knowingly instrumental in bringing into the state any paper, book, or pamphlet, having the like tendency, shall, on conviction, be punishable with imprisonment or death, at the discretion of the court.*” *Kent's Comm. vol. ii. p. iv. lec. xxxii. n. 253.*

tumvis inique et crudeliter Dominus servum suum habuisset, nullam tamen a Domino injuriam ei servo fieri autmabant. Etenim servitus æqualitatem naturæ inter homines non delet: proinde per servitutum sic homo in dominio alterius esse intelligitur, quatenus Dominus jus perpetuum, et universum habet in omnes servi sui operas, quas quidem ab homine homini præstari fas est; et ea quidem lege, ut curam servi gerere Dominus debeat, eique officia humanitatis omnia studiose præstare, ut alibi declaravimus. (*Specimen Element*, p. iii. § 4.) Servitus sic intellecta non pugnat cum jure naturæ, adeo ut peccare in legem naturæ putandus sit, qui servos habet, eisdem moderate utitur: tametsi maximo generis humani bono, servitus christiana mansuetudine jam pridem apud cultiores gentes sublata est."¹ "Quare Dominus facit injuriam servo si eum crudelius verberet, si nimio labore premat, si conveniente victu ac vestitu defraudet, si famam ejus prodat. Recteque Cicero I. de off. cap. 13. Meminerimus autem et adversus infimos justitiam esse servandam. Est autem infima conditio et fortuna servorum, quibus non male præcipiunt, qui ita jubent uti ut mercenariis, operam exigendam, justa præbenda."²

39. Id quæri potest utrum heri possint servos retinere, quum eorum majores injuriâ videantur ex Africa huc traducti? Nobis affirmandum videtur, nam tituli vitium longissimi temporis lapsu sanatum habendum est, quum societatis conditio alias incerta semper foret, cum gravissimo barbarum periculo. Peccarunt quidem qui vi abstulerunt invitos; sed eorum posteros in servitute tenere injustum non videtur; ea scilicet conditione nati sunt, quam nec exuere valent. Cæterum laudandi sunt qui humanitatis et religionis studio eos libertate donant manu-mittendo, quando copia fit in Africæ coloniam, quæ Liberia dicitur, se conferendi. Iis ut consulant, subsidiis religionis præstitis, sacerdotes duo, ex hac diœcesi, Sede Apostolica jubente, vela jam faciunt.

(1) Compendium Institutionum civilium. L. i. p. 317. vol vii.

(2) Gerdil de justitia et jure, c. vi. prop. iii.

TRACTATUS VI.

DE LEGIBUS CIVILIBUS.

CAPUT I.

DE POTESTATIS CIVILIS ORIGINE.

1. QUUM populi multitudo legibus quibus regatur indigeat, liquet eas ferendi potestatem apud eam existere,¹ quam exercet per eos quos creavit magistratus, vel qui alias, populo consentiente, vel saltem tolerante, supremo funguntur regimine. Deus autem jure meritoque censetur probare quæ ad ordinem societatis tuendum et ad jura singulorum vindicanda fiunt; et rectoribus multitudinis, vel ab ea electis, vel alias constitutis, eam tribuere potestatem quæ ad reipublicæ salutem est necessaria. Novimus quidem regnorum et rerumpublicarum originem haud semper ad liberam populi electionem referri posse, et iniquas sæpe adhiberi artes ad potestatem retinendam:² ideoque Deo non esse tribuendam regiminis civilis institutio-

(1) "Potestas civilis ferendi leges competit ex natura rei immediate ipsi communitati." Petrus Dens, tract. de legibus, qu. iii. n. 18.

(2) Nihil novi et ab historiarum veritate alienum protulit S. Gregorius VII., quamvis idcirco a plurimis censura vexatus: "Quis nesciat reges et duces ab iis habuisse principium qui Deum ignorantes, superbia, rapinis, perfidia, homicidiis, postremo universis fere sceleribus, mundi principe diabolo videlicet agitante, super pares, scilicet homines dominari cæca cupiditate, et intolerabili presumptione affectaverunt?" Regist. l. viii. ep. xxi. Nec ideo principibus legitimo imperio utentibus detrahimus.

nem, vel singulos actus; sed quum velit ipse ordinem justitiamque servari, et populos in societatem coalescere, omne auctoritatis exercitium quod his inservit finibus, quocumque veniat nomine, ipsi probatum censendum est. Optime Dominicus Soto potestatis civilis originem ad instinctum se servandi omnibus inditum refert: "Congregata verò respublica neutiquam se poterat gubernare, hostesque propulsare, malefactorumque audaciam cohibere, nisi magistratus deligeret, quibus suam tribueret facultatem. Nam alias tota congregatio sine ordine et capite neque unum corpus repræsentaret, neque ea providere posset, quæ expedirent. Ergo eadem ratione doctæ divinitusque instructæ respublicæ, aliæ annales consules, aliæ alias publicarum administrationum formas sibi instituerunt. . . . Ecce quemadmodum publica civilis potestas ordinatio Dei est: non quod respublica non creaverit principes, sed quod fecerit divinitus erudita. Unde illud Sap. xiv. 'Tua, Pater, providentia ab initio cuncta gubernat.' . . . Et ideo Paulus ad Rom. xiii. auctoritatem principum non in rempublicam tantum, sed in Deum ipsum refert."¹

2. Potestatem omnem civilem a Deo esse, quæcumque sit regiminis forma, credimus Apostolo docente: "non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt."² Hinc Sapientia divina sibi tribuit rectorum auctoritatem, et legum disciplinam: "per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt."³ Equidem homini in hominem alterum nulla est jure naturæ potestas, et quam-

(1) De Justitia et jure, l. iv. quæst. iv. art. i.

(2) Rom. xiii. 1. "The expression as used by St. Paul is just as applicable to one kind of government, and to one kind of succession, as to another—to the elective magistrate of a pure republic, as to an absolute hereditary monarch."—Paley's Moral Philosophy, l. vi. c. 4.

(3) Prov. viii. 15. Eodem recidunt quæ tradit eximius scriptor Bianchi: "Se bene si considera la natura della cosa in se stessa, e se si riflette all' origine, al progresso, alla variazione della publica signoria da che fu introdotta tra gli uomini, si conoscerà chiaramente, che ella non in altro senso procede da Dio, se non in quanto, avendo egli tra gli altri doni naturali all' uman Genere dato ancor quello di sapersi conservare nella umana Società, difendersi dall' oppressione de' prepotenti, e custodire l' equità, e la giustizia contro la violenza de' malvagi, gli ha concesso ancora il diritto d' istituire i Principi, e i Magistrati, e di collocare la publica potestà, o in uno solo, che gli altri soprantendesse, o in alcuni de' più scelti, che di comun consiglio amministrassero la giustizia, e le violenze impedissero." Della Potestà e della Politia della Chiesa, da Bianchi, Roma, 1745. L. i. § i. n. 2.

vis ex communi consensu uni vel pluribus multitudo concedere possit jus quoddam præcipuum, non satis intelligitur invitos, licet paucos numero, plurimorum voluntate ligari, vel posteros majorum suorum teneri pacto, vel potestatem ad vitam tollendam reorum posse ab universis, licet consentientibus, demvari: ¹ ideoque ad merum pactum referri nequit potestatis civilis origo, quin infirma fiat et incerta: sed necessario agnoscendus est Deus, qui hominum quidem arbitrio regiminis formam reliquit, sua auctoritate ea quæ ad ordinem societatis tuendum fiunt, sanciturus.

3. Prima regiminis species videtur fuisse patrum familias, qui quum vita hominum foret diuturna, posteros plurimos sibi obtemperantes habuerunt, naturali veluti jure: sed quum multitudo in unum coaluisset, quæ vinculo hujusmodi non tenebatur, eligebatur virtute præstans et consilio, qui patris instar cæteris præset. Nonnumquam contigit viribus superiorem vi sibi arrogare imperium, quod legitimum non erat, nisi multitudinis consensu. Ex rectorum arbitrio sæpe injusto factum est, ut cætus consiliariorum adjiceretur qui leges ferret quibus regeretur populus: qui etiam sæpe sibi servavit jus eas probandi vel rejiciendi, ne paucorum dominationi penitus subessent. Turbis motibusque popularibus republica agitata ad unum aliquando summa rerum iterum delata est. Sic pro rerum vicibus, et hominum cupidine variatæ sunt regiminis formæ: quarum præstantissima plerisque unius imperium visum est: sed quum facile in tyrannidem degeneret, potior jam habetur respublica, electis a populo consiliariis cum Governatore. Hominum vitio hæc etiam paucorum utilitati sæpe inservit, cum plurimorum detrimento. “ Illud certum,” inquit Zallingerus de formis imperii disserens, “ quamlibet per se consentaneam esse naturali juri, et a subditis conservandam, certe ferendam; non est enim potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.” Nec dubium est, quin ingenium populi, mores

(1) Potestatem civilem esse a Deo, quamvis regiminis electio fiat a populo, ostendit Suaresius, ex eo quod plures exercent actus quorum nulla facultas penes homines est. Sic mortem reis irrogat, ultionemque facit criminum, quod jus suum esse Deus testatur. Conscientiam ligat, in quam nil possunt homines, divina deficiente sanctione. Vide L. iii. de Legibus, c. iii. n. 3. Qui ad merum pactum societatis rem reducunt, tollunt legibus vim, magistratibus reverentiam, reipublicæ securitatem. Vide Paley, *Moral Philosophy*, l. vi. c. 3.

longævi, ipsum clima locique situs ac natura aliam atque aliam publicæ rei ordinationem poscat, aut facilius admittat."¹

4. Monarchia *μοναρχία* dicitur unius regimen, qui si plena potestate, nullo limite coarctata, imperet, monarcha *absolutus* vocatur: qualis est Russarum Cæsar, vel Turcarum imperator.² *Constitutionalis* monarchia designatur imperium exercendum juxta leges et intra limites scripta *constitutione* definitos. Hujusmodi est Gallicum hodiernum imperium. Aristocratia—*ἀριστοκρατία*—optimatum concilium et potestas est. Democratia—*δημοκρατία*—est populi regimen, suprema potestate apud eum retenta. Quæ apud Anglos obtinet regiminis forma, temperamentum quoddam est ex singulis formis coalescens, nam rex summum tenet imperium, et legibus a senatu latis vim tribuit assentiendo: sed limitibus coercetur ejus potestas, nequit eum legibus derogare. Optimatum concilium auctoritate et gratia plurimum valet. Populus suis suffragiis eligit eos qui suas agat partes in cœtu altero, ex quo leges de tributis solvendis originem ducant oportet. Hanc veluti præstantissimam et perfectissimam regiminis formam verbis plurimis effert Blackstonius,³ Ciceronis nixus auctoritate, qui docet "esse optime constitutam rempublicam, quæ ex tribus generibus illis, regali, optimo, et populari, sit modice confusa."⁴ Ad democratiam magis accedit constitutio Americana, quæ tamen regimen *fœderatum* statuit, quod ex Statuum singulorum fœdere et concessione nascitur.⁵ Status singuli supremi sunt, et amplissimam sibi vindicant potestatem in rebus suis moderandis, quarum cura a populo demandatur Gubernatori, Senatui et cœtui eorum qui *repræsentantes* dicuntur, quorum conjuncta auctoritate feruntur leges, et magistratibus qui eas executioni demandant. Quæ pluribus suffragiis Senatus et cœtus repræsentantium probantur, vim habent legis, accedente Gubernatoris auctoritate: quæ si dene-

(1) Inst. Juris. Nat. et Eccl. publ. l. iii. n. cc.

(2) Docet Suaresius "potestatem civilem, quoties in uno homine, vel principè reperitur, legitimo ac ordinario jure, a populo et communitate manasse, vel proxime, vel remote, nec posse aliter haberi ut justa sit. Hæc est sententia communis jurisperitorum." L. iii. de Legibus. c. iv. n. 2.

(3) Introd. § ii. n. 51.

(4) In fragm. de repub. l. ii.

(5) l. 2. qu. cv. art. i. *Resp.* Id tamen negat Storius, qui contendit populum universum nova Constitutione creasse Gubernium Supremum, certis facultatibus ei delegatis, nullamque fœderis inter Status Supremos initi speciem in ea apparere. Vide Comm. Const. U. States, l. iii. c. iii.

gata fuerit, dux ex tribus partibus suffragiorum ad legem ferendam requiruntur. Auctoritas in quasdem res quæ communes omnium utilitates respiciunt, generali seu *fœderato* regimini ex pacto et conventionem statuum competit, quæ in ferendis legibus pari modo exercetur: pluribus scilicet utriusque cætus, senatus et repræsentantium, suffragiis, lex fertur, accedente Præsidis consensu; qui si defuerit, dux ex tribus partibus consentire debent ut lex valeat.

5. A nostræ reipublicæ forma non est aliena ea quam descripsit S. Thomas Aquinas. “Optima ordinatio principum est in aliqua civitate vel regno, in quo unus præficitur secundum virtutem qui omnibus præsit; et sub ipso sunt aliqui principantes secundum virtutem; et tamen talis principatus ad omnes pertinet, tum quia ex omnibus eligi possunt, tum quia etiam ab omnibus eliguntur.”¹

6. Postquam de leges ferendi potestate disseruerat Suaresius, infert, “potestatem hanc legislativam etiam esse in illis communitatibus perfectis, quæ per seipsas, et non per reges gubernantur sive aristocratically, sive populariter regantur, illud intelligendo cum proportione et cum partitione accommodata. Ita sumitur ex l. Omnes populi, ff. de justit. ut jur. et ibi docent omnes. Et ratio est etiam manifesta, quia hæ communitates in se retinent supremam potestatem gubernativam, cum non transtulerint illam in aliquem principem; ergo per illam possunt sibi leges condere. Unde fit, idem dicendum esse cum proportione de illis rebuspublicis, quæ supremam in se potestatem retinent, ut Veneta, Genuensis, et similes: quæ licet sibi unum ducem vel principem eligant, non tamen in eum transferunt omnem potestatem.”²

7. Finis civilis regiminis est reipublicæ salus, ad quam dirigi debent omnes principum actus, quum ea conditione potestas iis a populo commissa sit: “Quando verò potestas,” inquit Suaresius, “data est immediate ab ipsis hominibus, evidentissimum est non esse propter principis utilitatem, sed propter commune bonum eorum qui illam contulerunt, et ideo reges ministri reipublicæ appellantur.— Debent ergo ea potestate uti in bonum reipublicæ, a qua et propter quam illam acceperunt.”³ Id olim Basilius tradiderat: “Hoc enim

(1) l. 2. qu. cv. art. i. *Resp.*

(2) De Legibus, l. iii. c. ix. n. 6.

(3) Ibidem, l. i. c. vii. n. 5. Nihil novi protulit Vattelius: “It is evident that men form a political society, and submit to laws, solely for their own advantage and safety. The sovereign authority is then established only for the

tyrannus a rege differt, quod ille sua ipsius quomodocumque et undecumque respicit ac tuetur : hic subditis consulere tantum quærit.”¹
Patres concilii Toletani VII. regum munus explicantes eos exhibent: “ non prospectantes proprii jura commodi, sed consulentes patriæ.”²

common good of all the citizens, and it would be absurd to think that it could change its nature on its passing into the hands of a senate, or a monarch.” *Law of Nations*, l. i. c. § 39.

(1) Hom. in Prov.

(2) Cap. x.

CAPUT II.

DE LEGE CIVILI.

8. **LEX** civilis definiri potest æqua ordinatio stabilis ad bonum publicum condita et promulgata a suprema potestate cum intentione obligandi subditos. *Æqua* sit oportet, et viribus civium subditorumve attemperata, nam "nemo ad impossibile obligatur." Injusta autem ordinatio legis nomen non meretur: "mihî," inquit Augustinus, "lex esse non videtur quæ justa non fuerit."¹ Aliquando tamen gravia imponuntur onera urgente publica necessitate. *Stabilis* ordinatio, in perpetuum scilicet lata, vel ad tempus definitum, lex est, quæ enim jubentur huic vel illi semel iterumve facienda, præceptorum instar sunt. *Ad bonum commune* leges dirigantur necesse est, salus enim populi suprema est lex. Bonum publicum hic intelligitur ordo et tranquillitas societatis, et quod cum reipublicæ utilitatibus conjungitur: hic enim finis est regiminis civilis. *Promulgari* debet lex ut subditos liget, sed "in favorabilibus necessaria non est promulgatio."² Apud nos promulgata censetur lex, statim ac lata fuerit;³ exceptis nonnullis Statibus, in quibus viginti,⁴ triginta,⁵ vel sexaginta⁶ dies elabantur necesse est antequam vim habeat. "In Gallia legis promulgatio fit per illius insertionem in tabulas legum."⁷

9. Fuerunt qui contenderent populi consensum requiri etiam in regnis et imperiis, ut leges vim haberent, dicebant enim cas hac tacita conditione ferri, si a populo fuerint acceptatæ. Ita Canonistæ, et Juristæ communiter, item Navarre Azor, alique. Favere videbantur plura juris axiomata: "leges instituuntur quando promulgan-

(1) L. i. de lib. arb. c. v.

(2) Juris axioma.

(3) "A statute is to operate from the very day it passes." Kent's Comm. Vol. i. p. 3. Lec. xx.

(4) New York.

(5) Massachusetts.

(6) Mississippi.

(7) *Cursus Theol.* Vol. xii. col. 557. nota 1.

tur; firmantur cum moribus utentium approbantur.”¹ Justinianus quoque ait: “leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod iudicio populi receptæ sunt.”² In imperio Romano imperatoris decreta vim legis obtinebant ex potestatis plenitudine quæ censebatur ei a populo concessa, quum ad imperium eveheretur; “Quod Principi placuit,” inquit Justinianus, “legis habet vigorem: quum lege regia, quæ de ejus imperio lata est, populus ei et in eum omne imperium suum et potestatem concedat.”³ Cæterum libertate sentiendi hac in re relicta, satis habuit Alexander VII. damnare eorum sententiam, qui populum absque ulla causa rejicientem principis legem a culpa eximebant: “populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiant legem a principe promulgatam.”⁴ Ad nos quod attinet, quum in republica degamus, quæ juxta scriptam *Constitutionem* gubernanda est, leges vim suam omnem obtinent statim ac a cœtu publico, cui id muneris a populo demandatum est, latæ fuerint, et Gubernatori, seu præsidi, pro legum natura, fuerint probatæ. Populus quidem censetur supremam potestatem apud se retinere, ideoque posse in irritum mittere quæ delegati ab eo viri perperam tulerint, quod tamen vi et tumultu non est faciendum: sed lege semel lata, remedium superest, ut proximis comitiis eligantur alii qui eam refigant.

10. Leges civiles actus externos spectant, nam, ut ait S. Thomas, “de his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: iudicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus qui latent, sed solum de exterioribus actibus qui patent.”⁵ “In iis quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo: tenetur autem homo homini obedire in iis quæ exterius per corpus suum sunt agenda.”⁶

11. De rebus temporalibus, quæ ad ordinem publicum et salutem reipublicæ pertinent, feruntur leges civiles: quæ idcirco statuunt ordinem iudiciorum, criminum pœnas, contractuum condiciones, et civium singulorum jura, et magistratuum munia. Moribus civium ad tranquillitatem et securitatem publicam moderantur, naturæ leges sanctionibus novis inculcantes. Rectæ puerorum institutioni etiam legibus consulendum est, inde enim maxime pendet futura reipublicæ conditio. Ubi cumque olim divina innotuit revelatio, Ecclesia magis-

(1) Cap. In istis, dist. iv.

(3) Inst. l. i. tit. ii. n. 6.

(5) l. 2. qu. xci. art. i.

(2) C. iii. § de Leg.

(4) Prop. xxix.

(6) 2. 2. qu. civ. art. v.

tra, præcepta sacra in educationis et morum regulam sumebantur, et sacris ministris id muneris plerumque commendabatur: quod contigit cum magna reipublicæ utilitate: sed ex quo multitudo sententiarum divortio de fidei doctrinis discissa est, non poterant leges hujusmodi ferri absque gravissimis plurimorum querelis et turbis: quapropter apud nos leges jubent juvenes in scholis publicis instituentos, quin sectæ alicui faveatur, educationem et morum disciplinam a religione separantes. Leges hæ æquæ videntur, spectata societatis in tot partes scissæ conditione; sed perdifficile est pueros bonis moribus ita instituere; vel sectarum præcavere artes mentem teneram sensim sine sensu adversus Ecclesiam præjudiciis imbuentium; vel, quod præcipue timendum est, facere ut omnis religionis revelatæ sensus haud exuatur. Igitur optandum maxime ut lege detur libertas pueros pro parentum fide in scholis pie et sancte instituendi. Secus postera ætas moribus et sentiis deterior videbitur.

12. De Religione rebusque ad animæ salutem atinentibus leges civiles ferendæ non sunt, nisi placeat divinas leges commendare servandas, et munia ex divina auctoritate innotescentia injungere: quorum tamen iudicium ab Ecclesia pendet. Equidem imperatores principesque alii christiani consueverunt olim legibus sancire Ecclesiæ canones ut vim in civili foro haberent: sed non ideo sibi in res sacras arrogarunt potestatem. In præsentī rerum conditione, ubi tot sectæ in dies pullulant, leges hujusmodi gravamen inferrent cum pacis detrimento: quapropter sapienter Constitutione Americana vetatur ne Congressus aliquid de religione statuatur, quo ejus liberum exercitium impediatur.¹ Non ideo damnandi sunt majores nostri qui in florentissima reipublicæ Christianæ conditione, populo fide et pietatis communi studio conjuncto, civili sanctione Ecclesiæ definitiones et leges munierunt, præsertim quum id sæpe plurimum interesset ordinis et tranquillitatis publicæ. Numquam autem licuit lege civili aliquid statuere juri divino adversum; dicente Isidoro: "lex erit omne quod ratione constiterit, dumtaxat quod religioni congruat, quod disciplinæ conveniat, quod saluti proficiat."² Nimum effert Vattelius principum in rem religionis potestatem.³

13. Pulchre Augustinus concordiam Ecclesiæ cum variis gentium

(1) Amendment i. to Const. United States.

(2) L. v. Etymol. c. ii. Consentit Taylor: "When divine and human laws are opposed, these must always yield to those." Jer. Taylor, Duc. Dub. l. iii. c. i. vol. ii. p. 24.

(3) Law of Nations, l. i. c. xii.

instituti exponit: "Hæc ergo cœlestis civitas, dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur, vel tenetur, nihil eorum rescindens, vel destruens, imo etiam servans, ac sequens, quod licet diversum sit in diversis nationibus, ad unum tamen eundemque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem, qua unus summus et verus Deus colendus docetur, non impedit."¹

14. *Leges civiles rite feruntur in vitia, ut integri civium mores serventur, et divino nomini reverentia sit. Sic fornicatio, ebrietas, blasphemia, imo et diei dominicæ violatio plerorumque Statuum legibus puniuntur. Cæterum quum civilis auctoritatis sit paci et ordini consulere, potius quam animarum saluti, ea non solent prohiberi, quæ nihil obstant reipublicæ: imo plura tolerantur vitia, ne majora incommoda nascantur.*

(1) L. xix. de civ. Dei c. xvii.

CAPUT III.

DE LEGUM CIVILIUM OBLIGATIONE.

15. **CONSTAT** ex divinis Scripturis civili potestati obtemperandum esse; sic enim docet Apostolorum princeps: "Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei, ut beneficientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam."¹ Crimen est gravissimum legitimæ potestatis civilis exercitio resistere, præsertim cum ordinis tranquillitatisque communis detrimento: "Omnis anima," inquit Apostolus, "potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed propter conscientiam."² Perduellio præsertim eo loci vetatur, quæ admittitur quoties singuli, vel pauci legitimo imperio repugnant: quod si populi multitudo enormi et manifesto abusui potestatis resistat, ipsi potestati resistere vix dicendi sunt; nec enim a Deo potestas derivatur tyrannidem exercendi.³ "Imperantium siquidem nulli licuerit," inquit Gravina, "perfractis publicis legibus, evertere id cujus causa imperat. Omni enim privilegio statim excidet quisquis accepta potestate abutatur contra rempublicam, quæ communis salutis, communisque honoris causa principem peperit, et honoravit; exhæredationem namque meretur quisquis filiorum parentem oppresserit."⁴ Cæterum motus populares, etiam ex gravissima dominatione orti, vix unquam contingunt absque peccato, quum plerumque clades et calamitates eos sequantur. Gra-

(1) 1 Pet. ii. 13.

(2) Rom. xiii. 1, 2, 5.

(3) Vide S. Thom. 2. 2. qu. xlii. art. ii. cit. p. 120.

(4) L. sing. de Rom. imp. § xxvii.

vissime autem peccant qui temere et levi quocumque prætextu perturbant rempublicam.

16. In Statibus fœderatis, quum potestas suprema penes populum permanere censeatur, non peccat repugnando potestatis legumlatoribus vel Gubernatoribus commissæ manifesto abusui, vel alias emendando quæ contra *Constitutionem* a magistratibus vel aliis quibuscumque attentantur; non enim resistit potestati, sed usurpationi. Sed ordo publicus servandus est, turbæque vitandæ: nec levi de causa exercitio auctoritatis repugnandum; ne ex libertatis studio licentia oriatur, et factiosorum conatibus respublica ruat.

17. Legum vis ex dotibus eas ferentium non pendet, nam ethnicis imperatoribus et magistratibus Apostoli docuerunt obtemperandum esse: quapropter sequens Wicleffi propositio damnata est: "Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali."¹ Hinc leges nostræ quæ feruntur a cœtibus hominum qui absque discrimine religionis e civium numero seliguntur, paucis omnino vel nullis Catholicis intervenientibus, plena polent vi, quum publica auctoritate muniantur. Hinc recte docet Petrus Dens leges hæreticorum obligare subditos Catholicos;² quidquid sit de conscientiæ ligamine, de quo mox dicturi sumus.

18. Nullam esse obligationem legis injustæ constat, nam justitia omnino necessaria est ut lex dicatur.³ Omnis autem lex habenda est justa, nisi constet eam divino vel ecclesiastico juri adversari; vel ad communem civium utilitatem non esse directam; vel civium aliquos præ cæteris nimis gravare; vel excedere potestatem eam ferentis. Lex quæ divortium permittit, venia facta novi ineundi matrimonii, divino juri plane adversatur, quum Christus dicat: "Quod Deus conjunxit, homo non separet."⁴ Si lex clericis injungeret arma gerere, et stipendia facere, ecclesiastico adversaretur juri, cum ordinis sacri dedecore, et nulla reipublicæ utilitate, quidquid dicat Vattelius.⁵ Sic et leges quæ vetant ne subditi

(1) Prop. xiii.

(2) Tract de legibus qu. v. n. 33.

(3) "Laws are public mischiefs if they bind to injustice, and therefore, to establish any thing that is unjust or evil is against the nature of laws, and the power of the Superior, and the intendment of the Supreme. For God gives to no man power above or against himself." Jer. Taylor, Duc. Dub. vol. ii. p. 32.

(4) Matt. xix. 6.

(5) Law of Nations, l. iii. c. ii. § 10.

vota emittant in Ordinibus Religiosis injustæ plane sunt. Quum lex “nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta”¹ dicatur, si constet aliquid decerni quod in unius vel paucorum utilitatem tendat cum plurimorum detrimento, nulla est obligatio id servandi. Sed cavendum ne collegia civium publica auctoritate et lege instituta censeantur hujusmodi, cum plerumque civium omnium intersit ea lege foveri, ut commercium et publica opera felicius gerantur. Lex injusta est, dum gravantur nimis aliqui cives, uti contingit quando onera imponuntur colonis, immunitate fere relicta dominis: aliquando tamen pauperes et qui humilioris sunt conditionis immeritò queruntur se gravari. Quandocumque legumlatores potestatis suæ limites manifesto excedunt, nullam obligationem inducunt: v: g: si Congressus aliquid de religione statueret contra Constitutionis præceptum: vel si cæsus cujuslibet Status lege decerneret qua lingua prædicandum sit. Sic etiam principis qui habenas arripit, legitimo excusso auriga, leges non obligant, nisi quatenus populi consensu vel tolerantia tituli vitium sanatur: sed si jam possideat regnum, reipublicæ salus exigit ut leges ejus serventur.²

19. Quæruntheologi utrum leges omnes civiles conscientiam ita ligent ut peccet quis eas negligendo, etiam servata magistratibus reverentia, et ordine publico illæso. Si lex quæ mala per se sunt prohibeat, vel quæ divino jure præcipiuntur servanda velit, liquet conscientiam ligari, quum ex jure superiori, seu naturali, seu divino obligatio derivetur, quæ munitur adjecta civili sanctione.³ Si jura civium inter se lege definiantur, quæ alioquin forent incerta, tenet Blackstonius, celebris apud Anglos legum interpres, conscientiam ligari, adeo ut quisque rerum proprietatem ex legum sanctione, etiam nemine invigilante ut executioni demandentur debeat apud se determinare.⁴ Ex theologis plurimi, S. Thoma

(1) Can. 2. dist. 4.

(2) Vide Petrum Dens, tract. de legibus, qu. v. n. 34.

(3) “In regard to natural duties, and such offences as are *mala in se*: here we are bound in conscience; because we are bound by superior laws, before those human laws were in being to perform the one and abstain from the other.” Blackstone, Comm. Introd. sect. 2. n. 58.

(4) “It holds, I apprehend, as to *rights*; and that, when the law has determined the field to belong to Titius, it is matter of conscience no longer to with-

præeunte, omnes leges justas conscientiam ligare contendunt,¹ quum legitima potestate ferantur ad utilitatem reipublicæ ; Deo ipso vim iis tribuente ne cum detrimento plurimorum negligantur. “Leges positæ humanitus,” inquit S. Thomas, “sunt justæ vel injustæ. Si quidem justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ a lege æterna a qua derivantur, secundum illud Prov. viii. ‘Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.’ Dicuntur autem leges justæ et ex fine, quando scilicet ordinantur ad bonum commune : et ex actore, quando scilicet lex lata non excedit potestatem ferentis ; et ex forma, quando scilicet secundum æqualitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune : cum enim unus homo sit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipsum quod est et quod habet, est multitudinis : sicut et quælibet pars id quod est, est totius ; unde et natura aliquod detrimentum infert parti, ut salvet totum. Et secundum hoc leges hujusmodi onera proportionabiliter inferentes, justæ sunt, et obligant in foro conscientiæ.”² Gravissimis rationibus hanc sententiam munit Suaresius.³ Attamen theologi nonnulli sentiunt leges civiles, præsertim quæ pœnas transgressoribus intentant, conscientiam non ligare, quum eas ferentes satis habeant si officiales multas exigant ab iis qui rei inventi fuerint, iisve alias quas lex decernit irrogent pœnas : quod maxime dicendum videri posset de legibus in cœtibus publicis latis, quales apud nos sunt, non enim conscientiæ multum fidunt legumlatores, sed magistratibus et officialibus quorum opera leges executioni demandentur. Hæc sententia admodum probabilis auctorum numero⁴ et rationum pondere, Blackstonio⁵ probatur, Chittio⁶ aliisque contradicentibus. In foro civili

hold, or to invade it. So also in regard to *natural duties*, and such offences as are *mala in se* : here we are bound in conscience.” Blackstone’s Comm. Introd. sect. 2, n. 58.

(1) Dens post Sylvium tract. de legibus, qu. v. n. 33.

(2) l. 2. qu. xvi. art. iv. *Resp.*

(3) De Legibus, l. iii. c. xxi.

(4) Navarr. Cajet, Mazzot. et alii apud S. Alphons. l. i. n. 147.

(5) “In relation to those laws which enjoin only positive duties, and forbid only such things as are not *mala in se*, but *mala prohibita* merely, without any mixture of moral guilt annexing a penalty to non compliance, here I apprehend conscience is no farther concerned, than by directing a submission to the penalty, in case of our breach of those laws.” *Ubi supra*.

(6) *Ibidem. Note.*

distinctio inter mala in se et mala prohibita jam rejicitur, omniaque lege vetita pariter illicita habentur.¹

20. Quoties lex ita aliquid prohibet ut det optionem vel legem servandi vel mulctam solvendi, nulla admittitur culpa si quis præscriptum negligat, multamque solvat: sed plerumque lex rem districte prohibet, pœna intentata ne quis eam audeat violare. De legibus universim nolim affirmare eas obstringere conscientiam; sed nec velim asserere conscientiam iis tantum adstringi, quæ jus naturæ vel divinum explicant. Quæ leges feruntur ad moribus consulendum omnes videntur ligare, jure enim optimo prospiciunt legislatores morum integritati: qui facile corrumpuntur sanctionibus hujusmodi postpositis. Quæ igitur lex alicubi vetat ne mancipiis detur facultas suam locandi operam, sancte servanda est; ideo enim est lata ne iis detur furti occasio, ut dominis pecuniam promissam singulis mensibus persolvendam habeant, otio forsân languentes. Idem dicendum videtur de lege vetante ne quis liquorem inebriantem vendat absque licentia: id enim cautum est ne cauponæ numerosiores fiant cum morum detrimento. Quæ leges onerum publicorum æquam distributionem statuunt, servandæ etiam sunt, singuli enim cives debent ea pro viribus sustentare: “reddite ergo,” inquit Apostolus, “omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal, vectigal:”² sed quum enormia plerumque exigantur subsidia, non audeo dicere conscientiam ligari, adeo ut peccent quæ ea solvere omittunt, aut evitant. Equidem qui omnino detrectant publica subire onera, peccant, quum civium muneri desint: et qui fraudant fiscum cum magno sui discrimine, temere agunt, haud sine culpa: sed qui aliquando leges evadunt, non videntur peccati damnandi, si alioquin pro parte virili conferant in reipublicæ necessitates subsidia. Saltem ad restitutionem non videntur cogendi, quum respublica vix sibi eam polliceatur, officialium diligentia tota fidens ad colligendum tributa, et mulctas. In aliquibus Hispanicarum insularum portubus fraus de qua agimus adeo consuevit, ut mercator qui omnia solvit tributa, vix possit aliquid mercando lucrari in sui suo-

(1) “The principle is now settled, that the statutory prohibition is equally efficacious, and the illegality of the breach of the statute the same, whether a thing be prohibited absolutely, or only under a penalty. . . . The distinction between statutory offences, which are *mala prohibita* only, or *mala in se*, is now exploded; and a breach of the statute law, in either case is equally unlawful, and equally a breach of duty.” Kent’s Comm. vol. i. n. 467, 468.

(2) Rom. xiii. 7.

rumque sustentationem : quod contingit etiam ex vectigalium excessu. Ubi autem res in consuetudinem deducta est, vix principi ignota censetur, qui dissimulando videtur sua remittere jura. Cæterum peccant gravissime officiales qui contra juramentum quo se adstrinxerunt, munera accipiunt ut merces immunes invehi sinant: et mercatores qui jurati falsò referunt res a se navi impositas. Sunt qui vera referunt, sed plurima verbis generalibus includunt, quos damnare non audeo.

21. Leges quæ onera imponunt graviora vix obligant conscientiam; nec enim quis ea sponte suscipere censendus est, sed publica cogente potestate. Sic quæ militiam alicubi juvenibus injungunt per aliquot annos, ex qua magnum moribus imminet periculum, non videntur quemquam ligare, adeo ut eam evitans peccet.

22. Leges quæ judiciorum ordinem statuunt, et rerum gerendarum rationem, et totam politiam externam, non videntur ligare conscientiam, nisi quatenus intersit justitiæ, et utilitatis communis, et jurium civium singulorum.¹ Igitur qui eas negligit, nemine læso, non videtur peccati arguendus, dummodo munere speciali vel juramento non adstringatur ad eas servandas. Id eo magis dicendum quo passim aliquando negliguntur, omnium fere consensu. Sic nuperrime contigit chirographa unius nummi valorem indicantia, passim usurpari, contra legis vetitum, quod nullum infra valorem quinque nummorum sinit in hoc Statu adhiberi.

23. Leges quæ ad præcavendas fraudes oneris quid injungunt negligentibus quandam cautelam, non obligant nisi post judicis sententiam, si fraus reapse abfuerit: nam falsa nituntur præsumptione. Sic hæres, vel executor testamenti qui neglexit bonorum defuncti conficere inventarium, lege nonnumquam tenetur æs alienum quo gravatus discessit persolvere, censetur enim satis recepisse, quo id valeat: quæ legis præsumptio non facit ut qui minus recepit ad persolvendum teneatur.

24. Leges civiles non obligant plerumque cum gravi incommodo, nam humanæ omnes sanctiones debent communi hominum infirmitati attemperari. Cæterum juste præcipiunt leges ut tributa magna solvantur pro conferentium facultate et reipublicæ necessitatibus: imo ubi de salute publica agitur, gravissima onera injungunt cum vitæ

(1) "Where disobedience to the law involves in it also any degree of public mischief, or private injury, there it falls within our former distinction, and is also an offence against conscience." Blackstone, Comm. Introd. Lect. 2, n. 58.

discrimine, cives enim jubent arma gerere adversus hostes, et suppeditare subsidia. Sed duriores sunt leges, quibus pene totus laboris fructus colonis auferitur.

25. Pœnas quæ violatoribus legum intentantur nemo subire tenetur, nisi post judicis sententiam, ordine judiciorum servato: ita enim fert consuetudo. Quod si gravissima sit pœna, v. g: extremum supplicium, carcer diuturnus, exilium, bonorum confiscatio, culpandus non erit qui occasione utitur ut eam evadat: nec enim quisque nisi coactus eam pati intelligitur. Meritò igitur dicit Petrus Dens: "nimis durum et inhumanum foret, si quis bonis suis antea legitime acquisitis teneretur seipsum spoliare."¹ Eo magis licebit ante sententiam advocati opera uti ad damnationem declinandam. Leviores autem pœnas, quales sunt mulctæ, debent subiri, sententia lata: nam in re haud adeo ardua non est expectandum ut vis publica adhibeatur. Qui autem actus irriti legibus declarantur in pœnam, non sunt necessariò habendi irriti in conscientia ante judicis sententiam, si æquitas eis alioquin faveat; nam pœnam nemo nisi reus meretur: sed sententiæ obtemperandum est, ne judicum autoritate vilescente ordo publicus turbetur.

26. Legis civilis interpretatio authentica est, quæ tribunalium supremorum sententiis nititur.² Doctrinalis interpretatio fit ea juxta principia quæ dum de legibus ecclesiasticis ageretur recensuimus. Dispensandi potestas nemini competit, ipsi enim Gubernatores et Præsides executioni legum invigilare debent, quin aliquem iis subtrahat: quapropter si res exigat indulgentiam specialem, a cœtu legem ferentium petenda est, et lege decernenda. Ex quo Jacobus II. regno Angliæ excussus est, hæc dispensandi potestas ipsis regibus ab Anlis denegatur: quem præcipuum fructum regni eversi jactant.

27. Consuetudo vim legis obtinet quando ad jus commune refertur, scilicet ad juris principia semper agnita, et in regulam judiciorum constanter assumpta. Nulla autem vis est consuetudinis quæ legi scriptæ adversatur, juxta quam judices semper sententiam ferunt. Sed aliquando omnium veluti conniventia lex negligitur, uti nuper contigisse de chirographis superius retulimus. Speciali in casu lex

(1) Tract. de legibus, qu. v. n. 39. vi.

(2) "Judicial decisions of the highest tribunal, by the known course of the common law, are considered as establishing the true construction of the laws." Story, Comm. l. iii. c. iv. § 377.

desinit obligare, quoties utilitati et saluti reipublicæ manifesto adversatur.¹

28. Supremi principes, qui leges ferunt, ad eas servandas districto jure non videntur teneri, nisi quatenus rerum ipsa æquitas postulat.² Ex XII. tabularum lege "utique quibus legibus, plebiæve scitis, imperator solutus legnm necessitate habebatur," uti refert Dion,³ "cum haudquaquam," animadvertit Gravina, "eximatur princeps a vinculis honestatis, quæ leges perpetuò comitatur, quæque tantam a natura ducit auctoritatem, ut imperatores⁴ pronunciaverint, 'majus imperio esse submittere legibus principatum,' et Alexander⁵ sanctissime scripserit, 'nihil tam proprium imperii esse, quam legibus vivere; utcumque lex imperii,' (qua S. C. hoc meo⁶ et plurium judicio indicatur) solemnibus juris imperatorem solverit." Unde neque a communi gentium fœdere, neque a nexibus humanæ societatis eximitur princeps, neque legibus illis, quibus susceptum a se regimen incumbit.⁶ Hinc illa juris canonici et civilis axiomata: "Justum est principem legibus obtemperare suis." Et "Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri."⁷ In republica nostra dubitari nequit eos qui ferunt leges et magistratus supremos gerunt, ne præside quidem excepto, eadem qua cæteri cives ligari necessitate eas servandi, omnes enim cives pari sunt conditione.

29. Utrum singuli Status fœderati legibus a *Congressu* latis omnino teneantur, vehementer disceptatur: sunt enim qui tenent singulorum esse judicare utrum *Congressus* eas ferendo potestatis sibi conceditæ limites excesserit, et utilitates Statuum quorundam neglexerit, et leges idcirco nullas declarare, et omni privare effectu intra suum territorium:⁸ alii verò affirmant Status omnes, sicut et

(1) "When a law by the change of things or cases is become an enemy to the common good, it is not to be observed, saith Aquinas; and he gives this instance: A law is made that in the time of sieges the gates of a city be always kept shut; but the guards are not tied to obey this law, when the citizens fly thither from the danger of the enemy." Jer. Taylor, Duct. Dub. l. iii. c. i. vol. 2. p. 35.

(2) Vide De Vattel, Law of Nations, l. i. c. ix. § 49.

(3) L. liii. p. 509, et 516.

(4) L. digna vox, iv. c. de legibus.

(5) L. iii. de test. et quemadmodum test. aper.

(6) Gravina L. sing. de Rom. imp. § xxvii.

(7) Cap. Justum Dist. 9.

(8) De hujus sententis patronis dicit Marshall, supremus judex: "They maintain, that the constitution of the United States has provided no tribunal for

singulos cives, ligari illis legibus, quum potestas qua feruntur a populo ipso manaverit; quod si in dubium revocetur utrum Congressus ea abusus sit, remedium superesse, controversia deducenda ad Curiam Supremam, quam interpretem prædicant Constitutionis et legum, arbitrio summo præditam, cujus sententia omnes, tum Status, tum cives, dicunt ligari. Quod si Status aliquis se ea gravari sentiat, non poterit idcirco Constitutionem violare, legi vel sententiæ resistendo; sed expectanda erit Constitutionis emendatio, quæ non nisi tribus ex quatuor partibus omnium Statuum consentientibus poterit fieri.¹ In gravissima hac disceptatione, quæ aliquando civilis belli periculo haud caruit, singuli cives poterunt eam sententiam quæ sibi visa fuerit æquior sequi; vel dubitatione manente cuique licebit potestati cui subest obtemperare: vix enim poterit teneri cum gravissimo sui discrimine vel detrimento, in re dubia imperio resistere. Id etiam dicendum putamus, licet quis sibi persuasum habuerit Statui non licere quid attentare contra legem Congressus; nam non tenetur propriæ sententiæ inhærere in re controversa, Statu, cujus est civis, supremam sibi vindicante potestatem. Quod si juramento se adstrinxerit ad obtemperandum Supremo Gubernio fœderato, res fit difficilior, dum hujus jussa sui Status imperio repugnant: attamen quum juramentum hujusmodi intelligendum sit juxta Constitutionem et conditiones fœderis, vis ejus infirma videtur in iis de quibus adeo vehementer controvertitur. Igitur non audemus eum damnare Statui obtemperantem.

the final construction of itself, or of the laws or treaties of the nation; but that this power may be exercised in the last resort by the courts of every state in the Union." *Cohens v. Virginia*, 6 Wheat. R. 264.

(1) Hanc sententiam propugnat Storius, Comm. Const. U. States, l. iiii. c. iv.

APPENDIX.

DE LEGUM CIVILIUM VARIETATE.

1. *Jus civile* apud nos consuevit vocari illud quod in imperio Romano obtinuit, *Romanum* idcirco, et *Cæsareum* et *commune*, ab aliis nuncupatum. Ejus originem eleganti opere refert Gravina, quem juris studiosis plurimum commendamus. Exordia a condita Urbe repetuntur, legibus enim reges creditam sibi rempublicam ordinarunt, quæ a P. seu Sexto Papyrio collectæ *juris Papyriani* nomine feruntur. Actiones etiam, seu formulæ solemnes jure agendi, a Cneo Flavio divulgatæ, *Flavianum jus* nuncupatæ sunt. Anno U. C. CCC. legati tres, per Italiam et universam Græciam, leges quærentes, plures retulerunt quas *decemviri*, eum in finem electi, in duodecim tabulis æneis exsculptas, postquam emendatæ et ad mores Romanos inflexæ, populo fuerant probatæ, publice in foro servandas proposuerunt. Accesserunt deinceps *plebiscita*, seu populi decreta rogante plebis tribuno lata, et *Senatusconsulta*, quæ populo probante legis vim obtinuerunt. *Constitutiones* etiam imperatorum prodierunt, quibus in unum a Gregorio quodam, anno Christi 272, collectis, *codex Gregorianus* editus est, quem secutus est *codex Hermogenianus* ab auctore nuncupatus, et *codex Theodosianus*, Theodosio juniore imperante, anno 438, confectus. Ex his codicibus, aliisque principum posterioribus constitutionibus codicem suum edidit Justinianus, anno circiter 530. *Pandecta*, seu *Digesta*, postea in lucem emitti curavit, omnia fere quæ a jurisperitis tradita fuerant responsa ordine quodam complectentia, et digerentia: elementa verò jurisprudentiæ *quatuor libris institutionum* exponi fecit. *Decisiones* L. de tot juris controversiis novæ Codicis editioni inseruit. Quæ postea a Justiniano latæ sunt constitutiones XCVIII. ad mortem usque, *Novellæ* appellantur; *authentici* voluminis nomine versioni anonymi cujusdam, qui verbum verbo Latine reddidit, tributo. Ad annum usque 867, seu 910, viguit jus Justinianæum apud Græcos, cui suf-

fecti sunt *libri Basilici*, seu *leges imperatoris*, quæ tamen ex jure illo maxime constabant, quæque ad eversum penitus Græcorum imperium, anno 1452, servabantur. In Ravennæ ditione, et in Illyrici finibus, *jus Justinianæum* aliquamdiu obtinuit, ad annum circiter 752, quando Ravenna ab imperio per Aistulphum Longobardorum regem fuit avulsa. Cæteris in regionibus Occidentis nunquam viguit, barbaris, qui eas occupant, suis moribus et institutis adhærentibus, donec anno 1130 imperante Lothario, Amalphi, urbe Salerno proxima, *Digestorum libri* reperti sunt. Ravennæ eo circiter tempore *Codex* aliique juris libri in lucem iterum prodierunt. Inde paulatim *jus Romanum*, seu Justinianæum, faventibus Pontificibus, per plerasque Europæ regiones obtinuit. *Feudorum liber* veteri juri Romano accessit. Institutiones hoc modo citantur *Inst. Just. ff. de rer. divis. § item ea.* id est in Institutionibus Justiniani, titulo de *rerum divisione*, paragrapho qui incipit, *item ea.* Digesti leges sic citantur. *L. creditor*, vel *L. 23. D.* vel *ff. de pignoribus*; id est *Lege creditor*, vel *Lege 23 digestis*, seu titulo de *pignoribus*. *Codex* sic citatur *L. novum*, vel *L. 2. C. de appel.* id est *Lege* quæ incipit *novum*, vel *L. 2. codice de appellationibus. Novellæ* seu *authenticæ* sic citantur *authent.* vel *novell. ut factæ novæ const.* vel *authent. 66. Cap. 1. § igitur etiam*: id est *Authentica* cujus titulus est, *ut factæ novæ Constitutiones*, quæ est *66 Cap. 1. § qui incipit, igitur etiam.* Liber feudorum sic citatur: *feud. ff. de prohib. feud. alien. C. vel L. quonian.* id est in *libro feudorum*, titulo de *prohibita feudi alienatione*, in *Capite vel lege* quæ incipit, *quonian.*

2. *Jus civile* aliquando sumitur pro cujuslibet gentis legibus, quas *jus municipale* aliis placet designare. “*Jus civile*,” inquit Justinianus, “est quod quisque sibi populus constituit.” *Jus commune* Angli jurisperiti ea dicunt juris principia juxta quæ tribunalia semper consueverunt judicare, quæque licet in codice legum non reperiantur, ex legibus regum veterum Alfredi vel Eduardi derivari censentur. *Statutorum jus* vocant leges in codicem relatas.¹

(1) “The first ground and chief corner stone of the law of England, is a general immemorial custom, or common law, from time to time declared in the decisions of the courts of justice; which decisions are preserved among our public records, explained in our reports, and digested for general use in the authoritative writings of the venerable sages of the law.” Blackstone’s Comm. Introd. § 3. n. 73.

3. Louisianae Status jus civile Romanorum sequitur;¹ sed et leges fert speciales loco temporique accommodatas. Cæteri plerique Status jus commune Angliæ adhibent, quod ante libertatem adeptam in coloniis viguerat, sicut et leges latas a cœtu Anglico legumlatorum ante annum 1776, quatenus rerum conditioni accommodantur.² Sed et quilibet Status suas fert leges, quæ sæpe ad juris civilis sanctiones magis accedunt, sicut alicubi de filiis legitimis habendis, quorum parentes post eorum navitatem matrimonio sunt conjuncti. Suprema Curia etiam utitur communi jure, potestatem nullam inde derivans, juxta sententiam Duponceau, sed id veluti adminiculum et instrumentum suæ potestatis a populo derivatæ usurpans.³ Congressus leges fert intra limites sibi a Constitutione definitos. Optandum plerosque sacerdotes præcipua callere juris principia, quæ ex lectione jucundissima Blackstonii, vel Kentii commentariorum addiscentur; et leges etiam nosse Status in quo sacrum exercent ministerium, quæ in *digesto* in compendium redactæ reperiuntur.

(1) "The courts of Louisiana do not proceed according to the rules of the common law, but of the civil law." Kent's Comm. p. 2. lect. xvi. n. 347.

(2) "The common and statute law of England prior to the fourth year of James I., and of a general nature, were adopted by statute in Virginia in 1776.—In 1817, the common law was adopted by statute in the state of Indiana; and it is understood, that the common law and the statute law of England down to the year 1776, and applicable to their constitution and circumstances, are the law in the state of Mississippi." Kent's Comm. Vol. i. p. 3. lec. xxi. Note. In constitutione Neo-Jersæ declaratur: "the common law of England, as well as so much of the statute law, as have been heretofore practised in this colony, shall still remain in force, until they shall be altered by a future law of the legislature; such parts only excepted as are repugnant to the rights and privileges contained in this charter." *Constitution of New Jersey, art. xxii.* Statuta Pennsylvaniae, anno 1777, jus commune et statuta Anglica quæ antea obtinuerant, vim retinere jubentur. Vide Purdon's *digest.* Art. *Acts of Assembly.*

(3) "Mr. Du Ponceau . . . maintains, that we have not, under our federal government, any common law, considered as a source of jurisdiction; while on the other hand, the common law, considered merely as the means or instrument of exercising the jurisdiction, conferred by the constitution and laws of the Union, does exist, and forms a safe and beneficial system of National jurisprudence." Kent's Comm. Vol. v. n. 339. Storius dicit: "The whole structure of our present jurisprudence stands upon the original foundations of the common law." Story Comm. Constit. United States l. i. c. xvi. § 157. "It would be a most extraordinary state of things, that the common law should be the basis of the jurisprudence of the States originally composing the Union; and yet a government engrafted upon the existing system should have no jurisprudence at all." *Ibidem.*

TRACTATUS VII.

DE PECCATIS.

CAPUT I.

DE PECCATORUM DIVISIONE.

1. "UBI non est lex," inquit Apostolus, "nec prævaricatio."¹ Peccatum igitur ab Ambrosio recte definitur "prævaricatio legis divinæ;"² apud Augustinum, "peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam."³ Equidem peccant qui violant leges humanas, vel quæ Deus ipse legi æternæ addidit præcepta: sed ideo quod ipsa lex æterna jubeat omnia servanda quæ Deus jusserit, vel quæ homo, Deo sanciente, præceperit; "non enim est potestas nisi a Deo."⁴ Omissio etiam officii alicujus peccatum est, quum lex violetur, quoties ex culpa hominis non impletur.

2. Peccatum *originale* illud dicitur quod unicuique homini ab Ada derivatur: *personale* est quod quis sua voluntate admittit. Hoc *mortale* est quandocumque divinæ legi graviter adversatur, et ideo mortem infert animæ, eamque pœnis æternis facit obnoxiam: *veniale* est levis legis transgressio, quæ hominem non penitus avertit a Deo, tamquam ultimo fine, sed aliquatenus divertit ab eo, eumque ideo pœnæ reum facit, ad tempus irrogandæ. Ab Augustino consuevit vocari quotidianum peccatum: "De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fide-

(1) Rom. iv. 15.

(2) Ambr. l. de paradiso, c. viii.

(3) L. xxii. contra Faustum, c. xxvii. (4) Rom. xiii. 1.

lium oratio satisfacit. . . Delet omnino hæc oratio minima et quotidiana peccata.”¹

3. Peccatum *commissionis* dicitur quod actu patrat contra Dei legem : v. g. furtum. Peccatum *omissionis* est id negligere quod lege faciendum præcipitur : v. g. eleemosynas tribuere pauperibus. Præcepta *negativa* quibus aliquid vetatur, *semper* et *pro semper* dicuntur obligare, numquam enim licet facere quod lege prohibetur, nisi verba legis limites vetito adsignent. Sic numquam licet falsum proferre testimonium. Præcepta *affirmativa* quibus aliquid injungitur, obligant *semper*, quia vis eorum manet; sed non *pro semper*, non enim actus semper eliciendi sunt, sed occasione data. Sic honorandi sunt parentes, quandocumque occurrit necessitas iis testimonia amoris honorisque præstandi.

4. In peccato omissionis voluntatis exercitium reperitur, nam homo vult non implere præceptum, vel omittit velle arbitrio suo et voluntate. Quod si ludus, ebrietas, libido sit omissionis causa, malitia inde mutuatur. Qui pila ludens Sacro adstare negligit, non tenetur omissionis causam confiteri, quum specialis nulla ei insit malitia; qui verò potando fit ineptus huic muneri, debet id confiteri, quum nimia potatio sit peccatum, et peccati omittendi Sacri causa. Eo magis declaranda est omisio, si menti observatum sit ejus periculum, dum quis operi illicito vacare proposuerit; sicut aliquando contingit homini consortium puellæ petenti, a qua se noverit impediendum ne domum redeat, uxori infirmæ vel pauperi necessaria subsidia suppeditaturus : quo casu peccatum omissionis incipit imputari statim ac causa posita est. Si nihil omnino de muneribus adimplendis cogitaverit, reus tamen est, quum teneretur se paratum habere, et ideo obicem ponens censetur velle ea omittere. Plerumque debet in confessione recensere quæ neglexit munera, et exponere utrum id contigerit voluntate, vel occasione vitii quo irretiebatur. Cæterum si per diuturnum temporis spatium omnia neglexerit pietatis munia, satis est id dicere, quin singula minutatim referat.

5. Peccatum *spiritale* vocari solet quod mente præcipue admittitur : v. g. superbia : *carnale* est quod corpore consummatur : v. g. homicidium. Cæterum pleraque vitia carni tribuuntur, quum eo nomine designetur in Scripturis natura vitiata : “ Manifesta sunt opera carnis ; quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolo-

(1) Enchirid. Cap. lxx.

rum servitus, veneficiæ, inimicitæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.¹”

6. Peccatum dicitur *actuale*, quando actu patrat v. g: actus homicidii: peccatum *habituale* est macula quæ animæ inhæret donec culpa eluatur: ita quoque vocatur peccandi consuetudo. Qui consuevit se inebriare peccatum habituale admittit: qui semel ebrius fuit, culpa immunis non est, donec pœnitentia eam expiaverit. Peccata omnia contra Deum sunt, juxta illud: “Tibi soli peccavi:”² cæterum quædam *contra Deum* dicuntur speciali ratione, quod scilicet eum directè respiciant: ex. gr: blasphemia, impietas: peccata *contra proximum* homines attingunt: v. gr: furtum, homicidium: peccata *contra seipsum* ordinem quem in se gerendo servandum unicuique ratio præscribit, turbat: v. gr: ebrietas, mollities. Peccata *ignorantiæ* sunt quæ ex ignorantia, culpabili tamen, originem trahunt: uti ea quæ contra sua munera admittunt medici imperiti; peccata *infirmiæ* vocantur, quæ ob tenues naturæ vires admittuntur ab hominibus alioquin bonæ voluntatis: v. g: culpæ veniales, vel graves ex vehementiori tentatione ortæ: peccata *malitiæ* sunt quæ admittunt homines nequam voluntatis pleno affectu. Huc referuntur pravæ consuetudines quas quis emendare negligit; nam peccatum diligere et fovere vincitur, qui illud patrare consuevit. “Quandocumque aliquis utitur habitu vitioso, necesse est quod ex certa malitia peccet: quia unicuique habenti habitum est per se diligibile id quod est ei conveniens secundum proprium habitum.”³ Cæterum qui consuetudinem emendare studet, non erit peccati malitiæ reus, si quandoque vi consuetudinis labatur; sed oportebit indesinenter reluctari, vigilare et orare, donec eam penitus evellerit. Quæ interim admittit infirmiæ peccata sunt, sed a gravi reatu haud immunia.

7. Peccata quædam graviora in Scripturis dicuntur ad cælum clamare, quia scilicet iram Dei vehementissime provocant, et pœnas merentur gravissimas. Sic de homicidio habetur illud Dei ad Cain: “Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.”² De nefandis impudicitæ sceleribus “dixit Dominus: clamor Sodomorum et Go-

(1) Gal. v. 19.

(2) Ps. l.

(3) S. Thomas, 1. 2. qu. lxxviii. art. ii.

(4) Gen. iv. 10.

morrhæ multiplicatus est, et peccatum eorum aggravatum est nimis.”¹ Injurias pauperibus illatas, præsertim viduæ et pupillo, se ulturum minatur, clamore eorum veluti excitatum : “ Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum.”² Operarios juxta mercede fraudatos clamantes se auditurum innuit : “ Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit.”³

8. *Peccata contra Spiritum Sanctum* specialiter dicuntur quæ divinæ gratiæ maxime adversantur, et aditum ad veniam veluti occludunt. *Præsumptio de Dei misericordia*, qua homo in peccata ruit præceps, veniam sibi fidenter pollicens, quem monet sacer scriptor : “ Ne dicas : Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur ;”⁴ et *desperatio*, qua, spe penitus abjecta, quis se cupiditatibus dedit; contraria ratione Spiritus Sancti gratiam excludit. Fideles hortatur Apostolus ne ambulent ethnicorum instar, “ qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudiciæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam.”⁵ *Impugnatio agnitæ veritatis* obex est gratiæ gravissimus, vix unquam superandus ; de ea quippe locutus est Christus, eos arguens qui contra rerum evidentiam mira sua opera dæmoniacæ virtuti tribuebant : “ Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.”⁶ Hos imitantur “ magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis,”⁷ “ homines corrupti mente, reprobi circa fidem.”⁸ *Obstinatio* eorum qui nolunt intelligere ut bene agant, et consultò rejiciunt subsidia ad salutem, est etiam peccatum speciale contra divinum Spiritum. Judæos pertinaciæ arguebat Stephanus, veluti Spiritui Sancto repugnantes : “ Dura cervicis et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.”⁹ *Invidia boni spiritualis alterius* qua quis invidet alienæ virtuti, obicem gratiæ Spiritus Sancti objicit. *Impenitentia finalis*, qua quis e vita decedit peccato inhærens, interitum inducit æternum. De ea explicant plures illud Joannis : “ est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.”¹⁰

(1) Gen. xviii. 20.

(3) Jac. v. 4.

(5) Eph. iv. 19.

(7) 2 Pet. ii. 1.

(9) Act. vii. 51.

(2) Exod. xxii. 23.

(4) Eccl. vi. 6.

(6) Matt. xii. 31.

(8) 2 Tim. iii. 8.

(10) 1 Joan. v. 16.

9. Peccatum quod nonnulli excogitaverunt *philosophicum*, quod scilicet rationis dictaminibus adversatur, quin legi divinæ repugnet, meritò explosum est, uti alibi ostendimus.¹

10. Libertatem arbitrii ad peccandum requiri constat, ideoque recte dicit Augustinus: "peccati reum tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est et insanix."² Quandocumque igitur aliquid fit ratione haud advertente, vel voluntate haud consentiente, culpa caret: quæ autem exigatur advertentia, disceptatur; quidam enim tenent sufficere virtualem et interpretativam, alii exigunt actualem advertentiam malitiæ, aut periculi illius, aut saltem obligationis illam advertendi. His favet S. Alphonsus, qui tamen fatetur ea quæ fiunt ex ignorantia culpabili esse voluntaria in causa: "Mihi omnino tenendum videtur si ignorantia nullo ex prædictis modis fuerit voluntaria, et homo nullam habuerit actualem advertentiam malitiæ, vel periculi, nec directe, nec indirecte, neque in se, neque in sua causa, tunc nullo modo imputantur ei errores quos non advertit. Ratio, quia ut imputentur alicui effectus cujusdam causæ, debet necessario præcedere (saltem in principio) advertentia actualis et expressa malitiæ objecti."³

(1) Tract. De Loge Divina, c. i. n. 10.

(2) L. de duabus animabus, c. xii.

(3) L. v. Tract. de pec. c. i. dub. i. n. 4.

CAPUT II.

DE PECCATORUM DISTINCTIONE.

§ I. DE SPECIE DIVERSA.

11. SCHOLARUM doctores quærent unde peccatorum species repetendæ sint: quorum aliqui cum S. Thoma Aquinate ea ex objecto distinguenda tradunt: "actus voluntarii distinguuntur specie secundum objecta, unde sequitur quod peccata proprie distinguantur specie secundum objecta."¹ Hæc de objecto morali, potius quam physico, intelligenda sunt. Alii distinctionem specificam repetunt ex oppositione actus virtuti diversæ, vel eidem virtuti, contrario, vel diverso modo; vel ejusdem virtutis exercitio diversa ratione. Sic infidelitas differt ab odio, quia hoc charitati, illa fidei adversatur: prodigalitas et penuria, quæ contrario modo liberalitati repugnant, specie differunt: furtum et calumnia diverso modo justitiæ opponuntur. Alii ad leges seu præcepta, quæ diversa ratione nituntur, referunt peccatorum speciem. Sic clericorum percussio violenta legi naturali et ecclesiasticæ repugnat: et ideo, præter injustitiam, sacrilegii induit malitiam, quod lex ecclesiæ eam vetet ob reverentiam sacro ordini debitam. E contra, violatio jejunii sabbato quatuor temporum in quod vigilia inciderit, unicum est peccatum, quia utrumque Ecclesiæ præceptum eadem nititur ratione, nempe ut homines penitentis operibus peccata expient, et animas Deo parent habitaculum.

§ II. DE NUMERO PECCATORUM.

12. In numero peccatorum distinguendo ea quæ extra animum non prodeunt ab aliis quæ exterius consummantur, discernenda sunt. Peccata quæ dicuntur cordis, quæ scilicet intra animum consistunt,

(1) S. Thomas 1. 2. qu. lxxii. art. i.

multiplicantur pro ratione singulorum actuum voluntatis, quia unus ab alio non pendet. Hinc qui hæresim animo fovet, novum admittit peccatum, quoties deliberante animo novum errorem contra fidem pertinaciter amplectitur, vel eidem novo actu adhæret. Illa actuum multiplicatio in confessione explicanda est, quæ tamen plerumque et temporis diuturni mentione et frequentia actuum est colligenda: vix enim quis valet singulos actus referre. Sic juvenis qui cupiditate accensus cogitationes turpes cum voluptate per annos aliquot fovere consuevit, et desideria etiam prava, satisfacit si confiteatur illam consuetudinem, et simul explicet actuum frequentiam majorem vel minorem. Aliquando actus illi interni ex unico cupiditatis impetu oriuntur, ideoque unum peccatum constituunt, licet breve intervallum intercedat; sicut contingit homini libidine flagranti visa puella, vel odio ob acceptam injuriam.

13. Quoties quæ interius concipiuntur foris prodeunt ore vel opere, peccata multiplicantur morali quacumque actuum interruptione: scilicet si voluntas retractetur, vel si quis voluntarie et libere cesset a proposito pravo. Sic si quis vituperia effundens, se tandem cohibeat, alioque recedat; sed postea ira iterum excandescens, redeat, nova additurus, iterum peccare convincitur. Sic et rixantes aliquando separantur amicorum interveitu, et deinceps obviam sibi facti renovant pugnam, novum admittentes peccatum.

14. Quærent theologi utrum malum voluntatis propositum interruptum censendum sit, mente ad alia ad tempus necessariò distracta, vel corpore somno presso, quin animi consilium mutetur. Plerique asserunt non interrumpi: sed difficile continuatur per plures dies. Qui adulterium sibi proposuit patrandum, et artes decipiendi animo versat per dies plurimos, interim necessariis negotiis vacans, donec id perficiendi opportuna data sit occasio, unum videri posset admittere peccatum, in quod totus intendit: sed ob tot mentis distractiones interpositas videtur pluries peccare, quum toties renovet pravam propositum.

15. Quoties mentis consilium actibus prodiit qui inter se connectuntur, fini eidem inservientes, ad idem peccatum omnes referuntur. Hinc qui animo inimicum interficiendi tela emit, paratque, et iter arripit, insidias ei instructurus, homicidio post dies aliquot patrato, unius peccati reus habetur. Qui rem retinet alienam, nullo restituendi concepto consilio, non censetur mora multiplicare peccata, quum perversa voluntas eadem maneat, et re retenta continuetur:

secus si post propositum restituendi, eam novo voluntatis actu retinere decernat.

16. Actus externi tot peccata censentur quot sunt actus pravi ad actum præcipuum, veluti partes ad totum, vel instrumenta ad finem, non directi. Si quis absque intentione flagitii patrandi puellam minus pudice tangat, osculetur, amplectatur, toties peccat, quum actus hi inter se non junguntur. Qui hominem percussit violenter absque homicidii consilio, iterum peccat si post percussorem ira magis accensus eum interficere decernat. Actus externi junguntur in unum, si ex uno impetu oriuntur, sicut contingit homini vituperanti proximum, vel percutienti ex ira; vel ex libidine puellam pluries simul tangenti inhoneste: vel si ad eundem finem dirigantur, sicut verba obscena, tactus aliaque hujusmodi ad copulam aliquando diriguntur, quæ idcirco in confessione non sunt necessario recensenda, dummodo quis copulam fateatur. De tactibus qui statim sequuntur copulam idem dicunt plures theologi, quorum sententia probabilis est, iudice S. Alphonso;¹ tactus enim hujusmodi habentur veluti complementum copulæ. Secus dicendum de copula etiam statim iterata, quæ novum plane est peccatum.

17. Subsidia et instrumenta ad peccatum aliquod, tamquam finem, adhibita peccata sunt, quorum malitia ex fine definitur, licet hunc quis non attigerit, vel obice objecto, vel mutata voluntate. Qui animo puellam ad coitum inducendi eam osculatur et tangit, reus est criminis quod voluit patrare, ideoque actus illos ex eo fine admissos debet confiteri: licet ipse mutato consilio noluerit progredi. Si ab initio noluerit crimen ipsum patrare, in solis tactibus se sistere volens, et instigante libidine ultra progrediatur, priores illi tactus a peccato præcipuo sunt etiam distinguendi, utpote peccata in se completa. Qui voluerit paulatim subtrahere magnam pecuniæ copiam, ne si simul sumpsit, detegatur, peccat graviter quoties sumit, quum quilibet actus in se consummatam habeat malitiam.

18. Quoties unus actus plura spectat objecta integra, et a se invicem distincta, tot peccata includit, quot sunt objecta, juxta communem sententiam S. Alphonso probatam. Si quis ex intentione omnes perdendi incendat domum in qua novit centum homines congregari, reus est mortis omnium. Sic si dicat de collegio presbyterorum, vel aliorum, omnes esse impudicos, vel fraudulentos, tot hominum lædit famam.

(1) I. v. c. i. dub. ii. art. ii. n. 41.

19. Quando eodem actu diversis rationibus quis læditur, plura eo contineri videntur peccata. Sic qui alterum falso accusat fraudis, furti, perjurii, tribus rationibus infert injuriam famæ. Nonnullis tamen videtur unicum peccatum gravius pro injuriarum ratione. Cæterum quæ in jurgiis proferuntur ad unum peccatum reducuntur, quum ex eodem iræ impetu proficiscantur, et injuria nulla plerumque inferatur: non enim fides eis adhibetur. Inter eos qui vilis sunt conditionis a culpa gravi facile excusantur dicitia temere prolata, nisi specialis criminis accusatio fiat.¹

20. Actus respiciens objecta plura, quæ instar unius se habent, unicum est peccatum. Sic fur auferens pecuniam in mensa nummulariorum a plurimis repositam unicum admittit peccatum; sed nummularius in suos usus vertens quæ a plurimis accepit servanda, singulis facit injuriam. Eucharistiam administrans indigne plurimis ad sacram mensam simul accedentibus, unius peccati reus plerisque videtur, est enim convivii instar. E contra, plures absolvens indigne peccat toties, quum judicium perficiatur quoad singulos, et actus sit in se completus.

§ III. DE GRAVITATE PECCATORUM.

21. Error Stoicorum fuit omnia peccata esse paria; sed repugnat ratio, cui magis adversantur flagitia nefanda contra naturam, quam delicta contra caritatem proximo debitam. Scriptura etiam de quibusdam veluti immanibus criminibus sæpius loquitur, levius in culpas plerasque animadvertens: "Væ homini illi per quem filius hominis tradetur."² Hujus facinus malitia longe præstare Pilati iniquo judicio docuit Christus: "Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet."³ Protestantes peccata inter se differre fatentur, quatenus quædam magis repugnant rationi et legi divinæ: sed omnia Dei iram et interitum æternum pariter mereri plerique contendunt.⁴

(1) Vide S. Alph. l. v. c. i. Dub. ii. art. ii. n. 48.

(2) Mat. xxvi. 24.

(3) Joan. xix. 10.

(4) Recitato Jacobi testimonio, c. ii. 10. dicit Newland post Burnetum: "Hence we conclude, that all opposition to the commands of God, is worthy of death, though at the same time we admit a great variety in the degree of guilt attached to different sins." Analysis of Burnet's Expos. art. xvi. p. 209. Vido et Larger Cat. Presb. n. 152.

22. Peccatorum gravitas ex majori oppositione divinæ legi dime-tienda est. Objectum, finis, et adjuncta perpendenda sunt, ex his enim derivatur malitia. Ebrietas per se gravior est mendacio: at-tamen si hoc proferatur ad innocentis famam denigrandam, præter-greditur illius gravitatem. Qui jocatur puellam seducendi causa, longe gravior peccat alio ex animi levitate similia proferente. Pro majori vi animi et nisu quo voluntas peccatum prosequitur, et diu-urniori affectu cum libertatis exercitio, gravior est. Quæ virtuti præstantiori repugnant, et quidem modo contrario, graviora cæteris plerumque sunt. Sic odium Dei gravissimum est, utpote charitati, quæ summa est virtus, omnino adversum. Cæterum aliquando quæ præcepto etiam divino injunguntur, legi naturæ addita, si negligantur levio-rem inducunt culpam iis quæ legi naturæ omnino adversantur: sic eucharistiæ suscipiendæ neglectus levior est homicidio.

23. Effectus secutus ex peccato ejus malitiam auget, quoties præ-visus est, vel prævideri potuit, et debuit, licet peccans eum haud vo-luerit ponere: nam meritò imputantur quæ ex prava actione secutura noscuntur. Sic reus habetur homicidii qui vehementer percussit alium, præsertim telo adhibito, licet mortem inferre noluerit, quæ tamen secuta est. Sed si præter expectationem aliquid sequatur funestum quod nullatenus erat verosimile, haud ideo actus malitia augebitur, nam casu potius quam voluntate accidisse censebitur. Sic si quis manu leviter percutere volens, mortem casu inferat, reus homicidii habendus non erit. Homicidium ab ebrio patratum, qui antea mansuetis moribus erat, non habet malitiam alienæ cædis, si ne periculum quidem tanti facinoris sese inebriaturus suspicari potuerit: sed in foro civili reus judicabitur.¹ Quæ sequuntur mala et peccata occasione cujusdam peccati gravitatem ejus plerumque ostendunt, utpote quæ facile potuerunt prævideri. Sic libri hæretici et ob-scœni plurima inducunt mala, quæ scriptoribus meritò tribuuntur.

24. Alienorum peccatorum reus quisque constituitur jussione.

(1) "As to artificial voluntarily contracted madness, by drunkenness, or in-toxication, which, depriving men of their reason, puts them in a temporary frenzy; our law looks upon this as an aggravation of the offence, rather than as an excuse for any criminal misbehaviour. A drunkard, says Sir Edward Coke, who is voluntarius dæmon, hath no privilege thereby; but what hurt or ill so-ever he doth, his drunkenness doth aggravate it; nam omne crimen ebrietas et incendit et detegit." Blackstone, l. iv. n. 26.

suasione, co-operatione, auxilio, consensu, favore, laudatione, prava doctrina, exemplo, et silentio: qui enim alium aliquo pacto ad peccandum urget, vel dum debet resistere silet, particeps criminis meritò habetur.

25. Graviora sunt peccata quæ deliberante animo admittunt qui præstant virtute, vel dignitate; nam facilius queunt resistere tentationi, et magis nocent, pravo exemplo. “Duplex est peccatum. Quoddam enim ex surreptione provenit propter infirmitatem humanæ naturæ: et tale peccatum minus imputatur ei qui est major in virtute, eo quod minus negligit hujusmodi peccata reprimere: quæ tamen omnino subterfugere infirmitas humana non sinit. Alia verò peccata sunt ex deliberatione procedentia; et ista peccata tanto magis alicui imputantur quanto major est. Et hoc potest esse propter quatuor. Primo quidem quia facilius possunt resistere peccato majores, puta qui excedunt in scientia et virtute: unde Dominus dicit Luc. xii. quod ‘servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis.’ Secundò propter ingratitude, quia omne bonum, quo aliquis magnificatur, est Dei beneficium, cui homo fit ingratus peccando: et quantum ad hoc quælibet majoritas etiam in temporalibus bonis peccatum aggravat: ‘secundum illud Sapientiæ VI. ‘Potentes potenter tormenta patientur.’ Tertiò propter specialem repugnantiam actus peccati ad magnitudinem personæ. Sicut si princeps justitiam violet, qui ponitur justitiæ custos: et si sacerdos fornicetur, qui castitatem vovif. Quartò propter exemplum, sive scandalum: quia ut Gregorius dicit in Pastoralibus, in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia gradus peccator honoratur. Ad plurium etiam notitiam perveniunt peccata magnorum, et magis homines ea indigne ferunt.”¹ De peccatis fidelium dicit S. Thomas: “Cæteris paribus gravius peccat fidelis quam infidelis, tum propter notitiam veritatis ex fide, tum propter sacramenta, quibus est imbutus, quibus peccando contumaciam facit.”²

26. Peccatum gravius fit pro ratione personæ in quam peccatur; qui enim aliquem Deo dicatum lædit, Deo ipsi videtur irrogare injuriam: qui aliquem sanguine conjunctum violat, naturæ jura spernere convincitur. Hinc “in sacra Scriptura specialiter vituperatur peccatum, quod contra servos Dei committitur: sicut dicitur

(1) S. Thom. 1. 2. qu. lxxiii. art. x. *Resp.*

(2) 2. 2. qu. x. art. iii. *ad tertium.*

III. Reg. xix. ‘Altaria tua destruxerunt, et prophetas tuos occiderunt gladio.’ Vituperatur etiam maxime peccatum commissum in personas propinquas, secundum illud Michææ VII. ‘Filius contumeliam facit patri; filia consurgit adversus matrem suam.’¹ ‘Injuria tali personæ (*sacræ*) illata magis redundat in Deum, secundum illud Zach. II. ‘Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei.’ Unde peccatum fit gravius ex hoc quod peccatur in personam magis Deo conjunctam, vel ratione virtutis, vel ratione officii. Ex parte etiam sui ipsius manifestum est, quod tanto aliquis gravius peccat, quanto aliquis in conjunctam personam, seu naturali necessitudine, seu beneficiis, seu quacumque conjunctione peccaverit, quia videtur in seipsum magis peccare, et pro tanto gravius peccat, secundum illud Ecclesiastici xiv: ‘Qui sibi nequam est, cui bonus erit?’ Ex parte verò proximi tanto gravius peccatur, quanto peccatum plures tangit. Et ideo peccatum quod fit in personam publicam, puta regem, vel principem, qui gerit personam totius multitudinis, est gravius quam peccatum quod committitur contra unam personam privatam. Unde specialiter dicitur Exodi xxii: ‘Principi populi tui non maledices.’²

27. Liqueat peccata omnia non esse inter se connexa, sunt enim quædam quæ alia excludunt, avaritia enim opponitur prodigalitati. Cæterum unius peccati gravis admissio hominem reum constituit, et æternæ pænæ obnoxium, adeo ut veluti reus omnium habeatur, juxta illud Jacobi: “Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus:”³ “quia scilicet uno peccato peccando incurrit pænæ reatum ex hoc quod contemnit Deum: ex cuius contemptu provenit omnium peccatorum reatus.”⁴ Ita S. Thomas. Est etiam inter peccata plura nexus valde arctus: v. g: ebrietas cum rixandi libidine et cupiditate prava sæpe connectitur: avaritia parit cordis duritiem, sacrorum munerum neglectum, præter fraudes et artes iniquas lucrandi: libido cum tædio exercitiorum pietatis, et hebetudine mentis in rebus divinis perpendendis conjungitur.

(1) 1. 2. qu. lxiii. art. ix. *sed contra*.

(2) *Ibidem, Resp.*

(3) Jac. ii. 10.

(4) 1. 2. qu. lxiii. art. i. *ad primum*.

CAPUT III.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

28. PECCATUM *mortale* dicitur a morte animæ quæ Dei amicitia privatur ob gravem legis transgressionem, et quæ æternæ mortis sententiæ subjacet: “stipendia peccati mors.”¹ *Veniale* peccatum, veluti veniam impetratum, dicitur quodcumque legi divinæ leviter disconvenit, et minuit caritatis ardorem, quin eam extinguat. De eo loqui jure optimo censetur Divus Paulus, ligni, fœni, stipulæque nominibus, quæ qui fundamento injecerit, detrimentum patietur, nonnisi per ignem veluti evasurus:² et Apostolus Jacobus: “in multis enim offendimus omnes:”³ nec enim omnes lethaliter peccare videntur. Discrimen inter utrumque ex rerum natura derivatur; sunt enim quædam per se leves, quæ non merentur pœnam æternam, in hac saltem rerum quam statuit Deus conditione: quapropter meritò damnata est Baji propositio: “nullum est peccatum ex natura sua veniale: sed omne peccatum meretur pœnam æternam.”⁴ Explosus est enim error Lutheri haud absimilis, qui scilicet docuit peccata omnia fidelibus esse venialia, utpote ob fidem venia donata, infidelibus verò mortalia. Ducem secutus est Calvinus, electis omnia ignoscenda docens, reprobis omnia in mortem cessura. De his alias egimus.⁵

29. Constat “ad peccatum mortale requiri omnino perfectum consensus, sive deliberationem voluntatis.”⁶ Attamen consentire censetur qui voluntarie ponit causam, ex qua necessario effectus oritur: sic consentit in pollutionem qui libenter immoratur in turpibus cogitationibus, quæ plerumque eam inducunt, vel qui familiarius agit cum

(1) Rom. vi. 23.

(2) 1 Cor. iii. 15.

(3) Jac. iii. 2.

(4) Prop. xx.

(5) Dogm. Theol. t. ii. tract. viii. c. x. § ii. Vide et tract. Anglico sermone a me nuper editum: “The Catholic Doctrine on Justification, c. xviii.

(6) S. A lph. l. v. tract. de pecc. c. i. dub. i. n. 5.

fœminis, ex quarum consortio eam solet experiri, licet eam nolit sequi. Si quis omittat repugnare motibus illicitis, quin reapse consentiat, nonnulli eum immunem habent a peccato gravi, dummodo absit consensus periculum, quod tamen vix abest. "Considerandum est" inquit S. Thomas. "in omnibus peccatis quæ sunt secundum suum genus mortalia, quod non sunt mortalia nisi quando suam perfectionem consequuntur. Est enim consummatio peccati in consensu rationis. Loquimur enim nunc de peccato humano, quod in actu humano consistit, cujus principium est ratio. Unde si sit inchoatio peccati in sola sensualitate, et non pertingat usque ad consensum rationis, propter imperfectionem actus, est peccatum veniale. Sicut in genere adulterii concupiscentia quæ consistit in sola sensualitate est peccatum veniale : si tamen pervenitur usque ad consensum rationis, est peccatum mortale."¹

30. *Ex genere suo* venialia dicuntur peccata per se levia, ex : gr : verbum otiosum, vel mendacium joci causa prolatum. Quæ mortalia plerumque sunt, aliquando sunt venialia, ex defectu advertentiæ vel consensus. Ipsa quæ parvitatem materiæ non admittunt, utpote per se gravissima, aliquando veniæ idonea hac ratione censentur. Perjurium aliquando absque graviore culpa contingit proferri, quando testis adeo ab interrogante molestiam patitur, ut non plene advertat mendacium quod loquitur : "potest," inquit D. Thomas, "quod ex genere est mortale, esse veniale propter imperfectionem actus, quia non perfecte pertingit ad rationem actus moralis."² Sic quæ quis ex somno vix expergefactus admisierit, possunt venialia esse ob consensum haud plenum : quod præsertim censendum de eo qui animum absque labe servare vigil semper studet.

31. "Quæ sint levia, et quæ gravia peccata, non humano, sed divino pensanda sunt iudicio."³ Ita optime Augustinus. Equidem plura hominibus levia videntur quæ Deus veluti gravissima notavit. Præ oculis igitur habendæ sunt divinæ Scripturæ, eaque peccatis gravioribus accensenda sunt quæ verbis districtioribus vetantur : "Væ mundo a scandalis . . . væ homini illi per quem scandalum venit . . . qui talia agunt digni sunt morte." . . . "non introibunt in regnum Dei." Ecclesiæ etiam decreta et leges, quibus vetantur plurima veluti in se gravissima, normam præbent qua a venialibus mortalia discernan-

(1) 2. 2. qu. xxxv. art. 3.

(2) 1. 2. qu. lxxxviii. art. vi.

(3) Enchirid. c. xviii.

tur. Sanctorum patrum documenta et theologorum sententiæ suam habent vim in peccatis definiendis. Cæterum quidquid certo argumento non demonstratur grave, non debet facile peccatum mortale prædicari, ne animæ laqueis irretiantur; sed tutissime suademus ut ea omnia sedulo evitentur, quæ gravioris peccati discrimen vel suspicionem injiciunt.

32. Ipsa peccata venialia animum paulatim ad mortalia patranda disponunt, si ei quis libere indulgeat, adeo ut sæpissime impleatur illud Ecclesiastici dictum: "qui spernit modica, paulatim decidet."¹ Equidem imminuta charitate cupiditas prava vires acquirit, præsertim in iis quæ consuetudinem et proclivitatem inferunt. Hinc mendacia joci vel officii causa prolata ad graviora sensim sine sensu hominem disponunt: iracundia haud repressa movet animum ad vindictam: potus excessus licet parvus ad ebrietatem ducit. Cæterum nullum peccatum in se leve fit grave ex mera frequentia actuum: quod enim levia furta aliquando gravem restituendi obligationem inducant, contingit, eo quod justitia vetet rem alienam retineri, et sæpius furatus tandem magnam rerum copiam, vel materiam quam vocant notabilem abstulisse convincatur.

33. Peccatum macula quadam inficit animam, eamque pœnæ facit obnoxiam. *Macula* intelligitur nitoris quo anima sancta fulget privato, adeo ut jam non sit coram Deo pulchra et amanda. Ex Scripturis mutuati sunt theologi imaginem, qua peccatoris conditio, donec pœnitentia eluerit sordem, apte describitur. "An parum vobis est," inquit Josue, "quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis permanet?"² "Qui ingreditur, sine macula"³ in monte sancto habitabit. "Beatus dives qui inventus est sine macula."⁴ "Si laveris te nitro, et multiplicaveris tibi herbam borith, maculata es in iniquitate tua coram me, dicit Dominus."⁵ "Inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia."⁶ Mortem animæ quæ peccato contingit describit S. Petrus Chrysologus, collatione facta cum morte qua anima a corpore discedit; "Recedente anima, mox corpori fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, et omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo, confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatum cinis, infidelitatis

() Eccl. xix. 1.

(3) Psalm xiv. 2.

(6) Jer. ii. 22.

(2) Josue xxii. 17.

(4) Eccl. xxxi. 8.

(6) Tit. i. 15.

horror; et fit in corporis sepulchro vivo funus animæ jam sepultæ.”¹ *Reatus pœnæ*, qui alter est peccati effectus, peccatorem obnoxium habet divinæ justitiæ, adeo ut, nisi eum pœnituerit, pœnas daturus sit in interitu æternas.² De hac pœna alias egimus.³ Peccatum veniale nitorem animæ minuit, eamque pœnæ ad tempus luendæ facit obnoxiam, prout alias probavimus.⁴

34. Peccatum inter pœnas peccati recensetur, quatenus, Dei lumine subducto in pœnam delicti, peccator facile ruit in præceptis: “peccatum namque quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Unde fit, ut non solum peccatum sit, sed peccatum et causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, ut pejus ex alio ligetur. Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est et pœna peccati; quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis merito etiam in aliis cadat.”⁵

(1) *Serm. xix. explicans verba Christi: “Sine ut mortui sepeliant mortuos suos.”* Luc. ix. 60.

(2) 2 *Thess. i. 9.*

(3) *Theol. Dogm. Vol. iv. Tract. xix. de vita futura, c. iiii.*

(4) *Ibidem, c. ii.*

(5) *S. Greg. I. xxv. Moral. c. ix.*

CAPUT IV.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

§ I. DE SUPERBIA.

35. PECCATA capitalia, e quibus tamquam fontibus fluunt peccatorum rivuli, septem recensentur : superbia, scilicet, avaritia, invidia, ira, acedia, gula, luxuria.

36. Superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ : quo homo supra se effertur, nimium sibi tribuens, vel supra alios nimium se extollit. Est peccatum gravissimum, quotiescumque homo ordini quem Deus statuit subesse renuit, et mente, vel voluntate, ei repugnat. "Initium superbiæ hominis, apostatare a Deo : quoniam ab eo qui fecit illum, recessit cor ejus ; quoniam initium omnis peccati est superbia : qui tenuerit illam, et adimplebitur maledictis, et subvertet eum in finem."¹ Hinc dicit Sapiencia : "Arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor."² Apostolus quoque "superbos, elatos," inter eos recenset qui digni sunt morte.³ Sæpe etiam dicitur : "Deus superbis resistit."⁴ S. Gregorio judice, "evidentissimum reproborum signum est superbia : at contra humilitas electorum."⁵ Ordine autem servato, elatio quædam animi non nisi venialis est, si absit Superiorum contemptus, vel proximi injuria. Equidem semper timendum ne ob superbiam etiam leviolem subtrahantur gratiæ subsidia ; vel saltem bonorum operum merces amittatur : "etiam in recte factis," inquit Augustinus, "timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur."⁶

37. Præsumptio superbiæ filia, seu comes est, qua scilicet animus aliquid aggredditur supra vires, nimium his confisus. Grave est pec-

(1) Eccli. x. 14.

(2) Prov. viii. 13.

(3) Rom. i. 30.

(4) Jac. iv. 6.

(5) Moral. c. xxii.

(6) Ep. cxviii.

catum quando quis putat se posse absque divino lumine totam Dei œconomiam in mundi regimine explicare, vel intelligere; aut salutem consequi absque gratia, solis suis viribus. Sic qui se temere objicit manifesto peccati discrimini, suis viribus nixus, præsumptionis gravioris reum se prodit: quapropter qui libros obscœnos curiose perlegit, vel qui cum mulieribus familiariter versatur, nulla adhibita cautela, culpa immunis non est. Qui grave damnum alteri infert, munus aggrediens quod non valet perficere, illud reparare debet, quum sua culpa eveniat. Hinc qui instrumentum conficit ignarus quomodo rite conficiendum sit, tenetur ad reparandum damnum. Qui suo iudicio confisus ritum novum inducere studet, absque præsumulo, præsertim Romani Pontificis, venia, peccatum grave admittit, nam ut Radulfus Tungrensis animadvertit: "In divino officio est a novitatibus omnino abstinendum."¹ Id nobis cavendum est, quum ex studio præiudicii hæreticorum obviam eundi, quis facile induci possit, ut ea faciat quæ carent exemplo et auctoritatis præsidio.

38. Ambitio est inordinatus honorum et dignitatum appetitus. Est mortale peccatum si quis tanto affectu honorem appetat, ut eum omnino impetrandum statuatur, quæcumque adhibenda sint subsidia. Peccat etiam graviter qui aliquod subsidium vetitum adhibet, uti calumnias æmulo intentatas: quod jam in more est munus publicum petentibus. Gravis quoque est culpa munus appetere quod quis exercere non valeat absque gravi aliorum detrimento. Sic qui episcopatum appetit moribus haud integris, vel sacræ scientiæ haud peritus, gravis peccati reus est; "Plerumque qui præesse concupiscunt ad usum suæ libidinis instrumentum Apostolici sermonis arripiunt, quo ait: 'Si quis episcopatum desiderat bonum opus desiderat.' Qui tamen laudans desiderium, in pavorem vertit protinus quod laudavit, cum repente subjungit: 'Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse.'"²

39. Vana gloria est inordinatus laudis humanæ appetitus. Plerumque venialis est culpa; fieri tamen potest ut quis rebus pravis popularem captet auram; vel adeo inhiat famæ et laudi, ut ultimum finem in ea constituere videatur: quod grave peccatum est: "Potest," inquit S. Thomas, "contrariari charitati dupliciter: uno modo, ra-

(1) Lib. de Observantiis canonicis prop. vi. Vide plura apud Natalem Alexandrum Tract. de pec. c. iv. art. xxi. Reg. ii.

(2) S. Greg. Magn. Past. par. i. c. vi.

tione materiæ, de qua quis gloriatur, puta quum quis gloriatur de aliquo falso, quod contrariatur divinæ reverentiæ, secundum illud Ezech. xxviii. 'Elevatum est cor tuum, et dixisti. Deus ego sum.' Et I ad Cor. iv. 'Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?' Vel etiam cum quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo."¹

40. Inobedientiæ peccatum superbiæ vitium sæpe conjunctum habet, quando scilicet spernitur superior, ejusque auctoritas. "Elatio contemnentis . . . convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis." Ita Bernardus.² Cæterum non censendus est semper superioris auctoritatem spernere, qui ejus exercitium aliquatenus inculpat: contingit enim aliquando mores et jussa superioris parvipendi, quin ipsa auctoritas contemptui habeatur.

41. Jactantia est inanis et stulta propriæ excellentiæ prædicatio. Est plerumque venialis culpa; mortalis tamen si gravem aliorum contemptum conjunctum habeat, vel gravem pariat offensioem. Sic pharisæus sua jactans opera, et publicanum spernens, Deo admodum displicuit.³

42. Hypocrisis est fictio qua quis virtutum studium et exercitium simulat. Venialis est, si quis tantum cupiat laudari et æstimari, absque aliorum damno, vel religionis dedecore: mortalis autem, si ideo simulet pietatem ut hæresim insinuet, vel innocentem in peccatum inducat. "Non semper ipsa simulatio est ei peccatum, mortale, sed quandoque veniale. Quod discernendum est ex fine, qui si repugnet charitati Dei vel proximi, erit peccatum mortale; puta cum simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur dignitatem ecclesiasticam indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit. Si vero finis intentus non repugnet charitati, erit peccatum veniale, puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur."⁴

43. Contentio est inordi nata verborum pugna circa verum. Prohibetur ab Apostolo: "Noli contendere verbis."⁵ "Si accipiatur contentio, secundum quod importat impugnationem veritatis, et indebitum modum, sic est peccatum mortale . . . si autem contentio dicatur impugnatio falsitatis cum debito modo acrimoniæ: sic con-

(1) S Thom. 2. 2. qu. cxxxii. art. iii. *Resp.*

(2) L. de præc. et disp. c. xi.

(4) 2. 2. qu. vi. art. iv. in corp.

(3) Luc. xviii. 11.

(5) 2 Tim ii. 14.

tenio est laudabilis. Si autem accipiatur contentio secundum quod importat impugnationem falsitatis cum inordinato modo : sic potest esse peccatum veniale, nisi forte tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc generetur scandalum aliorum.”¹ Discordia est inordinata voluntatum oppositio circa bonum. Utraque ex superbia nascitur, et gravia quandoque parit mala, cum charitatis jactura. Ideo Apostolus “contentiones” et “dissensiones” inter crimina recenset, de quibus dicit: “qui talia agunt regnum Dei non consequentur.”² “Per se,” inquit S. Thomas, “discordat aliquis a proximo, quando scienter et ex intentione dissentit a bono divino, et a proximo bono, in quo debet consentire. Et hoc est peccatum mortale ex suo genere, propter contrarietatem ad charitatem : licet primi motus hujus discordiæ, propter imperfectionem actus, sint peccata venialia.”³ Consiliorum diversitas, et dissensio, nonnumquam absque culpa contingit.⁴

44. Pertinacia est perseverantia in propria sententia contra veritatem cognitam, vel sufficienter propositam. Est levis plerumque culpa, sed fit gravis, si inde gravia sequantur mala, vel cum auctoritatis ecclesiasticæ dispendio sit conjuncta. Hinc docet Natalis Alexander, eum qui aliquam propositionem a Pontifice damnatam defenderet lethalis peccati reum fore.⁵

45. Inventio novitatum ex superbia aliquando nascitur, dum quis admirationem sui excitare studet. Cæterum si nil proferatur fidei vel moribus adversum, venialis censetur culpa.

46. Superbiæ remedia sunt, sui cognoscendi studium, dum quis quam vilis sit coram Deo, et quam infirmus, sedulo meditatur ; Christi Domini exemplum sæpe præ oculis propositum ; et frequens cogitatio quam fluxæ sint et inanes res omnes humanæ. Quæ Deus minatur superbis supplicia, quæque pollicetur humilibus præmia, menti etiam obversari sæpe oportet : “qui se exaltaverit humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur.”⁶ Mortis denique meditatio superbiæ edomabit : quapropter nos monet Ecclesia : “memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.”

47. Optime S. Thomas animadvertit : “Motus superbiæ occulte

(1) 2. 2. qu. xxxvii. art. ii. *Resp.*

(2) 2. 2. qu. xxxvii. art. i. *Resp.*

(3) Tract. de pecc. c. iv. art. xix. Reg. iv.

(4) Gal. v. 20.

(5) Act. xv. 30.

(6) Mat. xxiii. 12.

subrepens, non habet maximam gravitatem, antequam per iudicium rationis deprehendatur. Sed postquam deprehensus fuerit per rationem, tunc facile evitatur, tum ex consideratione propriæ infirmitatis, secundum illud Ecclesiastici x. 'Quid superbis, terra et cinis?' tum etiam ex consideratione magnitudinis divinæ, secundum illud Job xv. 'Quid tumet contra Deum spiritus tuus?' tum etiam ex imperfectione bonorum de quibus homo superbit, secundum illud Isaïæ quadragesimo: 'Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus, quasi flos agri.' Et infra lxiv. 'Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.'¹

§ II. DE AVARITIA.

48. Avaritia est inordinatus appetitus divitiarum. Quando quis in divitiis totum ponit studium, et finem ultimum, gravissime peccat; nam Deum veluti rejicit, dicente Christo: "non potestis Deo servire et mammonæ."² Hinc "avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei."³ "Avaro nihil est scelestius."⁴ Cæterum divitiarum cupiditas cum studio salutis conjuncta, culpa tantum est venialis; quando scilicet quis nollet ditari contra divinam legem: "si inordinatio amoris intra hoc sistat, ut scilicet homo, quamvis superflue divitias amet, non tamen præferat earum amorem amorì divino, ut si propter divitias non velit aliquid facere contra Deum et proximum, sic avaritia est peccatum veniale."⁵ Periculo tamen legem divinam graviter violandi vix vacat amor divitiarum: "nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas."⁶

49. Ex avaritia nascitur obduratio cordis, qua pauperum levamen negligitur, et jus summum in debitores exercetur. "Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?"⁷ Inquietudo et nimia sollicitudo conquirendarum et conservandarum divitiarum avaritiæ est filia, quæ spinarum, quibus suffocatur semen, similitudine in Evangelio designatur:⁸ contingit quippe

(1) 2. 2. qu. clxii. art. 6. *ad primum.*

(3) Eph. v. 5.

(5) S. Thomas, 2. 2. quæst. cxviii. art. iv. *Resp.*

(7) 1 Joan. iii. 17.

(2) Mat. vi. 24.

(4) Eccl. x. 9.

(6) 1 Tim. vi. 9.

(8) Mat. xiii. 22.

necessaria religionis munia negligi, ipsamque fidem amitti ab iis qui inhiant divitiis. Fraudes, et injustitia plurimis rationibus admittuntur ab avaris; facile enim sibi persuadent omnia licere quæ lucrum præbent: quod in his regionibus præsertim contingit, in quibus justitiæ principia de contractibus non satis innotescunt. Hinc nuperime vidimus plurimos nummularios pecunia sibi concredita utentes ut lucrum compararent, fidem fregisse, cum magno omnium detrimento. Proditio etiam immanis quam Jædas admisit in avaritia habuit radicem.

50. Avaritiæ remedium præcipuum est, animo cogitare omnia in morte dimittenda, hancque brevi forsitan eventuram: "stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?"¹ Ita diviti, qui in plurimos annos rerum copiam coacervarat, dictum est. Quam incertæ sint divitiæ, quæ sæpe e manibus elabuntur, etiam cogitandum: quapropter præcipit Apostolus divitibus "non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum)."² Animæ pericula quæ divitibus imminent præ oculis habenda: "Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum."³ "Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram."⁴ Christi paupertas in exemplum sumenda, et quæ pauperibus pollicitus est beneficia animo volvenda. Larga autem eleemosynarum donatio est optima ratio avaritiam penitus superandi. Liberalitas etiam erga eos qui haud indigent eleemosynis est exercenda, præsertim erga propinquos, et bene meritos; sed cavenda est prodigalitas.

§ III. DE INVIDIA.

51. Invidia est tristitia de bono proximi, quatenus imminuere videtur gloriam vel excellentiam nostram. Distinguenda est omnino ab æmulatione, qua quis dolet sibi deesse bonum quo alter præstat, quin velit eum eo privandum. "Potest aliquis tristari de bono alterius non ex eo quod ipse habet bonum, sed ex eo, quod nobis deest bonum illud, quod ipse habet: et hoc proprie est zelus, ut Philoso-

(1) Luc. xii. 20

(3) Matt. xix. 23.

(2) 1 Tim. vi. 17.

(4) Luc. vi. 24.

phus dicit *in 2 Rheth.* Et si iste zelus sit circa bona honesta, laudabilis est, secundum illud 1 Corinth. xiv. ‘Æmulamini spiritualia.’ Si autem sit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato, et sine peccato.” Ita Angelicus Doctor.¹ Nec confundenda est invidia cum tristitia de bono alieno, quod in sui vel aliorum detrimentum cedit: “Evenire plerumque solet,” inquit S. Gregorius Magnus, “ut non amissa charitate, et inimici nos ruina lætificet, et rursus ejus gloria sine invidiæ culpa contristet, cum et ruente eo quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus.”²

52. Est peccatum mortale *ex genere suo* alteri invidere, nam charitati adversatur, quapropter “invidiæ” inter peccata recensentur quæ a regno Dei excludunt.³ Diabolicum merito vocatur vitium: nam “invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte ipsius.”⁴ Cæterum sæpe venialis est culpa, ex rei natura leviori, vel animi affectu minus vehementi; sed magnum habet charitatis violandæ periculum: quapropter Apostolus fideles monet: “non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.”⁵ “Charitas,” inquit Angelicus Doctor, “gaudet de bono proximi, invidia autem de eodem tristatur. . . Unde manifestum est quod invidia ex genere suo est peccatum mortale. Sed . . . in genere invidiæ inveniuntur aliqui primi motus, quandoque etiam in viris perfectis, qui sunt peccata venialia.”⁶

53. Ex invidia fit ut quis ipsos virtutum actus in malam partem detorqueat, et de proximo susurret; quo pacto grave facile admittitur peccatum. Philosophos ethnicos Apostolus vocat “plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurriones, detractores,”⁷ Plurima hæc gravissimaque malâ inde sæpe nasci exploratum omnino est.

54. Remedium invidiæ præcipuum est charitatis studio vacare, et sæpius coram Deo proximo apprecari bona omnia, ipsumque coram hominibus, data occasione, laudare. Animo quoque cogitandum bona distribui ex æqua Dei ordinatione, nobisque aliqua tribui, quibus si rite usi fuerimus, felices Deoque grati evademus. Vilis est animi aliis invidere, eorum bonis cruciari cum nullo nostro lucro.

(1) 2. 2æ. qu. xxxvi. art. ii. *Resp.*

(2) L. xxii. Moral. c. xi.

(3) Gal. v. 21.

(4) Sap. ii. 24.

(5) Gal. v. 26.

(6) 2. 2. qu. xxxvi. art. iii. *Resp.*

(7) Rom. i. 29.

§ IV. DE IRA.

55. Ira, quatenus vitium est, est inordinatus appetitus vindictæ, aut quasi vindictæ. Equidem appetitus vindictæ secundum rectam rationem vacat culpa, imo et laudabilis est, juxta illud Angelici Doctoris: “ potest malum in ira inveniri, quando scilicet aliquis irascitur plus, vel minus, præter rationem rectam: si autem aliquis irascitur secundum rectam rationem, tunc irasci est laudabile.”¹ Huic consonat Psaltes: “ irascimini et nolite peccare.”² “ Sciendum est,” inquit S. Gregorius M., “ quod alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus justitiæ format; Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Nam quo contra subditorum vitia tepuit, eo contra illum districtio æterni rectoris exarsit.”³ “ Si autem aliquis appetat, quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, (puta, si appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ et correctio culpæ) erit appetitus iræ vitiosus, et nominatur ira per vitium.”⁴

56. Ira est peccatum grave, vel leve, pro rei natura qua excitatur, et modo excessus: “ Motus iræ potest esse inordinatus et peccatum dupliciter, . . . uno modo ex parte appetibilis, utpote cum aliquis appetit injustam vindictam; et sic ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati et justitiæ. Potest tamen contingere, quod talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus. Quæ quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetentis, puta cum motus iræ prævenit judicium rationis, vel etiam ex parte appetibilis, puta cum aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum, ita quod etiam si actu inferatur, non esset peccatum mortale; puta si aliquis parum trahit aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi. Alio modo potest esse motus iræ inordinatus quantum ad modum irascendi, utpote si nimis arden-

(1) 2. 2^æ qu. clviii. art. i. *Alio modo.*

(2) Ps. iv. 5.

(3) L. v. Moral. c. xxx.

(4) 2. 2. qu. clviii. art. ii. *Si autem.*

ter irascatur interius, vel ei nimis exterius manifestet signa iræ: et sic ira secundum se non habet de suo genere rationem peccati mortalis; potest tamen contingere, quod sit peccatum mortale: puta si ex vehementia iræ aliquis excidat a dilectione Dei et proximi.”¹ Ipsum interiorem iræ motum aliquando gravem esse culpam meritò colligit D. Thomas ex verbis Christi iudicium minans irato; sed animadvertit sermonem ibi esse de ira cum mortis inferendæ voluntate conjuncta: “Dicendum quod Dominus verbum illud dixit de ira, quasi superaddens ad illud verbum legis: ‘Qui occiderit, reus erit iudicio.’ Unde loquitur ibi Dominus de motu iræ, in quo quis appetit proximi occisionem, aut quamcumque gravem læsionem, cui appetitui si consensus rationis superveniat, absque dubio erit peccatum mortale.”²

57. Filie iræ dicuntur rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio et blasphemia. Rixa ex genere suo mortalis est culpa, recensetur enim inter peccata quæ excludunt a regno cælorum:³ aliquando tamen est venialis, quando scilicet quis alteri inferre non vult gravem injuriam, uti pueris contingit, vel quando quis vim repellens non valde excedit inculpatam sui tutelam: “In eo quidem qui alterum invadit injuste, est peccatum mortale. Inferre enim nocumentum proximo etiam opere manuali, non est absque mortali peccato. In eo autem qui se defendit potest esse sine peccato, et quandoque cum peccato veniali, et quandoque cum peccato mortali.”⁴

58. De contumelia specialiter dicendum. Contumelia est honoris alieni injusta violatio. Fit plerumque verbis, sed etiam gestibus, ex: gr: alapa percutiendo. Palam aufertur honor, præsentis scilicet contumelia irrogatur: sed et quandoque absenti, ex intentione ut illi innotescat. Sic conculcanda imagine alicujus contumelia irrogatur. Quam graviter peccetur aliquando contumelia, colligitur ex Christi verbis: “Qui dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.”¹ Hæc tamen ex adjunctis pendent, quamvis enim grave sit peccatum fatuum alium dicere, quoties probrum censetur magnum; uti plerumque inter homines spectabiles conditione, vel sibi fere ignotos; inter propinquos tamen et amicos,

(1) 2. 2. qu. clviii. art. iii. *Resp.*

(2) *Ibidem. Ad secundum.*

(3) Gal. v. 23.

(4) 2. 2. qu. xli. art. i. *Resp.*

vel juniores ætate, sæpe levis est culpa : imo ad correctionem probrum prolatum quandoque culpa vacat: "hoc," inquit S. Thomas, " potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absque omni peccato."¹ Gravius est peccatum contumeliam inferre, quam famæ detrudere, quia homines honorem famæ anteponunt. Ut de ejus gravitate judicetur, adjuncta omnia attendenda sunt. Inter homines humilis conditionis contumelia non adeo est gravis, quia verbis probrosis magis assueverunt. Si homo e plebe viro dignitate aucto probrum inferat, gravitas ejus utroque ex capite augetur, quod scilicet vilis homo audeat viro insigni irrogare injuriam. Malitia dictorum pendet ex intentione loquentis, qui tamen cavere debet ne temere proferat quod aliis ægre ferat, vel det occasionem blasphemix, rixæ, duello. Graviter procul dubio peccat qui alapa alium percutit animo contumeliam inferendi.

59. " Causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, convicium dicere. Et hoc modo Dominus discipulos vocavit stultos. ' O stulti,' inquit Lucæ ultimo, ' et tardi corde ad credendum !' et Apostolus, ep. 3, Galatas insensatos : ' O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati ?' Tamen, sicut dicit S. Augustinus, in libro de sermone Domini in monte : ' Raro et in magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis non nobis, sed Deo ut serviatur instemus."² " Quando autem necessitas disciplinæ," inquit Augustinus, " minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur ut ab eis veniam postuletis, ne apud eos quos oportet esse subjecto s, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas ; sed tamen petenda est venia ab omnium Domino."³

60. Contumelias illatas repellere licet, animo tamen ad majores tolerandas parato. " Sicut patientia necessaria est in his quæ contra nos fiunt, ita etiam in his quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his quæ contra nos fiunt, sunt in præparatione animi habenda, sicut Augustinus, l. ii. de sermone Domini in monte, exponit illud præceptum Domini : ' Si quis percusserit te in unam maxillam, præbe ei et aliam ;' ut scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit. Non tamen hoc semper tenetur facere actu, quia nec

(1) 2. 2. qu. lxxii. art. ii. *Resp.*

(2) 2. 2. qu. lxxii. art. ii. *ad secundum.*

(3) Ep. cxxi. alias cix.

ipse Dominus hoc fecit, sed cum suscepisset alapam, dixit: 'Quid me cædis?' Et ideo etiam circa verba contumeliosa quæ contra nos dicuntur, est idem intelligendum. Tenetur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit: Quandoque tamen oportet ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, et de cætero talia non attentet, secundum illud Proverbiorum xxvi: 'Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.' Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas."¹

61. Contumeliam autem non licet rependere contumelioso: "Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis."² Egregie Basilius: "Contumeliam intulit iratus; vince amoveque silentio malum. . . . Si mihi credis, probra contumeliasque magno etiam animo contemnes, et te adhuc viliores esse concedes. Obscurum te et inglorium vocavit, nulliusque æstimationis: terram te ac cinerem esse dicas. Nec tu illustrior es patre nostro Abraham, qui seipsum his nominibus appellavit. . . . Quando enim verborum contumelia tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an Deo per patientiam adhæreas, seu per iram in adversarii partes inclines. . . . Qui autem se vindicare, et par pari reddere, ac maledicenti resistere voluerit, quam, quæso, habebit excusationem? Quod primus ille fuerit, ac provocaverit? Sed qua venia dignum hoc?"³ "Quando convicia regeris," inquit Chrysostomus, "vinceris non ab homine, sed, quod turpius est, a passione atque impetu iræ."⁴

62. Clamor ex ira quandoque furentis valde mentis indicium est, et animi maligni. "Ore quidem clamorem format," inquit S. Gregorius M., "sed sensus quid loquatur ignorat. In quo itaque iste ab arreptitiis longe est, qui actionis suæ conscius non est? Unde fit plerumque, ut usque ad manus ira prosiliat, et quò ratio longius recedit, audacior exurgat."⁵

63. Iræ remedium præcipuum est Christi mansuetudinem præ oculis habere, "qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur;"⁶ et sanctorum exempla recolere, qui vehementioris quandoque indolis, divina gratia opitulante, mansueti

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxxii. art. iii.

(3) Hom. x. de ira.

(5) L. v. Moral. c. xxx.

(2) Prov. xxvi. 4.

(4) Hom. xxii. in ep. ad Rom.

(6) 1 Pet. ii. 23.

facti sunt et moribus suavissimis. S. Franciscus Salesius inter plurimos eminet. Animo cogitare oportet quam inutile sit et perniciosum iræ indulgere, “ira enim viri justitiam Dei non operatur,”¹ et sæpius renovandum est propositum eam evitandi, nilque proferendi animo excandescente. Si quis ira deliquerit, quamprimum sedandus est animi motus, juxta Apostoli monitum: “Sol non occidat super iracundiam vestram.”² Oratio fundenda est ut Christus nos mansuetos et humiles, sui instar, efficiat, et laborandum, ut, actibus sæpius repetitis, consuetudo patientiam exercendi habeatur. Mitissimæ Virginis exemplum et preces plurimum prosunt ad mansuetudinem adipiscendam.

“Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos
Mites fac et castos.”

64. Sævities ad iram referenda videtur, est scilicet ea animi indoles qua quis bestię ferocis instar, impellitur ad homines cruciatibus afficiendos. Est immane prorsus vitium. Crudelitas, quæ in pœnis irrogandis modum excedit, ex ira sæpe provenit: sed non est gravis peccati damnanda, nisi fuerit valde atrox.

§ V. DE ACEDIA.

65. Acedia—*ἀκηδία*—prout speciale est vitium, est tristitia et tædium de bonis divinis quatenus ad nos pertinent: quando scilicet quis difficiles nimis æstimans esse salutis conditiones, eas implere refugit. Est mortale peccatum *ex genere suo*; sed sæpe quis ægre fert quædam sibi facienda quæ tamen tandem exequitur, ut gravem evitet culpam: quæ animi dispositio non est mortalis, “Motus acediæ,” inquit S. Thomas, “in sola sensualitate quandoque est propter repugnantiam carnis ad spiritum: et tunc est peccatum veniale. Quandoque vero pertingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam et horrorem et detestationem boni divini, carne contra spiritum prævalente: et tunc manifestum est, quod acedia est peccatum mortale.”³

(1) Jac. i. 20.

(2) Eph. iv. 26.

(3) S. Thomas, 2. 2æ. qu. xxxv. art. iii.

66. Filix acedix dicuntur malitia, desperatio, pusillanimitas, rancor, torpor, evagatio mentis. Malitia est prava animi dispositio, qua odit bona spiritualia, et vellet ea non esse. Sic qui tædio suorum munerum optat Catholicam fidem non nosse, malitia peccat graviter, si plena voluntate ita optet. Desperatio voluntaria est etiam gravissimum peccatum; sed sæpius pii animi anguntur, et sibi videntur spem penitus amisisse, quando nonnisi phantasia obnubilatur. Pusillanimitate deficiunt, qui Deo haud satis confisi, vires se haud habere putant ad necessaria munia pietatis obeunda. Rancor apud Theologos vocatur indignatio quam desidiosi fovent contra eos qui student eos ad virtutum exercitium excitare. Torpore laborant qui virtutum opera languide suscipiunt, et incuriose peragunt. Mentis evagatione aliquando graviter peccatur, quando scilicet voluntaria est, et diuturna, dum præcepta quæ animum attentum postulant adimplenda sint: plerumque est venialis: nulla autem est culpa evagatio illa quam quis invitus patitur.

67. Negligentia salutis, et officiorum quæ ad eam assequendam requiruntur, peccatum grave acedix est: nam temere quis salutem consequi sperat, iis omissis. Quapropter sollicitudo et diligentia nobis commendantur: "Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt."¹ "Sategite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis."² Qui victorem se putans vitiorum, non vigilat ne erumpant, et in virtutum semita proficere non curat, magno in discrimine salutis versatur. "Quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas esse mortua, et non magis suppressa."³ Ita S. Bernardus, qui nolentes progredi arguit: "Non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic, inquis, vivere volo, et manere in quo perveni; nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo?"⁴ Maxime peccant acedia qui vitia derelinquere et ad Dominum converti differunt, quos monet Ecclesiasticus: "Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim venit ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te."⁵ Cæterum non quævis mora, sed diuturna, vel cum peccandi affectu conjuncta, grave est peccatum.

(1) Luc. xiii. 24.

(2) 2Pet. i. 10.

(3) Serm. lviii. in Cantic.

(4) Ep. ccliv. ad Garinum abbatem Alpengem.

(5) Eccl. v. 8.

68. Acediæ rei sunt quicumque munerum suorum quæ divinum spectant cultum pertæsi, ea haud persolvunt, vel ægro valde animo. Sic sacerdotes aliique divino cultui dicati, valde periclitantur salute, divina quæ obire debent munera animo tristi exequentes. Sanctimoniales quæ ægre adsunt in choro, et aliis pietatis exercitiis haud libenter vacant, etiam periclitantur.

69. Remedia præcipua acediæ sunt meditatio quotidiana, oratio frequens, sacramentorum usus, et sanctorum imitatio: "Tu non poteris quod isti et istæ?"¹ se reprehendens dicebat Augustinus. Breve est vitæ curriculum, quapropter indesinenter oportet ad metam tendere. "Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non poseis, et adjuvat ut possis."²

§ VI. DE GULA.

70. Gula est inordinatus appetitus cibi et potus. "Si inordinatio concupiscentiæ accipitur in gula secundum aversionem a fine ultimo, sic gula erit peccatum mortale. Quod quidem contingit, quando delectationi gulæ inhæret homo, tamquam fini, propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur. Si verò in vitio gulæ intelligatur inordinatio concupiscentiæ tantum secundum ea quæ sunt ad finem, utpote quia nimis concupiscit delectationes ciborum, non tamen ita, quod propter hoc faceret aliquid contra legem Dei, est peccatum veniale."³ Ob solam voluptatem usque ad satietatem comedere vel bibere est culpa venialis, quum homo, utpote ratione præstans, debeat altiore et honestiorem sibi præstituere finem. Merito igitur damnata est propositio sequens: "Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui."⁴

71. Explicat S. Gregorius Magnus quo pacto quis gulæ vitio inquinetur. "Quinque modis nos gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiae tempora prævenit; aliquando lautiores cibos quærit; aliquando, quæ sumenda sunt, præparari accuratius appetit; aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram refectionis excedit; aliquando

(1) Aug. *L. viii. Confess. c. xi.* (2) *Conc. Trid. Sess. vi. Dec. de justif. c. xi.*

(3) *D. Thomas 2. 2. qu. cxlvii. art. ii. Resp.*

(4) *Prop. viii. inter damn. ab Innoc. XI.*

ipso æstu immensi desiderii aliquis peccat.”¹ Hæ omnes rationes gulæ indulgendi exprimuntur apud S. Thomam :

Præpropere, laute, nimis, ardentè, studiose.

72. Gula inter peccata gravia *ex genere suo* meritò recensetur, quum valde repugnet rationi ut homo finem suum ultimum et beatitudinem in cibo vel potu constituat. Præterea facile accenditur libido ciborum satietate; quapropter dicitur apud Ezechielem: “Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ; superbia, saturitas panis et abundantia.”² Veluti rem sædam et nefandam memorat Isaias: “Omnes mensæ eorum repletæ sunt vomitu, sordiumque, ita ut non esset ultra locus.”³ Comessiones inter delicta graviora recenset Apostolus,⁴ monetque non in comessionibus versari oportere. Qui igitur consultò se cibis ingurgitant, donec excitetur vomitus; vel qui vomitum ipsi provocant ut cibis iterum liberius vescantur, gravis peccati habendi sunt rei. Cæterum S. Alphonsus scribit: “Comedere vel bibere usque ad vomitum probabile est esse tantum veniale ex genere suo, nisi adsit scandalum, vel notabile nocumentum valetudinis, et communiter dicunt, Holzm. t. i. p. 154, n. 732, et Salm. tr. xxv. c. iv. n. 8, cum Caj. Nav. Henriq. et Laym. l. iii. sect. 4, n. 2. Qui autem sponte evomunt quod sumpserunt, ut iterum edant aut bibant, vix excusantur a mortali; hoc enim videtur involvere magnam deformitatem: ita probabiliter (contra Busemb.) Holzm. l. c. et Wigandt, tr. v. Ex. iii. n. 70. R. 2.”⁵

73. Gulæ filiæ quinque a S. Thoma post S. Gregorium recensentur, nempe inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, et mentis hebetudo.⁶

74. Inepta quæ ex gula prodit lætitia a S. Basilio acriter reprehenditur: “Rationem ac mentem vinum demergit; voluptates et animi cæteros affectus malos, velut apum examen, excitat. . . Rides, dic mihi, et gaudes inepta stolidaque lætitia, cum lacrymas fundere ac dolere, ob ea quæ admisisti, oportet?”⁷ Scurrilitas ab Apostolo damnatur,⁸ quam ex ebrietate plerumque sequi in comperto est. “Appendices gulæ lascivia atque luxuria” a Tertulliano vocantur.⁹

(1) Moral. lxxx. c. xxvii.

(2) Ezech. xvi. 49.

(3) Isaiæ xxviii. 8.

(4) Gal. v. 21.

(5) Theol. Moral. S. Alphonsi, l. v. n. 73.

(6) 2. 2. cxlviii. art. vi.

(7) Hom. in ebrietatem, et luxum.

(8) Eph. v. 4.

(9) L. de jejuniis.

Multiloquium etiam cum ebrietate persæpe conjungitur: "nullum secretum est ubi regnat ebrietas.¹ Hebes plerumque fit mens: "Præ vino mœsierunt, et præ ebrietate erraverunt."² Hinc Salomon ait: "Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitareque stultitiam."³

75. Ebrietas, qua "homo volens et sciens privat se usu orationis, quo secundum virtutem operatur, et peccata declinat"⁴ est peccatum mortale. "Sic peccat mortaliter, periculo peccandi se committens."⁵ "Certum est apud omnes," inquit S. Alphonsus, "quod ad hoc ut ebrietas sit peccatum mortale, requiritur ut sit perfecta, nempe quæ omnino privet usu rationis, ut enim docet D. Thomas, 2. 2. qu. 150, art. ii. et cum ipso omnes doctores, in hoc consistit malitia ebrietatis, quod homo volens et sciens privat se usu rationis. Et idem docet D. Antoninus, p. 2, tit. vi. c. iii. § 1. Unde non peccat mortaliter qui ex potu vini non amittit totaliter usum rationis, quamvis mens perturbetur, ita tamen ut discernere valeat inter bonum et malum, ut communiter dicunt Tol." &c.⁶

76. Quærum theologi utrum liceat ægrotis, medico jubente, vino, vel alio potu uti ad ebrietatem usque, ad febris vim domandam, vel ad vires fractas reparandas, vel alias instar medicinæ. Sententia quæ affirmat licere, verosimilior S. Alphonso visa est: "satis probabilis, imo probabilior mihi videtur casu quo potatio vini præbentur ad expellendos sive corrigendos pravos humores; tunc enim privatio rationis per accidens et indirecte evenit, et ideo licite permitti potest; licitum est matri sumere pharmacum directe tendens ad servandam suam vitam, quamvis indirecte eveniat expulsio fœtus, uti diximus, lib. iii. n. 394, t. i. v. *Quæritur igitur*. Secus vero dicendum si potatio daretur directe ad ebrietatem sive ad privationem rationis causandam, hoc enim esset semper intrinsece malum. Hinc, ut bene advertit Croix, l. v. n. 331, *cum Tann. Dicast. et Gob.* numquam licitum est se inebriare ad sensus sopiendos, ne cruciatus sentiantur."⁷

77. Juxta theologorum sententiam quæ magis probanda videtur, non licet se inebriare ad vitandam mortem, quam alter intentat: "quia (ut diximus) privare se directe usu rationis est intrinsece

(1) Prov. xxxi. 4.

(2) Isaïæ xxviii. 7.

(3) Eccl. ii. 3.

(4) S. Thom. 2. 2. qu. cl. art. ii.

(5) Ib.

(6) Theol. Mor. l. v. c. iii. art. ii. n. 75.

(7) Ib. n. 76.

malum, neque tunc adest causa excusans, sicut in casu præcedentis quæstionis, ibi enim vinum est medium per se ordinatum ad expellendum morbum, non autem hic. Præterea, in illo casu periculum vitæ est ab intrinseco, nempe a morbo vexante, et ideo licet eum expellere per vini potationem: hic autem periculum est ab extrinseco, unde illicitum est ab illo se liberare per ebrietatem."¹ Consonat auctor antiquus, S. Cæsarius, uti videtur, olim sub nomine Augustini laudatus, qui eos arguens qui "solent ita se excusare, ut dicant: Persona potens me coegit, ut amplius bibam, et in convivio regis non potui aliud facere;" dicit: "Etiam si ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur."²

78. Mortale est peccatum alium consultò inebriare, vel ad ebrietatem provocare, vel urgere. Hinc peccant qui alios ad potandum invitant, ultra quam ferunt urbanitatis leges, prævidentes eos inebriandos. Quæritur autem utrum liceat alium inebriare ad impediendum sui vel aliorum damnum, vel gravius aliquod scelus. Tournelius cum aliis penitus negat, quum ebrietas sit contra naturæ legem. Alii dicunt licere ebrietatem inducere, quæ non sit voluntaria, potum scilicet præbendo cujus vim ignoret cui propinatur. S. Alphonsus sententiam Lessii satis probabilem censet, quod scilicet liceat, "sive ebrietas sit materialis, sive formalis, ob rationem jam allatam, quia licitum est inducere alterum ad minus malum, ut impediatur a majori."³ Hinc puella quæ alias se imparem novit vim illaturo resistere, excusanda illis theologis videtur, si potum quo ille inebriaretur præberet, noscens jam eum ebrium viribus deficere. Hoc tamen intelligendum, quando nulla alia suppetit ratio evadendi.

79. Ebrietas quæ casu contingit, dum quis omnino ignorat potus vim, culpa omni caret: sed si quis sibi conscius sit potum esse nimium, non erit excusandus: "Quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen existimat potum inebriare potentem: et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse, quod aliquis bene advertat, potum esse immoderatum, et inebriantem et tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam a potu abstinere, et talis proprie dicitur ebrius. . . Et sic ebrietas est peccatum mortale."⁴

(1) Theol. Mor. l. v. c. iii. art. ii. n. 76.

(2) Olim cccxxii. de Temp. inter Augustin. nunc ccxciv. in Append.

(3) Theol. Mor. l. v. n. 77.

(4) S. Thomas, 2. 2. qu. cl. art. ii. *Alio modo sic.*

“Sedulo autem hic notandum, quod si quis sumit tantam vini portionem, quæ est apta, uti jam advertit, ad inebriandum, nullo modo excusatur a mortali, quamvis, antequam sensibus destituatur, somno se committat, quo vini effectum effugiat: quia potio illa jam de se est intrinsece mala, cum de se apta jam sit ad privandum hominem usu rationis, et per accidens se habeat, quod ipse per somnum, vel per inebriationem sensibus privetur.”¹ Ita S. Alphonsus.

80. Perfectæ ebrietatis indicia sunt, quod quis sobrius haud meminerit eorum quæ ebrius egit, et quod plura contra morem egerit, violenta et illicita.

81. Quæ quis ebrius fecerit ei imputantur, si præviderit se ita facturum, et nihilominus in periculum se conjecerit. Quæ loquitur impia et nefanda, pari ratione dijudicanda videntur, quamvis sint qui voces ab ebrio prolatas dicunt vi carere, et significatione, quum non sit sui compos. S. Alphonsus tamen eas in causa imputari opinatur.² S. Thomas de iis quæ fiunt in ebrietate voluntaria dicit: “si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur a peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus; in quantum scilicet aliquis dans operam rei illicitæ incidit in sequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut et diminuitur ratio voluntarii. Unde Augustinus dicit contra Faustum, quod Loth culpandus est, non quantum ille incesus, sed quantum ebrietas meruit.”³ Severius decernunt leges civiles.⁴

82. Pessima est ebrietas clericorum, quod vitium in sacerdotibus

(1) Theol. Mor. l. v. n. 78.

(2) Ibidem.

(3) 2. 2. qu. cl. art. iii. Resp.

(4) “As to artificial, voluntarily contracted madness, by drunkenness or intoxication, which, depriving men of their reason, puts them in a temporary frenzy; our law looks upon this as an aggravation of the offence, rather than as an excuse for any criminal misbehaviour. A drunkard, says Sir Edward Coke, who is *voluntarius dæmon*, hath no privilege thereby; but what hurt or ill soever he doth, his drunkenness doth aggravate it: *nam omne crimen ebrietas et incendit, et detegit*. . . . In the warm climate of Greece, a law of Pittacus enacted, ‘that he who committed a crime when drunk, should receive a double punishment,’ one for the crime itself, and the other for the ebriety which prompted him to commit it. The Roman law indeed made great allowances for this vice: *per vinum delapsis capitalis pœna remittitur*. But the law of England, considering how easy it is to counterfeit this excuse, and how weak an excuse it is (though real,) will not suffer any man thus to privilege one crime by another.” Blackstone, l. iv. n. 26.

veteris legis redarguit Isaiæ: “ sacerdos et propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt iudicium.”¹ Apostolus sæpius monet episcopum “ non vinolentum”² esse debere, diaconos similiter “ non multo vino deditos.”³ Equidem Timotheo, infirmæ valetudinis causa, injunxit ut vino modico uteretur, abstinencia quam servabat aliquantulum remissa: “ Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.”⁴ Cæterum periculum omne excessus sedulo cavendum est: “ Ebrietas” inquit S. Petrus Chrysologus, “ est dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, et pudoris injuria: hanc nullus noverit Christianus; ne auditu quidem sacerdos attingat, ne qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat et inveniat exemplum.”⁵ “ Ebrietas in alio crimen est, in sacerdote sacrilegium.”⁶ “ Numquam ego,” inquit Hieronymus, “ ebrium castum putabo.”⁷ “ A crapula et ebrietate,” statuit concilium Lateranense sub Innocentio III., “ omnes clerici diligenter abstineant; unde vinum sibi temperent, et se vino; nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum.”⁸

83. Gulæ remedium præcipuum in studio temperantiæ invenitur. Ad eam hortatur Ecclesiasticus: “ supra mensam magnam sedisti! Non aperias super illam faucem tuam prior. . . Cessa prior causa disciplinæ: et noli nimius esse, ne forte offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.”⁹ Equidem ebriosis vix ullum proderit remedium, nisi ab omni quod inebriare possit, se penitus abstineant; tanta enim plerumque est consuetudinis prævæ vis, ut gustatus semel liquor propositum sobrietatis evertat: quod de iis qui utuntur liquoribus quos vocant *ardentes* præsertim verum est. Liceat cum Hieronymo, eam quæ Nazaræis injuncta est abstinenciam commendante, dicere: “ Dicat quisque quod volet, ego loquor conscientiam meam; scio

(1) Isaiæ xxviii. 7.

(2) 1 Tim. iii. 3. Tit. i. 7.

(3) 1 Tim. iii. 8.

(4) Ibidem, v. 23.

(5) Serm. xxvi.

(6) Ibidem, xxxvi.

(7) In c. i. ep. ad Titum.

(8) Cap. *A crapula*, extra. de vita et honestate clericorum.

(9) Eccl. xxxi. 12, 20.

mihi abstinentiam et nocuisse intermissam, et profuisse repetitam.”¹ Id omnibus sæpe considerandum gulæ servum non posse Deo placere. quibuscumque fulgeat dotibus: “si modum naturæ debitum immo-deratione voracitatis excedas, et vinolentia te ingurgites, quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat.”² Ita Augustinus.

§ VII. DE LUXURIA.

84. Luxuriæ nomine intelligitur voluptatis venereæ appetitus inordinatus. Inter opera carnis quæ qui agunt regnum Dei non consequentur, ab Apostolo recensetur.³ De pluribus criminibus quæ hic referuntur jam egimus, sextum dum explicarem decalogi præceptum:⁴ nunc de pollutione, vel iis quæ ejus periculum afferunt agendum præcipue est.

85. Pollutio seu mollities est seminis humani fluxus absque coitu, vel extra vas, ut maribus contingit, vel intra matricem, ut sæminis. Voluntaria pollutio est peccatum grave contra naturam, nam semen humanum prodigitur quod ad generationem a Deo naturæ auctore ordinatur: quapropter molles a regno cælorum excluduntur.⁵ Ipsa ratio et sensus intimus dictat eam illicitam esse, quam scelus ingens meritò designavit poeta ethnicus:

“Hoc nihil esse putas: scelus est, mihi crede, sed ingens
Quantum vix animo concipis ipse tuo.
Ipsam crede tibi naturam dicere rerum,
Istud quod digitis, Pontice, perdis, homo est.”⁶

Jure meritoque damnavit Innocentius XI. propositionem sequentem: “Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.”⁷

86. Omnis pollutio ad eandem speciem refertur, quapropter modum et instrumenta explicare non est necesse. Sed quæ cum coitu conjuncta est, semine extra vas effuso, malitiam alteram induit. Sic etiam si cum pravo desiderio adulterii, vel alterius criminis patrandi, conjungatur, speciem novam malitiæ habet.

87. Distillatio dicitur fluxus humoris absque delectatione. Si

(1) Comm. in ep. ad Titum c. i.

(3) Gal. v. 19.

(5) 1 Cor. vi. 10.

(2) In Ps. cxlvii.

(4) Supra, p. 124.

(6) Mart. ep. xlii. l. ix.

(7) Prop. xlix.

contingat absque ulla commotione sensus veneri, nullam inducit culpam. Omnis autem notabilis distillatio commotionem spirituum genitalium secum fert, et proinde sub gravi vitanda est, quum sit inchoata quædam pollutio.

88. Semen jam corruptum medicorum judicio licet expellere, juxta plures theologos, modo expelli possit absque libidinis sensu. Sunt etiam qui dicunt ad servandam vitam licere medicinam sumere qua corrumpatur semen, ut postea expellatur. Nunquam autem licet confricando semen etsi corruptum expellere, confricatio enim "tendit de se ad commovendos spiritus carnales, et semen verum expellendum, quod numquam est licitum."¹

89. Si pollutio in somno inceperit, nulla prævia data causa, et in vigilia semiplena continuetur, qui eam absque plena deliberatione experitur cum aliqua sui delectatione, poterit a gravi culpa excusari. Si autem vigilans ipse patiat, absque aliquo consensus in pravam delectationem periculo, pollutionem, quæ in somno inceperat, reus non est: "quia difficillimum est avertere exitum seminis jam e lumbis decisi . . . tum quia non tenetur persona, cum periculo morbi ex semine corrupto retento, effusionem illam impedire."² Cor tamen ad Deum evehendum est, dum quis in tanto periculo præve delectationis constituitur.

90. Optare ob finem honestum: v: g: ad minuendam tentationem, ut natura sponte se exoneret, quamvis periculosum sit, lethale tamen non videtur, dummodo quis pravam delectationem omnino respuat. Gaudium etiam de pollutione quæ absque culpa contigit, natura se sponte exonerante, modo non ex somno turpi vel tactu proprio sit orta, excusatur, si quis utilitatem inde derivatam, scilicet vel tentationis diminutionem, vel valetudinis profectum, respiciat. Rectius dicemus licere de bono effectu, qui ex pollutione involuntaria sit ortus, gaudere.³

91. Pollutio quæ provenit ex causis graviter et proxime in eam influentibus, et positus absque necessitate, gravis est culpa. Hinc qui polluitur, dum absque necessitate cogitat libenter de rebus vene-

(1) S. Alphonsus, l. iii. n. 478.

(2) Ibidem, n. 479.

(3) "He that suffers nocturnal pollution, if he finds a remedy by it, is to rejoice that himself suffered it involuntarily, that is he may rejoice that he did not sin; and of the innocence of the joy he can have no other testimony but by his hating the act in all cases in which it is a sin, and refusing to do it." Jer. Taylor, *Ductor Dubitantium*, l. i. c. iii. Rule v. p. 112.

reis, reus est, etsi ipse pollutionem non intenderit. Sic etiam qui cum puella versari et colloqui pergit diutius, absque necessitate, prævidens pollutionem secururam, excusandus non est.

92. Ex causa autem necessaria, vel utili, vel convenienti animæ aut corpori, si pollutio proventura prævideatur, quam quis tamen animo aversatur, nulla est culpa, nisi adsit consensus periculum. “Hinc etiam prævisa pollutione involuntaria, licet I. Parochis, et etiam aliis confessariis, audire confessiones mulierum, ac legere tractatus de rebus turpibus; chirurgis aspicere ac tangere partes feminæ ægrotantis, ac studere rebus medicis: licet quoque aliis alloqui, osculari, aut amplexari mulieres juxta morem patriæ, servire in balneis, et similia.¹ II. Licet alicui, qui magnum pruritus patitur in verendis, illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur. Caute tamen abstinendum est, si pruritus non sit valde molestus. III. Sic etiam licet, etiam prævisa pollutione, equitare causa utilitatis. IV. Licet decumbere aliquo situ ad commodius quiescendum: V. Cibos calidos aut potus moderate sumere, et honestas choreas ducere.”²

93. Pollutio non est habenda mortalis juxta nonnullos theologos, nisi oriatur ex causa per se mortali in genere luxuriæ. “Hinc infertur I. non esse nisi venialem pollutionem, quæ oritur ex colloquio non diurno cum puella, vel levi aspectu, aut curiosa lectione venialiter turpi.”³ Intelligendum tamen modo quis in ipsa pollutione non sibi complaceat: id enim foret lethale. Lethalem etiam culpam admittunt, qui ex levitate vel curiositate ea faciunt quæ periculum pollutionis sibi afferre ex frequenti eventu norunt. Hinc nonnullis aspectus picturæ obscænæ gravis est culpa.

94. Pollutio involuntaria quæ contingit ex causa graviter illicita in alio genere quam luxuriæ, puta ex ebrietate, non est mortalis. “Tanto magis non erit mortalis pollutio, quæ oritur ex causis venialibus in alio genere, ut ex equitatu, esu calidorum, situ, et aliis similibus actionibus.”⁴ A veniali etiam culpa excusat quævis rationabilis causa.

95. Pollutio quæ contingit in somno ex causa mortaliter mala proxime influente, v: g: ex pravis cogitationibus et desideriis quibus quis dum somno se daret, indulset, est lethalis culpa. Sic lethale est quando quis delectationi sponte ortæ consentit jam vigil.

(1) Hæc pessime detorait infelix redux ad hæreticos.

(2) S. Alphonsus, l. iii. n. 483.

(3) Ib. 484.

(4) Ib.

96. Delectatio *carnalis*, seu venerea, est ea animi voluptas quæ commotionem spirituum generationi inservientium habet adnexam. *Sensitiva*, seu naturalis, dicitur delectatio ex rei cum organo tactus convenientia, absque genitalium spirituum commotione. Veneream delectationem cum advertentia et deliberatione, lethalem semper esse culpam, etsi absit pollutionis periculum, vel consensus in actum carnalem, docet cum pluribus S. Alphonsus de Ligorio.¹ Equidem quælibet delectatio venerea est inchoata quædam pollutio, seu motus ad pollutionem, ideoque gravem habet malitiam. Hinc delectatio hujusmodi, membris genitalibus commotis, gravis est, licet oriatur ex re quæ levis per se est, v. g: vellicando manum puellæ, pedem vel brachium premendo, intorquendo digitos. Difficile etiam est naturalem delectationem a carnali secernere, quoties qui tactus hujusmodi exercent, in iis immorantur, alioquin copulæ et libidini idonei. Sed si quis officii gratia mulierem honeste tangat, culpandus non est, licet invito nascatur delectatio.

97. Delectatio morosa malitiam ex objecto habet; ideoque explicandum est in confessione, quid menti obversaretur. Contingit aliquando quemque delectari cogitando de copula cum muliere pulchra, quin simul advertat eam matrimonio ligatam esse, vel hanc saltem circumstantiam respiciat: quo casu, juxta aliquos, sat erit confiteri delectationem de copula cogitata, nec necesse erit adjungere eam esse nuptam. Cæterum S. Alphonsus post Holzman censet circumstantiam hanc esse explicandam "ratione periculi proximi concupiscendi (saltem ineffaciter) mulierem illam nuptam, in quod se conjicit qui de ea delectatur. Nulli verò dubium committi adulterium, quotiescumque habeatur gaudium, seu complacentia de copula habita, vel desiderium de copula habenda cum conjugata, quia tunc voluntas amplectitur totum objectum pravum cum omnibus suis circumstantiis, nec ab illis præscindere potest, ideoque castitatem et justitiam lædit. Item si quis delectetur de copula sodomitica. Item, si persona quæ delectatur sit voto castitatis obstricta, etiam contra votum peccat."²

98. Oscula libidinosa, quæ scilicet ex copulæ affectu dantur, sunt peccata mortalia, prout perspicue docet S. Thomas: "consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale, et non solum consensus in actum. Et ideo cum fornicatio sit peccatum mortale, et multo magis aliæ luxuriæ species: consequens est quod consensus in de-

(1) L. iii. n. 415.

(2) S. Alph. l. v. c. i. dub. ii. art. ii. n. 16.

lectionem talis peccati, sit peccatum mortale, et non solum consensus in actum. Et ideo cum oscula et amplexus hujusmodi propter delectationem hujusmodi fiunt, consequens est quod sint peccata mortalia, et sic solum dicuntur libidinosi.”¹ Quæ dantur cum periculo proximo pollutionis eandem habent malitiam : imo quæ, ulteriori periculo secluso, dantur ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, gravia sunt, rejecit enim Alexander VII. propositionem sequentem : “ Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis.”² Equidem uti, inquit Mayol, “ consensus in delectationem carnalem istorum actuum est consensus in illud ad quod, quantum est in se, ordinantur a natura, nempe in concubitum, vel illius delectationem.”³ “ De oculis aut amplexibus inter eos (*juvenes*) ad benevolentiam et familiaritatis signa quandoque usurpatis, dum se visitant, aut ab invicem recedunt juxta morem patriæ absque libidine non loquor, nec de iis quæ causa levitatis vanæque lætitiæ, sistendo ibi absque prava intentione et delectatione carnali aliquando inter eos exercentur : non enim excedunt limites peccati venialis, ut dicit Cajetanus de juvenibus qui in choreis digitos mulieris non suæ intorquent levitatis causa.”⁴ “ Oscula et amplexus (de quibus idem, ac de tactibus partium honestarum dicendum) excusari non possunt a mortali inter personas diversi sexus, facti ob delectationem sensibilem persistentem in ipso osculo et amplexu, si fiant cum ardore et mora, replicatis diu in ore oculis, gustatis labiis more columbarum, lingua unius alterius ore excepta, propter præsentissimum periculum consensus in delectationem veneream.”⁵ Oscula quæ fiunt pro more patriæ inter propinquos, amicos, aliosve concives, carent culpa, si absit pravus affectus.

99. Amplexus cum mora grave habent periculum, et culpam inducunt lethalem, præsertim quum studiose fiant. Tactus mamillarum nisi leviter omnino fiat, est gravis culpa. Mulier repugnare debet et niti contra : nec enim caret culpa quæ amplexus tactusve hujusmodi admittit. Excusatur a nonnullis quæ præ verecundia non clamat, ne infamis fiat. Diversa est species peccati si mulier conjugio ligata sit;

(1) 2. 2. qu. cliv. art. iv. *Resp.*

(2) Prop. xl.

(3) Expos. vi præc. art. ii. col. 781.

(4) Ibidem, col. 783.

(5) Tabula lxxi. Francisci Antonii a Goritia.

nam injuriam facit marito, dum oscula aliena, vel tactus admittit. Similiter dicendum de vinculo quocumque quo alteruter fuerit ligatus : v. g : voto, vel ordine sacro.

100. De amplexibus, manuum compressionibus, et similibus, quæ pro more regionum diversarum fiunt amicitiae et officii causa, idem ac de oculis, dicendum. Ubi abest pravus affectus, nil culpandum occurrit in consuetis his animi benevoli indiciiis. Cæterum si qua advertit ea fieri ex pravo libidinis impetu, debet se subtrahere, quatenus possit fama et charitate illæsa. Secretò numquam debet ea acceptare affectus nimii testimonia.

101. Tangere propria verenda ex necessitate, et absque affectu carnali, nulla est culpa : si autem levitas aut curiositas tangentem impellat, culpa erit saltem venialis; mortalis quidem si turpis delectationis periculum immineat, quod plerumque adest dum quis repetitis vicibus, et cum mora seipsum tangit. “ Hinc non excusatur a mortali, qui cum commotione spiritum, et sine justa causa propria pudenda tangeret. Hinc recte ait Tournely, p. 510, con. i. esse mortalem aspectum propriorum genitalium si fiat studiose, et morose, absque necessitate.”¹ Tangere et aspicere animalium pudenda ex curiositate, absque affectu venereo, plerumque veniale est. Ea autem coeuntia morose aspicere periculum habet; quamvis ab omni culpa excusentur qui equos, tauros, et similes conjungunt ad procreandam prolem, modo absit animus libidinosus.

102. Tactus impudici pudendorum personæ diversi sexus, sunt peccata mortalia, ob proximum pollutionis periculum : sed si necessitas medendi urgeat, nullam inducunt culpam, etsi oriatur delectatio, quæ tamen toto animo rejiciatur. Tangere pudenda personæ ejusdem sexus absque necessitate ex joco, petulantia, aut curiositate, veniale erit, si fiat obiter, et leviter, absque affectu et delectatione carnali : plerumque tamen est mortale si fiat cum aliqua mora, ob pollutionis, vel delectationis veneræ periculum. Si supra vestes tactus fiat pudendorum personæ diversi sexus cum mora aliqua, erit etiam mortale : imo vix poterit unquam culpa gravi carere, nisi leviter fiat. “ Croix autem n. 902. probabiliter excusat a mortali ancillas tangentes pudenda puerorum, dum illos vestiunt, nisi cum mora, aut carnali delectatione hoc agant.”

103. Aspicere pudenda personæ ejusdem sexus est plerumque

(1) Alphonsus, l. iii. n. 419.

venialis culpa: mortalis autem si aspiciens sit valde proclivis ad sodomiam: vel ita aspiciendo moretur ut delectationis carnalis periculum afferat. Aspiciere pudenda personæ diversi sexus mortale est, seclusa necessitate, nisi videantur a longe, et tempore brevissimo. Concubium humanum aspiciere cum delectatione et mora aliqua mortale est. Aspiciere faciem, aliasque partes honestas mulieris pulchræ cum mora periculum habet, et gravem culpam inducit, si pergat quis eam attentius aspiciere, dum genitales spiritus commoveri, vel se vehementius tentari ad concupiscendum inde sentit. "Aspicere autem partes minus honestas, sed haud turpes mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, secluso periculo lapsus, et modo aspectus non sit diuturnus, de se non est mortale,"¹ quamvis facile mortale sit in aspiciente valde ad venerem proclivi. "Aspicere picturas obscœnas tantum ex curiositate, non est mortale, si delectatio turpis, et ejus periculum absit."² Morosus tamen aspectus pudendorum mulieris depictæ vix excusatur a mortali, quum periculi plenus sit.

104. Verba turpia proferre vel audire ob vanum solatium, seu jocum, venialis saltem culpa est: mortalis autem, si proferentibus vel audientibus sint occasio pravæ delectationis et ruinæ spiritualis. Ideo vix a culpa gravi excusari possunt qui coram adolescentibus præsertim de coitu, vel pudendis alterius sexus tractant, maxime quando diuturnum fit de iis colloquium. Quæ autem obiter dicuntur venialia esse possunt. Idem dicendum de cantilenis obscœnis; si enim valde impellant ad venerem, eas cantantes, vel cum voluptate audientes, peccatum mortale admittunt: si leviter sint obscœnæ, venialis erit cantantium culpa, dummodo interius sibi non complaceant in rebus pravis. Jactantes sua flagitia duplicem reatum facile contrahunt, quum alios excitent ad peccandum, et in suis peccatis sibi complaceant. Legentes libros obscœnos graviter peccant, quoties turpis delectationis inde oritur proximum periculum, quod vix juvenibus deest. Scribentes, imprimentes, vendentes, et commodantes hujusmodi libros peccati gravis rei sunt.

105. Luxuriæ vitium cœcitatem mentis parit, nam "animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi et non potest intelligere: quia spiritualiter examinatur."³ "Stultitia,"

(1) S. Alphonsus, l. iii. n. 423.

(2) Ibidem, n. 424.

(3) 1 Cor. ii. 14.

inquit S. Thomas, "secundum quod est peccatum, provenit ex hoc quod sensus spiritualis hebetatus est; ut non sit aptus ad spiritualia dijudicanda. Maxime autem sensus hominis immergitur ad terrena per luxuriam, quæ est circa maximas delectationes, quibus anima maxime absorbetur."¹ Sæpe obstat ne fidem quis suscipiat: aliquando animum disponit ad fidem deserendam: et sæpissime facit ut quis gravissima salutis pericula parum perpendat. Hinc præcipientes ruunt in scelera libidinosi, honoris sui et utilitatum immemores. De iudicibus qui Susannam violare concupierunt, scribitur: "exarserunt in concupiscentiam ejus, et everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum justorum."² Amore voluptatis penitus ducuntur, "voluptatum amatores magis quam Dei."³ Hinc fit ut lædeat eos munus religionis, et vitiiis plerisque facile cedant: "Luxuria," inquit S. Ambrosius, "nec fidem habet, nec observantiam disciplinæ: luxuria seminarium et origo vitiorum est."⁴

106. Remedia luxuriæ plura recensentur. Imprimis supplicia quæ reos manent sæpius volvenda sunt animo: et quam sint inanes voluptates cogitandum est. Cibi potusque excessus vitandus est, et caro vitæ austeritate domanda: "Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus."⁵ "Luxuriosa res vinum."⁶ "Nolite inebriari vino, in quo est luxuria."⁷ "Quod si quis existimat, et abundantia ciborum potionumque se perfrui, et vacare posse sapientiæ, hoc est, et versari in deliciis, et deliciarum vitiiis non teneri, seipsum decipit."⁸ Ita Hieronymus. Apostolus, athletarum proposito exemplo, qui ab omnibus se abstinebant, ut certamini forent idonei, dicit: "castigo corpus meum, et in servitatem redigo; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar."⁹ Hinc Hieronymus scribit: "repugnantem carnem, et ad libidinem incentiva rapientem, inedia subjugamus. Esus carniæ, et potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Unde et comicus 'Sine Cerere,' inquit, 'et Libero friget Venus.'"¹⁰ Otium etiam fugiendum est, et sacræ

(1) 2. 2. qu. xlvi. art. iii. *Resp.*

(3) 2 Tim. iii. 4.

(5) Ezéch. xvi. 49.

(7) Eph. v. 18.

(9) 1 Cor ix. 27.

(2) Dan. xiii. 8.

(4) L. de Elia et jejuniis c. xix.

(6) Prov. xx. i.

(8) L. ii. contra Jovinianam.

(10) L. ii. adv. Jovinianum.

lectioni vacandum: "Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. . . . Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum."¹

107. Notat S. Alphonsus, I. quod "ad repellendas tentationes carnales, quoad sensum, valde prodest, ut commotiones compescantur, partes commotas vestibus tegere ac comprimere; ut advertit quidam auctor modernus. Quoad mentem autem præservandam a consensu, prodest sane cogitatio de passione Jesu Christi, vel de pœnis inferni, vel de morte, &c. et etiam de cruciatu remorsus, quem patitur anima post peccatum patratum. Magis verò necessarium erit in hujusmodi concupiscentiis ad orationem recurrere. Castitas enim nonnisi a Deo obtinetur." . . . "Notandum II. non esse obligationem motibus carnalibus resistendi positive, si justa adsit causa non resistendi, nempe si quis expertus sit resistendo magis motus excitari et augeri; vel si motus ortum habeant ex actione necessaria, vel utili: v. g. ex auditione confessionum, ex lectione rerum turpium scitu utilium, ex tactu necessario ad medendum, et simili."²

108. Mulierum nimia familiaritas vitanda est: "In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tineæ, et a muliere iniquitas viri."³ Sensus idcirco custodiendi sunt, ne, oculis in mulieres declinantibus, cupiditas prava nascatur; "Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit."⁴ Præclarum nobis præbet exemplum Job: "Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine."⁵ "Per quinque sensus," inquit Hieronymus, "quasi per quasdam fenestras, vitiorum ad animam introitus est." . . . Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes; anima verò in aurigæ modum retinet frena currentium, et quomodo equi absque rectore præcipites ruunt, ita corpus sine ratione et imperio animæ in suum fertur interitum."⁶

109. Oratio præcipuum est subsidium quo hostem superare valeamus: Apostolo præeunte, qui stimulum carnis passus, ter Dominum rogavit, ut discederet: "et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur."⁷ Hinc præsertim tenta-

(1) S. Hieronym. ep. iv.

(2) Tract. de pec. l. v. c. i. dub. l. n. 8.

(3) Eccl. xlii. 12.

(4) Ibidem ix. 11.

(6) L. ii. contra Jovinian.

(6) Job xxxi. 1.

(7) 2 Cor. xii. 9.

tioni conveniunt Christi verba : " Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma." ¹ Hieronymo vehementioribus pulsato tentationibus oratio cum jejunio conjuncta opem et tranquillitatem attulit. ²

(1) *Mat. xxvi. 41.*

(2) *Ep. xxii. ad Eustochium, de custodia virginitatis.*

CAPUT V.

DE PRAVIS DESIDERIIS.

110. **DESIDERIUM** hic dicitur a theologis voluntas peccatum patrandi. Constat eam esse ejusdem speciei peccatorum ac opus ipsum vetitum, nam Christus docet mulieris desiderium mœchiæ esse crimen.¹ Equidem quum cor pateat Deo, propositum vel cupido voluntaria instar operum sit necesse est. Quod si conditio apponatur, ita ut cupido non sit absoluta, quæritur utrum censenda sit peccatum adeo grave. In iis quæ ex lege pendent positiva, conditio non repugnat, ideoque nullum est peccatum ita animo paratus esse: carnes comederem die Veneris, nisi Ecclesiæ obstaret vetitum.² In rebus autem quæ ad jus naturæ spectant, conditio non tollit fœditatem actui insitam, ideoque desiderium turpe habetur: ex. gr: si quis dicat, vel secum cogitet: libidini me dederem, nisi Deus pœnas minatus fuisset æternas peccatoribus. Cæterum satis probabiliter sentiunt plures theologi, "quod, cum voluntas desiderat aliquod objectum malum impossibile, sub conditione si liceret, numquam efficaciter in illud consensit."³ Desideria tamen hujusmodi plena sunt periculi, et a veniali culpa nullatenus excusanda.

111. Delectatio concepta de malo opere, conditione licet adjecta, si liceret, prava est, et inter lethalia peccata recensenda, quia "quam-

(1) Matt. v. 28.

(2) Idem de delectatione de re peracta dicendum: "He that eateth flesh in Lent in those places and circumstances where it is forbidden, and did not remember it was Lent, or did not know it, and by so doing refreshes himself well, and does advantage to his health, may not be accused easily, if he delights in the whole action, as it joins the error and the advantage." Jeremy Taylor, *Ductor Dubitantium*, l. i. c. 3. Rule v. p. 113.

(3) S. Alph. l. v. c. l. dub. ii. art. i. n. 13.

vis consensus sit conditionatus respectu ad objectum, respectu tamen ad delectationem est absolutus, et cum delectatio reddat objectum præsens, hic et nunc tale objectum, cum sit sejunctum a conditione cohonestante, est simpliciter malum.”¹ Id multo magis dicendum si appetitus sensitivus simul excitetur.

112. Desiderium dicitur *efficax* quando quis sibi proponit peccatum patrare, et illud exequi conatur. *Inefficax* erit si quis non velit illud exequi, quamvis inhiat voluptati menti obversanti: *gaudium* concipitur de malo opere jam patrato: *delectatio morosa* “est quando per imaginationem fantasie quis reddit sibi præsens opus peccati, nempe actum fornicationis, et de illa deliberato consensu delectatur, tamquam actualiter fornicaretur, sine tamen desiderio exequendi.”² *Morosa* dicitur delectatio, quia voluntas in re prava moratur, in ea sibi complacens. Distinguitur a mera cogitatione, qua menti res pravæ exhibentur, quin aliqua inde capiatur delectatio.

113. Cogitatio voluntaria de rebus vetitis nullum est peccatum si necessitas vel utilitas postulet de iis agere: quod si ex curiositate et animi levitate nascatur, venialis saltem est culpa; mortalis, si periculum proximum delectationis de opere malo habeat adjunctum. Cogitatio autem de opere malo patrando, cum delectatione inde derivata, est peccatum quale est opus ipsum. “Sic igitur aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari: uno modo de ipsa cogitatione: alio modo de ipsa fornicatione cogitata. Delectatio autem de cogitatione ipsa sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam: cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, immo quandòque est veniale tantum, puta, cum aliquis inutiliter cogitat de ea: quandoque autem sine peccato omnino; puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare, vel disputare.”³

114. Desiderium copulæ futuræ post nuptias a sponsis, quando de ea cogitando delectantur, prævum est, quia sic voluptas est præsens, et ex re quæ impræsentiarum non licet derivata. Sed licet iis cupere copulam post nuptias habendam, quin præsentem voluptatem ex ea menti objecta quærant. Periculo tamen quæcumque hujusmodi cogitatio non vacat, quum facile commoveatur appetitus sensitivus.

115. Vidua cogitans de copula habita tempore matrimonii peccat

(1) S. Alph. l. v. c. l. dub. ii, art. l. n. 14.

(2) S. Alph. l. v. n. 15.

(3) 1. 2. qu. lxxiv. art. viii. *Est enim.*

quoties delectationem quærit, eam sibi præsentem veluti sistendo. Secus dicendum de cogitatione absque delectatione, vel appetitus sensitivi commotione, quamvis periculum aliquod plerumque adsit.

116. De conjugibus scribit S. Alphonsus: "Vere probabilem censeo sententiam Busembaum, quæ dicit licitum esse conjugibus delectari etiam carnaliter de copula habita, vel futura, semper ac absit periculum pollutionis. Ratio est, quia (prout dicunt Salmanticenses d. n. 84 loquendo de tactibus impudicis) ipse status matrimonii hæc omnia licita reddit; alias status matrimonialis nimis scrupulis esset obnoxius. . . Favet D. Thomas. qu. 15 de Malo, art. ii. ad xvii. ubi dicit quod conjugibus, sicut copula est licita, ita et delectatio de illa."¹

117. De modo singulari quo peccatum aliquod patratum est, aliquando concipitur delectatio quæ culpa caret, quando ipsum opus rejicitur. Sic ars dolusque admirationem quandoque provocant, dum crimen detestamur.

118. De opere malo non licet delectari ob bonum effectum qui inde secutus est. "Si opus fuerit formaliter malum, nempe quia cum peccato patratum fuit, peccat qui de illo delectatur, etiamsi delectetur de opere malo, non ut peccato, sed ut causa effectus secuti. Ita omnino tenendum." . . "Si vero opus malum patratum fuit sine peccato, sentiunt Lessius et Vasquez, quibus adhæret Busembaum, licitum esse de illo delectari, non per se, sed ut causa boni effectus. Sed verius tenendum est oppositum. . . Ratio, quia licet actio non fuerit peccaminosa, fuit tamen objective mala; et hoc, ut recte notant Salmanticenses, n. 59, Roncaglia, et Croix, in dubium non videtur amplius revocandum post Prop. xv. damnatam ab Innocentio XI. quæ dicebat: "Licitum est filio gaudere de parricidio a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas."²

119. "In quocumque casu tamen licet, per se loquendo, cuique delectari, non de casu, sed de effectu secuto, nempe de exoneratione causata a pollutione, etiam voluntaria; vel de consecutione hæreditatis ob homicidium, modo causa detestetur. Dixi, per se loquendo; nam hujusmodi delectationes aliquando non carent periculo, ut recte dicunt Roncaglia, Salmanticenses."³

120. De malo proximi gravissimo non licet gaudere ob utilitatem nobis inde provenientem: v: g: hæreditatem ex ejus morte: ordo

(1) S. Alph. l. v. c. i. n. 25.

(3) Ib. dub. ii. art. ii. n. 20.

(3) Ib.

enim charitatis vetat ne lucrum nostrum vitæ alienæ præponamus. Merito igitur proscriptæ sunt ab Innocentio XI. sequentes propositiones: "Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et, de illius morte naturali gaudere; illam inefficaci affectu petere et desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum." "Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas."¹ "Non damnandus tamen," animadvertit S. Alphonsus, "qui gaudet de effectu secuto, scilicet de hæreditate obtenta ex morte alterius, si non gaudet de causa, hoc est, de morte: licet materia sit periculosa."²

121. "Licitum est autem gaudere de malo proximi, ob majus bonum illius, vel innocentis, nempe si delector de proximi infirmitate, et etiam de morte, ut sic desistat a peccatis, a scandalis, &c."³ "Potest aliquis, salva charitate, optare malum temporale alicui, et gaudere, si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel Communitatis, vel Ecclesiæ."⁴ Aliqui opinantur, et adhærent Salmanticenses, n. 44, et Roncaglia, posse patrem optare mortem filii, si timet ex ejus flagitiis dehonestandam familiam.

122. Aliqui non improbabiler affirmant licere sibimet mortem optare ad vitandam vitam nimis duram causa infirmitatis, sævitæ viri, mendicitatis et similibus, casu quo vita tam molesta æstimaretur durior ipsa morte.⁵

(1) Prop. xiii. et xiv. damn. anno 1679.

(2) Theol. Mor. l. v. c. i. Dub. ii. art. ii. n. 20. (3) Ibidem, n. 21.

(4) 3 Sent. Dist. 30, qu. i. art. i. ad iv.

(5) S. Alph. ubi supra. n. 22.

TRACTATUS VIII.

DE OBLIGATIONIBUS SPECIALIBUS.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

§ I. DE CLERICIS MINORIBUS.

1. CLERICI dicuntur quotquot ritu quem dicunt tonsuram, capillorum scilicet tonsione, in cœtum sacrum cooptati sunt, et in sortem Domini vocati; *κλήρος* quippe *sortem* apud Græcos significat.

2. Clerici omnes tenentur ex lege communi tonsuram et habitum ecclesiasticum, vestem scilicet talarem, deferre.¹ “Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.” Ita concilium Tridentinum, quod jubet “si postquam ab episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius episcopi ordinationem, et mandatum non detulerint, per suspensionem—coerceri possint, et debeant.”² Cæterum in hac regione tonsura plerumque non fit, nisi in ipsa initiatione; quum inter hæreticos versemur, quibus irrisioni foret absque religionis lucro. Vestis talaris etiam non deferitur; sed plerumque vestis infra genua undequaque pendet. Alicubi exterior vestis ejusdem est formæ ac quæ a laicis deferretur, nigri tamen coloris. Consuetudini vigenti

(1) Cap. xxv. *de vita et honest.* Vide et conc. Trid. Sess. xiv. c. i&.

(2) Sess. xiv. c. vi. *de ref.*

videtur stari posse, quamdiu episcopus quid speciale haud decreverit: sed cavendum ne discrimen omne inter clericos et laicos tollatur, nam ad decus sacri ordinis pertinet, ut vestibus, sicut et moribus, discernantur, adeo ut consuetudo qua discrimen tolleretur, plerisque videatur corruptela, vi et excusatione carens, “nisi justis causa timoris exegerit habitum transformari;”¹ vel nisi gentis mores inveterati obstent, sicut apud Indos contingere dicitur.

§ II. DE CASTITATE SERVANDA.

3. Tenentur subdiaconi, et qui sacro alio ordine insigniti sunt, ad servandam castitatem, adeo ut irritum sit matrimonium attentatum post ordinem sacrum susceptum. “Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, et monachis, concubinas habere, seu matrimonia contrahere, penitus interdiximus; contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi, et personas ad pœnitentiam debere redigi, juxta sacrorum canonum definitionem judicamus.” Ita concilium Lateranense I.²

4. Ut castitas sacerdotum suspicione ac periculo sit immunis, “vetuit omnino magna synodus (*Nicæna*) ne liceat episcopo, nec presbytero, nec diacono, nec ulli penitus eorum qui sunt in clero, subintroducendam habere mulierem, præterquam matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quæ omnem suspicionem effugiunt.”³ Plurimis specialibus sanctionibus disciplina hæc sæpe munita est; sed temporum injuria et locorum consuetudine etiam imminuta. Cæterum castitas est omnino servanda, et ea adhibenda est cautela in ancillis sœligendis quæ speciem omnem mali amoveat. Igitur maturioris ætatis et famæ integræ eas esse oportet: et cavendum ne moribus quis dent locum suspitioni. Sacerdotibus ipsis tanto studio vacandum est litteris et muniis sacris, ut humanæ salutis hosti locus nullus detur. Equidem nemo sibi securitatem poterit polliceri; ideoque oratione divinum auxilium quærendum est. Oportet etiam, quatenus fieri possit, ut sacerdos secum habeat commorantem vel juvenem quem ad sacrum ministerium verbo et exemplis parat, vel alium qui testis sit morum integritatis.

(1) Conc. Lat. iv.

(2) Can. xxi. Vide Theol. Dogm. Tract. xv. cap. xii. vol. iv.

(3) Can. iii. Vide et tit. ii. de cohabitatione clericorum et mulierum, can. ix.

5. Quidquid contra castitatem admittitur ab eo qui sacrum suscepit ordinem grave est peccatum, sacrilegii malitia accedente impuditiæ. Pollutio voluntaria, nemine conscio, Deum habet testem et iudicem, qui crimen nefandum damnat in eo qui indigne ejus gerit vices. Graviter peccat qui fornicatur, pessimi exempli et scandali malitia sacrilegam impudicitiam augens: gravior qui consuetudine flagitii illius utitur, concubina sibi sumpta: quorum delicta severioribus pœnis plecti jubet concilium Tridentinum:¹ gravissime qui matrimonii nomine prætexit culpam, quippe qui animi propositum in peccati consuetudine constans prodit, et cum magna fidelium offensione, quæ sua voluntate contraxit vincula rumpere attentat. Id haud prætermittendum, canone vetari ne fideles a clerico qui notorie concubinarius est, sacramenta percipiant, vel sacrificio ab eo celebrato intersint: quod præcipitur: "ut peccandi licentia cæteris auferatur, et hujusmodi ad prænitentiæ fructum trahantur."²

§ III. DE OFFICIO RECITANDO.

6. Recitationem officii divini omnibus sacro ordine insignitis injungi constat ex consuetudine ubique recepta, et vim legis obtinente.³ Quod autem nonnulli, in Germania præsertim, hanc obligationem hodiedum negligant et impugnent, universalis Ecclesiæ auctoritati et theologorum consensui nequit vim detrahere. Tenentur omnes sacro ordine insigniti, etiam excommunicati, vel degradati, nec enim ex crimine oportet commodum reportare: attamen in gravissimis rerum angustiis, in quibus vix recitari possit, ex æquitate obligatio remissa videtur.⁴ Incipit autem obligatio a suscepto subdiaconatu, qui quum tertia a solis ortu hora, vel circa meridiem soleat conferri, ab ea hora plerumque, illius diei officium recitandum erit. Tenentur etiam religiosi omnes ad chorum destinati, tum viri tum feminæ; solemnem emissam professione: nec desinunt obligari, licet ejecti e monasterio, vel in carcerem ob crimina detrusi. Impediti quacumque ratione ne in choro adsint, tenentur ad privatam recitationem officii, nisi infirmitas, vel alia justa causa eos excuset. Qui beneficium obtinuerunt ad recitandum officium pariter obligantur.

7. Quum recitatio officii nomine Ecclesiæ munus sit gravis pro-

(1) Sess xxv. c. xiv. de Ref.

(2) De cohabit. cler. et mulier. cap. vii.

(3) Vide Mayol, Præloquium Decal. qu. ii.

(4) Ibidem.

fecto momenti, grave est peccatum eam semel omittere, vel partem notabilem. Qui consultò negligit unam horam parvam recitare, theologorum omnium sententia, peccat graviter.¹

8. Ex bulla S. Pii V. quæ incipit; "*Quod a nobis*;" sæculares et regulares omnes, quibus ducentorum annorum contrarius usus, specialis scilicet breviarii, non suffragetur, tenentur ad recitandum Breviarium Romanum. Extra chorum hoc recitantes non tenentur ad officium defunctorum nisi semel in anno, in solemniori eorum commemoratione die 2 Novembris, seu post vespertinas horas festi Omnium Sanctorum.² Tenentur ad recitandas litanias in festo S. Marci, et diebus rogationis: cui muneri non satisfacit pridie recitando.³ Apud nos Breviarium Romanum receptum est, ad quod omnes tenentur, exceptis religiosis qui speciale sui ordinis Breviarium habent: quos si contigerit cum episcopo commorari, poterunt Breviario, quo utitur, et ipsi uti:⁴ secus debent sui ordinis morem sequi, nisi specialis eis licentia ab eo discedendi data sit. Nemo autem poterit specialia Breviaria in aliquibus diocæsis Galliarum adhibita, quale est Parisinum, in hac regione recitare; quum mores illi seu privilegia, (quidquid de iis censendum sit,) nihil hic valeant; et unusquisque tenetur ad officium Ecclesiæ cui adscriptus est recitandum.⁵

9. Tenentur omnes ad recitandum officium quod singulis diebus adsignatum est: non enim est privati cujusque ordinem a suprema auctoritate constitutum, vel legitima consuetudine definitum, temere immutare: quod si quis passim tentet, vel semel consultò, videtur graviter peccare.⁶ Cæterum si quis errore recitaverit officium diversum ab eo quod diei alicui adsignatum est, non existimamus eum ad aliud teneri; quum præcepti substantia impleta sit, et error vacet culpa; vel ex culpa levi ortus sit, si ex quadam negligentia contigerit. Meritò autem damnata est ab Alexandro VII. propositio: "*In die palmarum recitans officium paschale, satisfacit præcepto.*"⁷ Equidem satis intelligitur hoc loco agi de eo qui scienter aliud præ alio officium recitat, et quidem brevissimum præ longiori, neglecto mysterio quod eo die specialiter colendum est.

(1) Vide Antoine Tract. de Virtute Religionis, c. i. qu. iii. 3.

(2) S. R. C. die 4 Sept. 1745.

(3) S. R. C. die 28 Martii, 1775.

(4) Ex Clem. ii. de cel. Miss.

(5) Cap. xiii. et cap. xiv. dist. xii.

(6) Antoine post plures. Tract de virtute Rel. c. i. qu. iv.

(7) Prop. xxxiv.

10. Tempus recitandi officium juxta veterem disciplinam, quæ et mores Judæorum in Deo orando imitata est, fuit ut nocturnum quodlibet singulis noctis vigiliis recitaretur, (nox quippe in tres vigiliis distribuebatur,) Laudes canerentur diluculo; Prima, jam orto sole; Tertia, medio veluti intervallo inter solis ortum et meridiem; Sexta, meridie; Nona, sole ad occasum medio itinere a vertice cælorum properante: Vesperæ et Completorium, sole jam occidente. Jam verò recentiori more licet extra chorum tria nocturna seu matutinum, cum laudibus, pridie recitare ab eo tempore quo sol ad occasum vergit, hora scilicet nona; et apud nos ex speciali indulto ab hora secunda post meridiem. Horæ parvæ quæ dicuntur, Prima scilicet, Tertia, Sexta, et Nona, recitantur plerumque mane, quolibet tempore ante meridiem; Vesperæ cum Completorio post meridiem, nisi tempore quadragesimali diebus ferialibus, in quibus Vesperæ ante meridiem dicuntur. Cæterum ea est latitudo, ut satisficiat oneri, qui officium integrum recitat quolibet tempore a media nocte usque ad mediam noctem; data etiam facultate matutinum pridie, prout dictum est, recitandi. Plures quidem hymnorum voces male congruunt temporibus aliis, præter ea quibus adsignatæ sunt singulæ horæ: "Nocte surgentes vigilemus omnes," etc. "Jam lucis orto sidere," "Te lucis ante terminum;" sed hæc referuntur ad ea tempora, et lata acceptatione intelliguntur. Venialis tamen plerisque videtur culpa nimium differre officii recitationem, præsertim cum facile nascatur difficultas illud ante mediam noctem totum persolvere.

11. Si oblivione vel difficultate nimia ob occupationes prorsus necessarias, v. g: ut periclitantibus vita dentur ultima subsidia, contingat officium omitti, necesse non est illud deinceps recitare, quum onus sit diei affixum.

12. Ante Missæ celebrationem Matutinum cum Laudibus recitandum est, uti præscribit Rubrica Missalis. Cæterum plerisque theologis venialis tantum videtur culpa, si Missa quandoque prius celebretur; quamvis plures ingentem culpam in ea agendi ratione esse sentiant; aliis etiam assentientibus, si quis ita consueverit, eam Rubricæ regulam parvi faciens, et veluti contemnens. Missionarii facile excusantur, si ob sui ministerii munia ita agant; nec nimis angari debent, quoties causa sit æqua celebrandi, matutino officio nondum recitato. Cæterum pridie plerumque est recitandum ne quis deinceps impediatur.

13. Horæ omnes recitandæ sunt ea serie et ordine quo in Brevia-

rio habentur: quod si quis ordinem hunc casu inverterit, putans se horam recitasse, quam deinceps novit se omisisse, supplere oportet quæ sunt omissa, quin ad recitationem iteratam teneatur. Sic ob causam æquam, quod scilicet cum alio, qui alteram partem jam persolvit, simul oraturus sit, licet partem illam prætermittere, ut deinceps recitetur. Missionarius equo vectus optime facit recitando Laudes; Matutinum deinceps, quum domi fuerit, ex libro lecturus.

14. Debet quisque serie continuata officii partem integram recitare: nam ita sane vult Ecclesia, partes singulas certis temporibus assignans. Peccant igitur venialiter, qui temere abrumpunt officium, ut colloquia misceant, vel mundanæ indulgeant lætitiæ. Sed si æqua sit ratio, nulla erit culpa; puta si quis advenerit, consilium, vel opem, petiturus. Nulla etiam videtur culpa singula nocturna distinctis temporum intervallis recitare; nam olim consueverunt ita dividi, et hodierna consuetudo indulgentiæ, magis quam legis, speciem præferret. Id tantò magis de Laudum a Matutino separatione dicendum est. Contradicit tamen Azor; et nocturna plures censent esse omnino simul recitanda.

15. Optandum profectò ut officium integre et devote recitetur, animo ad Deum evecto: nec enim alia ratione meritum quisque apud Deum comparabit. Cæterum inquiritur, utrum culpæ mortalis reus habendus sit, qui, ex voluntate muneri satisfaciendi, integrum recitat officium, quin eam mentis attentionem, et voluntatis affectum studeat adhibere. Plures affirmant, adducuntque in medium decretum concilii Lateranensis IV., quo districtè præcipitur clericis in virtute obedientiæ, “ut divinum officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote:”¹ et illud Tridentini de canonicis, de quibus jubet ut compellantur “in choro ad psallendum instituto, hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.”² Hæc quidem probant Ecclesiæ mentem esse, ut divinæ canantur laudes animo pio et devoto; sed vix possumus nobis suadere legem ad animi attentionem et devotionem pertinere, quum exteriorem reverentiam cultumque directe respiciat. Putamus idcirco eum qui integrum recitat officium, quamvis absque pio animæ motu, et congrua attentione, a culpa mortali eximi: cæteroquin fructu orationis carere.

16. Qui recitat officium cum socio, etiam extra chorum, satisfacit

(1) Cap. *Dolentes*, de cel. missæ.

(2) *sess.* xxiv. cap. xii. de ref.

suo muneri, quum ita ferat consuetudo, quæ etiam laudabilis est, utpote antiquo mori canendi in choro vicissim consona, et consortium precum indicans. Nec interest utrum socius ad officii recitationem teneatur, dummodo valeat recitare verba, et distincte et integre totum persolvatur. Peccatur autem facile nimia festinatione, et vocum de truncatione: sed non nimis scrupulose angi quis debet ob alterius simul recitantis defectus, vel ob voces non auditas, dummodo, quod in se est, integre partem suam recitet.

17. Qui solus recitat officium debet singulas voces proferre, nec enim recitaret qui eas tantum videret et legeret, absque ullo linguæ motu, qui requiritur ad orationem vocalem, qualis ab Ecclesia præcipitur. Necesse tamen non est voces ita proferre, ut audiri queant ab alio, vel ab ipso qui recitat, quum vocalis sit oratio, vocibus articulatim prolatis, licet non audiantur.

18. A recitando officio excusatur quis gravi infirmitate, vel quæ grave discrimen secum fert.¹ Medici autem vel prudentis viri iudicio, præsertim superioris, standum erit, si res dubia videatur. Febris periculum, capite jam incalcescente, vel dementiæ discrimen, animo nimis sollicito et scrupuloso de vocibus singulis proferendis, erit idonea causa cur quis excusetur.

19. Gravis et repentina occupatio, quæ necessaria est, etiam excusat: sicut si quis totum diem debeat impendere ægrotis subveniendis; nec enim vult Ecclesia ut necessaria munia omittantur. Cæterum quisque præcavere debet, et mane recitare officium totum, si prævideat eventura esse deinceps quæ eum omnino detineant. Qui occupatur in audiendis confessionibus eorum qui viribus valent, non debet se habere excusatum a recitando Breviario, nisi superioris accedat auctoritas; nec enim est necesse ut tunc audiantur. Missionariis in hac regione indulgetur ut Rosarium recitent, quoties impediuntur ne recitent Officium; sed raro et gravi admodum de causa venia hac uti decet, quum plerumque volentibus sit copia commune illud munus ecclesiasticorum persolvendi.

20. Impotentia recitandi orta ex cæcitate videtur omnino excusare a recitando officio, licet quis possit partem ejus aliquam memoriter proferre: nam conditio cæci ea est quæ *per se* hominem ei muneri impari facit; et *per accidens* est ut quis aliquam ejus partem explere valeat. Quod si quis impotens fiat ad tempus ex casu aliquo,

(1) Cap. iii. dist. xci.

verbi gratia, ex eo quod oblitus sit Breviarii, vel illud amiserit, debet quatenus potest muneri satisfacere, quæ memoria tenet recitando. Meritò igitur damnata est ab Innocentio XI. propositio: "Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem."

21. Dispensare valet Papa ab hoc munere; sed et episcopi in casibus singularibus, ob æquam causam; non autem possunt universim eximere aliquem ab eo onere, quod universalis Ecclesiæ consuetudine nititur.

22. Beneficium ecclesiasticum possidentes tenentur ad persolvendum divinum officium, sub pœna non faciendi fructus suos.¹ Qui choro addicuntur, debent interesse, et canere, seu alta voce recitare divinum officium.² Cæterum quum nullum sit beneficium vel collegium canonicorum in his provinciis, quæstiones plurimas silentio prætermittere licet.

§ IV. DE OBEDIENTIA.

23. Qui sacerdotium susceperunt obedientiam et reverentiam solemniter polliciti sunt episcopo, cui obtemperare debent in iis quæ pertinent ad mores et ad disciplinam ecclesiasticam, juxta canones et legitimum auctoritatis exercitium.³ Clerici inferiores episcopo obedire quoque oportet, ex ipsa Christi lege, qua, docente Apostolo, præpositis obediendum est.

24. Subdiaconi *ad titulum missionis* ordinati, in hac regione jurati pollicentur se missionibus diœcesis in quam cooptantur sub obedientia Ordinarii perpetuò inservituros: ita enim jussit S. Sedes, titulum hunc probans. Tenentur igitur, episcopo jubente, ordines diaconatus et presbyteratus suscipere, et in eum locum diœceseos se conferre, in quo ipse censuerit eos laborare debere in salutem animarum. Debent etiam per totam vitam in eadem diœcesi manere; et contra juramentum peccant, si, ut se subducant episcopi auctoritati, et veniam discedendi extorqueant, artes adhibeant dolosque: vel sua ratione agendi necessitatem se dimittendi imponant: nam dum quis

(1) Conc. Lat. v. Sess. ix. et Constit. Pii V. Ex proximo.

(2) C. ix. dist. cii. et Trid. Conc. Sess. xxiv. c. xii. de reform. et Constit. Benedicti XIV. Cum semper.

(3) Cap. Quia frater, vii. qu. ii. et cap. xvi. de offic. jud. ordin.

se obligat ad operam suam semper præstandam, intelligitur spondere se nullum sua voluntate objecturum obicem promissioni implendæ. Cæterum si gravis et æqua ratio suadeat ad aliam diocesium transire, non peccat venia humiliter expetenda. Contra juramentum peccant si recusent animarum curam suscipere, jubente episcopo, vel sacris missionibus dare operam, vel alias pro sacro suo munere in animarum salutem incumbere. Sed si haud idoneos se noverint, vel scientiæ defectu, vel ob animi ad vitia proclivis infirmitatem, excusantur, dum onus deprecatur: nec tamen debent suo fidere iudicio contra episcopi et confessarii mentem.

25. Omnes clerici debent episcopi statuta in synodo edita de moribus suis et vitæ ratione, et de sacris muneribus, sancte servare: quæ si neglexerint, peccant gravius vel levius, pro rerum natura, et legislatoris mente. Debent insuper episcopi jussa singulis data de iisdem rebus ad amussim servare: nam potestate præstat jubendi, et sæpe necesse est singulis specialia dare præcepta sibi accommodata. Igitur qui negligit quæ jubet episcopus de evitando consortio, quod suspicionem præbet: vel de Latino sermone in funeribus, et in aliis sacris ritibus, adhibendo, juxta concilium Baltimorese I. et usum Ecclesiæ, a gravi peccato non est facile excusandus. Quo tendant statuta et jussa episcopi ex concilio Tridentino quod mores clericis convenientes explicat, colligitur: "Sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem."¹

§ V. DE IIS QUÆ CLERICIS VETANTUR.

26. Armorum gestatio clericis vetatur anathematis pœna intentata: "Clerici arma portantes et usurarii excommunicentur."² Militia iis prohibetur;³ nam sanguinem fundere non convenit mansuetissimi Servatoris ministris. "Bellica exercitia maxime repugnant illis officiis, quibus episcopi et clerici deputantur, propter duo. Primo quidem generali ratione: quia bellica exercitia maximas inquietudines

(1) Sess. xxii. cap. i. Decr. de reform. (2) Cap. ii. de vita et honestate.

(3) Cap. *Quicumque*, xxiii. qu. viii. et can. v. dist. l.

habent. Unde multum impediunt animum a contemplatione divinarum, et laude Dei, et oratione pro populo, quæ ad officium pertinent clericorum. Et ideo sicut negotiationes propter hoc, quod nimis implicant animum, interduntur clericis: ita et bellica exercitia secundum illud ii. ad Tim. ii. ‘Nemo militans Deo¹ implicat se secularibus negotiis.’ Secundo propter specialem rationem. Nam omnes clericorum ordines ordinantur ad altaris ministerium, in quo sub sacramento repræsentatur passio Christi: secundum illud i. ad Corinthios ii. ‘Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Et ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem, sed magis esse paratos ad propriam sanguinis effusionem pro Christo, ut imitentur opere quod gerunt ministerio. Et propter hoc est institutum, ut effundentes sanguinem, etiam sine peccato, sint irregulares. Nulli autem qui est deputatus ad aliquod officium, licet id, per quod suo officio incongruus redditur. Unde clericis omnino non licet bella gerere, quæ ordinantur ad sanguinis effusionem.’² Ita præclare disserit S. Thomas.

27. Clericis districtè prohibetur sanguinem humanum fundere etiam juxta ordinem justitiæ; vel operam suam ei fundendo præstare: “Sententiam sanguinis nullus clericus dictet, aut proferat: sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur intersit. . . Nec quisquam clericus litteras scribat aut dictet pro vindicta sanguinis destinandas.”³ Ita concilium Lateranense iv. Rationes vetiti apud S. Thomam invenire est: “Primo quidem, quia sunt electi ad altaris ministerium, in quo repræsentatur passio Christi occisi: ‘qui cum percuteretur, non repercutiebat,’ ut dicitur, 1 Pet. ii. Et ideo non competit, ut clerici sint percussores, aut occisores. Debent enim ministri suum dominum imitari.”⁴ *Irregulares* fiunt qui ad sanguinis humani fusionem operam præstiterint.

28. Chirurgiæ exercitium, quo adustio vel incisio infertur, sacro ordine initiatis non licet: “Nec ullam chirurgiæ artem subdiaconus,

(1) τφ θεφ. In aliquo codice, quem notat Griesbach, invenitur, sed in recepto textu deest. Videtur Apostolus exemplo militum uti, quibus legibus vetabatur ne negotia, instar cæterorum civium, exerceant, ut rei militari toti vacarent, et imperatoris jussis implendis semper forent parati.

(2) 2. 2. qu. xl. art. ii. *Resp.*

(3) Can. xviii. Vide et cap. ix. *Ne clerici vel monachi.*

(4) 2. 2. qu. lxiv. art. iv. *Resp.*

diaconus, vel sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit.”¹ Imo vetatur iis medendi artem exercere.²

29. Negotiatio clericis non licet;³ fit autem dum res emitur animo eam integram et immutatam vendendi, vel permutandi, cum lucro: “Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici causa lucri negotientur.”⁴ Ita decrevit Alexander III. Nec licet per alium negotiari, societate cum mercatore inita: nam Benedictus XIV. extendit canonum pœnas ad eos qui “illicite sub alieno nomine negotiantur, perinde ac si per seipsos, ac proprio eorum nomine, negotia illa exercerent.”⁵ Equidem non decet clericos lucro inhærere, vel rebus terrestribus vacare, quum sint Deo mancipati. Cæterum non dicuntur negotiari qui suorum prædiorum fructus, vel alias res suas vendunt. Negotia sæcularia universim iis vetantur: “Clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant, maxime inhonestas:”⁶ ideoque nequeunt exercere officium advocati, procuratoris, tabellionis. In propriis causis, sicut et in pauperum gratiam licet advocati munere fungi.

30. Ludus alearum clericis vetatur. “Clerici . . . ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.” Ita concilii Lateranensis IV. patres.⁷ Religiosis gravior est obligatio ob studium perfectionis ad quod voto obligantur: cæteris clericis alicubi in more est aliquando ludere chartis ad animi solamen, ob parvam pecuniam; moribus autem nostris strictior disciplina convenit, quum scandalum ex aliquo hujusmodi lusu facile oriatur, præsertim apud sectas.

31. “Mimis, jocularibus, et histrionibus non intendant, et tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.”⁸ Hæc cæteraque conciliorum antiquorum et pontificum decreta innovavit concilium Tridentinum, statuens, “ut quæ alias a summis pontificibus, et a sacris conciliis de clericorum vita, honestate, cultu,

(1) Cap. *Sententiam*, ix. Ne clerici, vel monachi.

(2) Vide Ferraris Bibliothecam Art. clericus, n. 78.

(3) Cap. xv. de vita et honestate, et Clement. i. eod. tit.

(4) Cap. vi. Ne clerici vel monachi.

(5) Const. quæ incipit, *Apostolicæ servitutis*.

(6) Conc. Lat. iv. can. xvi. *Ne clerici vel monachi*.

(7) Cap. Clerici, de vita et honestate, et cap. i. dist. xxxv. et cap. xi. de excessibus prælat.

(8) Conc. Lat. iv. can. xvi. Vide et dist. xlv.

doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugendis copiose ac salubriter sancita fuerant, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitrio ordinarii imponendis, observentur.”¹

32. Quam dedeceat clericos avaritiæ vitium ex iis quæ de negotiatione diximus, colligere licet, nam hæc præcipue vetatur ne lucro inhiat clericus, quod turpe foret studium: “ne lucra sæculi in Christi quæras militia,” ait Hieronymus.² Ipse Apostolus voluit diaconos eligi “non turpe lucrum sectantes.”³ Quo quis magis auctus est dignitate, eo magis alienum esse oportet a turpi illa cupidine, quæ radix est malorum. Ideo cavendum ne sacra mœnera exerceanur præcipue ob eleemosynas fidelium quæ eorum occasione dantur: vel subtrahantur pauperibus. Omnis mercimonii et pacti species evitanda est, et quæ dantur sustentationis subsidia accipienda sunt ut consulatur necessitati, potius quam ad coacervandas divitias. Ne quidem senectutis et infirmitatis causa pecunia est sollicitius quærenda; quamvis enim liceat modicum quid sibi servare, ubi alia ratione certum non habetur subsidium, nimia illa sollicitudo animum distrahit a pietatis studio, et magnæ offensionis est fidelibus. Omnino dedecet sacerdotes pecuniam augere mutuo præstando: quidquid enim sit de auctario, utrum liceat necne, de quo in tractatu de contractibus agemus, a sacrorum ministrorum instituto alienum est, et negotiationis speciem præsefert. “Huc refer quæstum usurarium:” inquit Zallingerus, de iis loquens operibus “quæ per se abhorrent ab honestate clericali.”⁴

§ VI. DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM.

33. Episcopi tenentur ad omnia munia obeunda quæ ad animarum regimen et salutem spectant. Eos alloquitur Paulus: “Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo.”¹ Vox Græca ποιμαίνω omnia pastoris munia includit. Ita et Petrus: “pascite, qui in vobis est, gregem Dei; providentes spontanee secun-

(1) Sess. xxii. cap. i. de Ref.

(2) Ep. ii. ad Nepotianum.

(3) 1 Tim. iii. 8.

(4) Inst. Juris Eccl. l. iii. tit. i. ii. § 6. cit. c. i. de vit. et hon. cleric.

(5) Act. xx. 28.

dum Deum . . . forma facti gregis ex animo.”¹ Eos præsertim spectat concilii Tridentini decretum: “Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio et veritate pascant, et regant.”² Declarat idcirco eos “obligari ad personalem in sua ecclesia vel diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi munere defungi teneantur: neque abesse posse, nisi ex causis, et modis infrascriptis. Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnumquam abesse postulent, et exigant; decernit eadem Sacrosancta Synodus, has legitimæ absentiæ causas a Beatissimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel, eo absente, suffraganeo episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitanus absentiam probare debet, in scriptis esse approbandas . . . ad eundem tamen cum concilio provinciali spectabit iudicare de licentiis a se, vel a suffraganeo datis, et videre, ne quis eo jure abutatur; et ut pœnis canonicis errantes puniantur.”³ Urgente persecutione non debet episcopus deserere gregem cui pastoris præsentia sit necessaria: quod si ei provideat, licebit aufugere donec tempestas fuerit sedata.⁴

34. Synodum diœcesanam quotannis debet celebrare:⁵ et visitare diœcesim: “Patriarchæ, Primates, Metropolitanus, et episcopi propriam diœcesim per seipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si quotannis totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.”⁶

35. Tenentur episcopi ad confirmationis sacramentum administrandum adeo frequenter ut copia sit fidelibus illud suscipiendi.

(1) 1 Pet. v. 2.

(3) *Ibidem*.

(5) *Sess. xxiv. cap. ii. de ref.*

(2) *Sess. xxiii. cap. i. de reform.*

(4) S. Thom. 2. 2. qu. clxxv. art. v.

(6) *Ibidem, c. iii.*

Quum autem non sit ad salutem necessarium, non tenentur ad illud conferendum, si vitæ grave periculum adsit, quamvis illud, præclaro sane charitatis exemplo, peste laborantibus S. Carolus Borromæus contulerit.¹ Laudabile quoque est episcopum paratum se exhibere ad illud conferendum vita periclitantibus, etiam pueris,² quamvis ad id teneri non videatur. Cæterum non vacaret culpa recusare illud petenti in mortis discrimine, si absque gravi incommodo illud posset ministrare. Non tenetur tamen ad illud conferendum omni petenti quolibet tempore, si nulla sit ratio gravis cur statis diebus cum aliis petens non se sistat.

36. Ad pœnitentiæ sacramentum ministrandum non tenetur episcopus, suppetentibus sacerdotibus qui eo munere fungantur; nam quum regimen ei sit commissum, vix convenit animarum arcana scrutari, ne existimetur ea aliquatenus uti notitia. Laudabile proinde videtur ab hoc ministerio se abstinere, præsertim erga sacerdotes, sanctimoniales, aliosve quos regere oportet. Cæterum sacerdotum inopia et consuetudo apud nos invecta faciunt ut vix possit episcopus ab excipiendis laicorum confessionibus se abstinere. Pontificale Romanum quidem in Visitationis muniis describendis dicit: “expedita confirmatione—confessiones, et deinde querelas, si quæ sunt, audit:” sed id intelligendum videtur de peccatis reservatis.

37. Ordines per se conferre debet episcopus, juxta Tridentinum decretum: “Episcopi per semetipsos ordines conferant; quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam jam probatos, et examinatos ad alium episcopum ordinandos dimittant.”³ Magna cum diligentia examen faciendum est, ne quis indignus, vel parum idoneus in sacrum ministerium subrepat:⁴ “Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.”⁵

38. In muneribus designandis, quibus sacerdotes vacare oportet, singulorum dotes meritaque perpendere debet, et rationis iudicium, potius quam animi affectum, sequi. Invigilandum etiam est ut omnes sua expleant munia integre sancteque; et qui deliquerit corripendus et puniendus est, ne munere sacro in animarum perniciem abutatur.

(1) Vide Benedict. xiv. de Syn. l. xiii. c. xix. n. v.

(2) Ibidem, l. vii. cap. x. n. viii.

(3) Sess. xxiii. cap. iii. de Ref.

(4) Ibidem. cap. vii.

(5) 1 Tim. v. 22.

39. Debent episcopi omnium virtutum esse exemplar: "In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum."¹ "Exemplo esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate."² Equidem perfectos esse eos decet, quum munere sanctissimo fungantur, magistri sanctitatis constituti, et in perpetuum ad curam animarum adstricti: "episcopi," inquit S. Thomas, "obligant se ad ea quæ sunt perfectionis, pastorale assumentes officium ad quod pertinet, ut animam suam ponat pastor pro ovibus suis, sicut dicitur Joannis x."³ Ex his facile colligitur episcopatum a nemine appetendum, quum gravissima secum ferat onera, cum potestatis in alios exercitio, cui nemo se idoneum judicare debet:⁴ non est tamen pertinaciter recusandus, si superior id muneris imponat.⁵

40. Concilium Carthaginense iv. sanxit, "ut episcopus pro rebus transitoriis non litiget provocatus."⁶ Attamen suæ ecclesiæ jura et possessiones defendere debet, quum suæ fidei credantur: sed paci et concordie præsertim studendum. "Sacerdotis procul dubio," inquit S. Gregorius M. "convenit gravitari, ut si quis ecclesiæ suæ causas habuerit, aut pacifica eas ordinatione, si fieri potest, aut certe judicio interveniente, sine mora definiat, ut sublata e medio contentionis materia, sola illi cum filiis suis pacis possit concordia permanere."⁷ Si aliquando vi cedere oporteat, providendum erit ne præjudicium aliis inde nascatur; sicut ipse Gregorius suo exemplo nos docet, ad Italicam Patriciam scribens: "Scimus nosmetipsos, juvante Domino, causarum litigiis ecclesiastica moderatione compescere, atque secundum apostolicum illum sensum, rapinam bonorum nostrorum cum gaudio sustinere. Sed illud scire vos volumus, taciturnitatem atque patientiam nostram futuris post me pontificibus in rebus pauperum præjudicium non facturam."⁸

§ VII. DE PAROCHORUM OBLIGATIONIBUS.

41. Parochi debent in parœcia constanter habitare, et prope ecclesiam, si fieri possit, ut semper parati sint suis fungi muneribus:

(1) Tit. ii. 7.

(2) 1 Tim. iv. 12

(3) 2. 2. qu. clxxxiv. art. v. *Resp.*

(4) *Ibidem*, qu. clxxxv. art. i.

(5) *Ibidem*, art. ii.

(6) Can. xix.

(7) Ep. lviii. l. viii. ad Bonifacium Regiensem episc.

(8) Ep. lviii. l. ii. *Indict.* xi.

“ita tamen, ut quandocumque eos, causa prius per episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquunt. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam, ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant.”¹ Valet eadem ratio de pastoribus, qui instar parochorum, curam animarum apud nos obtinent. Missionarii autem qui fideles per totam regionem invisunt, satisfaciunt intra regionem, ubi magis opportunum visum fuerit, nisi locus ab episcopo designatus fuerit, morando: non debent autem extra eam versari absque gravi causa, v: g: ut confessionem apud presbyterum peragant, vel exercitia spiritualia, relicto interim, quando fieri possit, alio sacerdote qui eorum obeat vices. Peste grassante, debent parochi manere in sua parœcia, quamvis valeant uti alterius sacerdotis opera in sacramentis ministrandis.²

42. Missa applicanda est (pro populo) diebus Dominicis, et festis de præcepto, a parochis, seu aliis curam animarum gerentibus, prout declaravit speciali constitutione³ Benedictus XIV., Tridentinum decretum explicans et inculcans. Quum de pastoribus animarum, et de aliis earum curam habentibus, etiam ad tempus, vicariis scilicet amovibilibus, id tradat Pontifex, indubium videtur pastores et Missionarios ad id teneri, vi sui muneris. Ubi autem alii sacerdotes pastori adjuncti sunt ad munia obeunda, satis est si pastor, vel ipso impedito alius Missam applicet.

43. In fidelium institutionem Christianam parochus incumbat necesse est: “Quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant.” Ita Tridentini patres.⁴ Huic muneri si quis defuerit, uno continuo mense integro, aut etiam duobus vel tribus mensibus totius anni, peccati

(1) Conc. Trid. Sess. xxiii. c. i. de Ref. et c. i. de cler. non. resid.

(2) Ita statuit S. Cong. Conc. approbante Gregorio XIII.

(3) Const. quæ incipit: *Cum semper oblatas*.

(4) Sess. v. cap. ii. de Ref.

mortalis reus est, iudice Bonacina.¹ Episcopis etiam injungit concilium Tridentinum, ut curent pueros christiana doctrina imbuendos, parochorum utique opera: "Idem etiam saltem Dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent."² Hæc munera omnibus curam animarum habentibus plane conveniunt, et diligenter sunt obeunda, quum ex recta institutione puerorum præsertim, sed et adultorum, salus reipublicæ christianæ, sicut et singulorum, pendeat.

44. Sacramenta a pastoribus sunt præstanda ovibus suis pascua hæc vitæ quærentibus; imo sponte porrigenda sunt, et omne adhibendum est studium ut frequenter et digne suscipiantur. Jubet Rituale Romanum. "Quicumque diei ac noctis hora ad sacramenta ministranda vocabitur, (*parochus*) nullam officio suo præstando, (præsertim si necessitas urgeat,) moram interponat. Ac propterea populum sæpe, prout sese offeret occasio, præmonebit ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quam primum advocet, nulla temporis aut cujuscumque incommodi habita ratione."³ Peccant igitur graviter pastores et Missionarii qui adeo se difficiles vel negligentes præbent in sacramentorum administratione, ut populo non sit copia satisfaciendi præcepto paschali, et subsidiis se contra tentationes muniendi. Sed certius graviusque peccat sacerdos suum denegans ministerium versanti in mortis discrimine, vel moras necens cum moribundi salutis periculo. Jubet Rituale, ut parochus visitet ægrotos, præsertim ingravescente morbo, et sacramenta ei administret, ipsique in exitu vitæ posito præsto sit, omni ope ei subventurus. Hinc mos est in Italia aliisque regionibus catholicis ut parochus, vel sacerdos ab eo in id muneris deputatus, diu noctuque adsit moribundo: quod pietatem studiumque salutis eximium ostendit. Id licet non sit moribus nostris receptum, quum pauci hactenus fuerint sacerdotes, et necessariis muniis explendis idcirco vix pares, imitatione dignum est, quatenus rerum adjuncta sinunt.

45. Scandalis vitiisque grassantibus obviam est eundum: quapropter parochus, seu alius quovis nomine sacerdos cui animarum commissa est cura, debet peccatores opportune corripere, eosque, si

(1) Apud Antoine Tract. de obligationibus, c. i. qu. vii. n. 4.

(2) Sess. xxiv. cap. iv. de Ref.

(3) De iis quæ in Sac. administr.

fuerint pertinaces cum magna aliorum offensione, denunciare episcopo. Sed plerumque non expedit aliquem palam ex altari vel suggesto notare, ne exulcerentur animi, potius quam sanentur.

46. Pauperibus est subveniendum, iis enim pater sit parochus oportet; quibus proinde operam suam in sacris muniis obeundis libenter et gratis impendere debet, et eorum necessitatibus, prout potuerit, providere, divitum et piorum ope expetita.

47. Matrimonium contracturi de rebus fidei et muniis Christianis diligenter instituendi sunt, ut filios ea doceant; suamque operam denegare poterit parochus iis qui ea ignorant. Cæterum quum tanta sit facilitas matrimonium ineundi coram præcone hæretico, vel magistratu, non præstat plerumque eos repellere, quamvis omne studium adhibendum sit ut quantocyus instruantur.

48. Puerorum instructioni in litteris scientiisque humanis invigilare debet parochus, ne fides periclitetur, ex ludimagistrorum pravis principiis vel moribus, vel ex libris pravis. Id maxime curandum hac in regione, ubi publicæ disciplinæ ratio plane tendit ad pueros doctrina catholica destituendos: quod et rei eventu comprobatur. Tenentur parochi vi sui muneris, et alii quicumque curam obtinentes animarum, ad subsidia salutis suis ovis præstanda, etiam cum vitæ periculo, urgente extrema, seu gravi necessitate: nam “bonus pastor animam suam dat pro ovis suis.”¹

(1) Joan. x. 11

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS RELIGIOSORUM.

§ I. DE PROFESSIONE.

49. A PRIMORDIIS Ecclesiæ fuerunt qui virtutes eximio studio colerent, et severius vitæ genus amplecterentur, ἀσκηται a virtutum exercitio nuncupati, qui tamen in unum corpus non coaluerunt, sed in variis vitæ gradibus Deo inservierunt. Medio sæculo tertio monachorum instituti origo adsignatur; nonnullis in solitudinem se recipientibus ut Decii persecutionem declinarent, ubi deinceps perrexerunt cæleste vitæ genus, meditationibus et variis pietatis exercitiis, sectari. Quarto et quinto sæculo monastica florere studia, in Oriente imprimis, deinde per Occidentem. Undecimo sæculo Canonici Regulares instituti sunt; quos secuti sunt sæculo decimo tertio ineunte S. Dominici et S. Francisci socii et discipuli, et alii plurimi deinceps ad nostra usque tempora.¹

50. Status religiosus dicitur “Stabile vitæ institutum, et tendens ad perfectionem christianam per tria vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ.” Ita Antoine.² Vota solemnia plerumque requiruntur;

(1) Vide *Devoti Inst. Juris Can. l. i. tit. ix.* Consentit Binghamus *Antiquities, l. vii. c. 1.*

(2) *Tract. de oblig. c. ii.* Audiatur et Taylor de perfectione disserens: “There are in the sermons of Christ some instances of duties which, although they are pursuances of law and duty, yet in their own material natural being are not laws, but both in the degree implied, and in the instance expressed are counsels evangelical, to which we are invited by great rewards, but not obliged to them under the proper penalties of the law. Such are making ourselves eunuchs for the kingdom of heaven, selling all and giving it to the poor. The duties and laws here signified are chastity, charity, contempt of the world, zeal for the propagation of the gospel; the virtues themselves are direct duties, and under laws

sed qui in societate Jesu vota simplicia emiserunt, habentur veri Religiosi, uti declarat Gregorius XIII. bulla : “*Ascendente Domino.*” Solemnia vota dicuntur quæ ab Ecclesia in perpetuum acceptantur. Plurimi sunt ordines in Ecclesia votis adstricti ad colenda varia pietatis exercitia : ex qua varietate pulchritudo et utilitas religionis elucet. Ut valeat professio religiosa, necesse est ut vovens annum decimum sextum ætatis impleverit ;¹ et ut facta sit post annum integrum et continuum tyrocinii, quod novitiatum dicunt. Duarum horarum interruptio sufficit ut tyrocinium iterum incipiendum sit : scilicet si quis habitu deposito, conventum deserendi animo, per id temporis spatium recesserit, debet annum integrum deinceps in tyrocinio manere, ut valeat professio.²

51. Obstat matrimonium consummatum ne valeat professio vivente conjugæ facta, absque ejus consensu :³ quæ proinde mariti consortium repetere potest. Professio non valet si fiat vi, vel metu, vel fraude; et datur facultas reclamandi intra quinquennium a die professionis.⁴ Qui quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, ad emittendam professionem anathemati subjacent.⁵ Non valet professio si obstat impedimentum quod in ordine illo essentielle declaratum est. Non valet nisi fiat apud legitimum Superiorem, vel aliquem cui facta sit facultas illam acceptandi ;⁶ nam est instar contractus, et ex utraque parte consensus requiritur.

52. Professio fit *expresse*, certa verborum forma, juxta quodlibet institutum : sed et *tacita* professio valet, quæ fit tripliciter. 1. quando quis post annum probationis induit professorum habitum, et per

and punishment ; but that we be charitable to the degree of giving all away, or that we set our chastity by a perpetual celibate are not laws : but for the outward expression we are wholly at liberty; and for the degree of the inward grace, we are to be still pressing forwards towards it, we being obliged to do so by the nature of the thing. by the excellency of the reward, by the exhortations of the gospel, by the example of good men, by our love to God, by our desires of happiness, and by the degrees of glory.” Jeremy Taylor, Ductor Dubitantium, l. ii. c. 3. p. 451.

(1) Trid. Sess. xxv. cap. xv. de Regularibus et Monialibus.

(2) Sic resolvit S. Cong. Conc. teste Fagnano ad cap. Ad nostram.

(3) Cap. iii. et cap. xii. de consecrat. conjug.

(4) Conc. Trid. Sess. xxv. cap. xix. de Reg. et Mon.

(5) Ibidem, cap. xviii.

(6) Cap. xiii. de regular.

triduum defert, ubi is aliquo signo distinctus est.¹ 2. quando suscepto tali habitu professi exercet jus, v : g : suffragium in capitulo ferendo. 3. si habitus professorum specialis non sit, qui post tyrocinium annum integrum habitum ordinis defert, censetur professus.² Religiosi habitum specialem sui ordinis temere deserentes in excommunicationem incurrunt.³ Cæterum nemo palam defert habitum religiosum in hac regione, quamvis Dominicani, Jesuitæ, alique eum domi deferant. Moribus igitur nostris, qui rerum adjunctis sunt accommodati, obligatio hæc non est recepta.

53. Ut professio, quæ fuit nulla, valeat deinceps, necesse est ut quis sciens eam non valuisse, velit eam iterum emittere, et ratam habere. Quod si quis nesciens aliquid obtūtisse ne valeret, velit eam ratam habere, ea adjecta conditione, "quamvis ob aliquem defectum haud valuerit," non ideo putamus eam ratam habendam in foro externo, quum hujusmodi ratificatio ex errore proficisci censenda sit.

54. Professione solemnī emissa, vota simplicia antea facta, extingui censentur, nam "omnia alia vota sunt quorundam particularium operum, sed per religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat."⁴ Hæc ratio a D. Thoma traditur.

55. Professus ad perfectionem tendere debet, nam "ille qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam caritatem, sed tenetur ad hoc tendere, et operam dare, ut habeat caritatem perfectam."⁵

56. De potestate pontificia in votis solemnibus dispensandi aliquando disputatum est. D. Thomas, Innocentii III. decretali innixus, dicit: "in voto solemnizato per professionem religionis, non potest per Ecclesiam dispensari."⁶ Cæterum affirmans obtinuit sententia, pluribus Pontificum exemplis comprobata. Equidem votorum solemnitas eorum naturam non mutat, sed vim quandam in foro externo iis tribuit ex Ecclesiæ acceptance, quin faciat quod nequeant relaxari. Quod autem Innocentius III. in concilio Lateranensi IV. dixit Summum Pontificem non posse licentiam indulgere professo proprietatem rerum habendi, vel castitatis deserendi pro-

(1) Cap. iii. de regul. in 6.

(2) Cap. ii. de regul. in 6, et Clement. ii. de regul.

(3) Cap. ii. Ne clerici vel monachi in 6.

(4) 2. 2. qu. lxxxviii. art. xii. ad i.

(5) 2. 2. qu. clxxxvi. art. ii.

(6) 2. 2. qu. lxxxviii. art. xi. Resp.

positum, intelligendum est, statu monachali servato: sed potest aliquem e statu illo ad sæculum transferre, eique rerum dominium et matrimonii facultatem concedere, quod sæpe factum est, gravissima postulante causa. In decreto objecto agebatur de monachis sub abbate degentibus, quos noluit Pontifex veniam impetrare rerum proprietatis, quum pugnaret cum monachorum instituto: "Nec æstimet abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali ut contra eam nec S. Pontifex possit licentiam indulgere."¹

§ II. DE CASTITATE.

57. Votum castitatis obligat ad animi munditiam, et multo magis ad abstinendum ab omni actu externo contra castitatem. Matrimonium idcirco a Religioso attentatum nullum est ex Ecclesiæ lege; et actus impudicus qualiscumque sacrilegii habet malitiam specialem ex voto violato.²

58. Feminis ingredi monasteria virorum vetatur, ex veteri æquissimaque consuetudine et lege, quam olim sancivit S. Gregorius M.³ recentius Pius V.,⁴ Gregorius XIII.⁵ et Benedictus XIV.⁶ Hic sapientissimus pontifex abstulit licentiam ingrediendi etiam pietatis causa in supplicationibus. Quæ absque necessaria licentia ea ingrediuntur, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam: religiosi verò eas introducentes vel admittentes contrahunt ipso facto pœnam privationis officiorum, inhabilitatis in posterum ad ea, et alia omnia, et suspensionis a divinis.⁷ In hac regione hæc sanctissima disciplina adhuc non obtinuit; in plerisque enim domibus Religiosorum, ob

(1) Cap. vi. de statu monachali.

(2) De "virgine velata jam Christo, quæ integritatem publico testimonio professæ a sacerdote prece fusa benedictionis velamen accepit," agens Siricius Papa, dicit: "sive incestum commiserit furtim, seu volens crimen protegere adultero mariti nomen imposuit, tollens membra Christi, faciens membra meretricis." Ep. x. c. i. col. 688, apud Coustantium. *epist. Rom. Pontif.*

(3) L. v. ep. xl. ad Valentinum Abbatem. Refertur Can. xx. *Causa xviii. qu. ii.*

(4) *Constit. Regularium.*

(5) *Constit. xxviii.*

(6) *Constit. Regularis disciplinæ.*

(7) *Const. Decret. Rom. Pont.*

difficultatem fratres laicos habendi, ancillæ in famulatum assumuntur; et quum animarum cura Religiosis committatur, fœminæ sacrorum munerum occasione domus passim ingrediuntur. Cæterum optandum maxime et curandum ut lex executioni demandetur.

59. Ob castitatis custodiam lex quæ dicitur *clausuræ* monialibus districtè injungitur: ¹ “nemini autem sanctimonialium,” inquit concilium Tridentinum, “liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab episcopo approbanda.” ² S. Pius V. Constitutione quæ incipit: *Decori*, 1 Feb. 1570, causas exeundi tres agnovit nempe magni incendii, lepræ, et epidemiæ; et episcopi, et Superioris Regularis simul exegit licentiam, si monasterium fuerit Regularibus subjectum; et quidem, quando de infirmitate agitur, in scriptis dandam, sub pœna excommunicationis ipso facto Papæ reservatæ, ³ tam in aliter egredientes, tam in licentiam concedentes, comitantes, et receptandes.”

60. De ingressu in sanctimonialium domus decrevit concilium Tridentinum: “Ingressi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda.” ⁴ Gregorius XIII. huic inhærens decreto vetuit ⁵ sub eadem pœna ne quis nisi in casibus necessariis, et cum licentia prædicta monasterium ingrediatur; et sub eadem pœna vetuit monialibus ne ullam personam aliter admitterent, non

(1) Bingham fatetur *ascetas—ἀσκητὰς*—in Ecclesia semper fuisse, et virgines eo nomine designari, quamvis intra septa haud inclusas; sed in eo fallitur quod votum nullum castitatis ab iis emissum prioribus illis sæculis putet: “Ascetics there were always in the Church.” *Antiquities*, l. vii. c. i. “The widows and virgins of the Church, and all such as confined themselves to a single life, and made themselves eunuchs for the kingdom of Heaven’s sake, were reckoned into the number of Ascetics.” *Ibidem*. Ipse S. Paulus de viduis fidem quam Deo præstiterant irritam facientibus dicit, eas damnationem incurrere. 1 Tim. v. 12. Vota emissa tum publice tum privatim prioribus sæculis liquet ex Siricio Papa qui quarto sæculo ineunte scribens, loquitur de “virgine velata,” et de “puella quæ nondum velata est, sed proposuerat sic manere, licet non sit in Christo velata.” Ep. x. cap. i. col. 688. apud Coust. ep. *Rom. Pontif.*

(2) Sess. xxv. de Reg. c. v.

(3) Vide Giraldi *Expos. Juris Pontif.* par. ii. § clix.

(4) Sess. xxv. cap. v. de Reg. et Monial.

(5) Constit. *Ubi gratiæ*.

obstantibus consuetudinibus, privilegiis, etc. Excommunicationem Paps reservatam contrahit qui ad finalem finem ingreditur.¹ Episcopi in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram sanctimonialium² juxta Tridentinum decretum custodiunt.

61. Episcopi in casibus necessariis possunt ingredi monasteria suæ dioceseos; sed juxta Constitutionem Gregorii XIII. *Dubiis*, 23 Decembris, 1581, necesse est ut "Prælati, tam sæculares (sive episcopi, sive Cardinales sint) quam Regulares ingrediantur comitati paucis personis, iisque senioribus, et religiosis, sub pœna in episcopos contrafacientes interdicti eo ipso ab ingressu Ecclesiæ pro prima vice, pro secunda suspensionis a Pontificalibus, et a divinis, pro tertia, et ulterioribus excommunicationis, privationis cujuscumque officii et ministerii."³

62. "Ex Constitutione Alexandri VII. *Felici*, 10 Novembris, 1664, prælati Regulares non possunt ingredi clausuram monialium sibi subjectarum. I. Nisi semel in anno ex causa visitationis localis faciendæ per se ipsos, non per substitutos, cum assistentiâ quatuor monialium ex senioribus unica die, post ortum, et ante occasum solis, nulla sumpta in monasterio refectio. Et tunc si Visitator sit Generalis, possit secum ducere duos socios sui Ordinis: si alius a Generali, unum tantum, numquam in actu visitationis, abinvicem separandi. II. Si ob clausuræ custodiam, aut ob aliam urgentem ac necessariam causam pluries in anno ingredi opus habent, ingredi debent una cum episcopo dioceseos, vel persona ecclesiastica sæculari ab eodem specialiter deputata. III. Visitationem personalem peragere debent ad crates extra septa monasterii, itidem per seipsos, et non per substitutos."⁴

63. Extra suam diocesium episcopi pœnas incurrunt a jure latas si absque licentiâ Ordinarii, et causa necessaria, ingrediantur monasterium: "sub iisdem pœnis interdicatur hujusmodi ingressus quibuscumque personis, etiam S. R. E. Cardinalibus, Legatis a latere, et Nunciis."⁵

64. "In casibus necessariis," danda est licentiâ: si autem detur

(1) Decr. S. C. Conc. anno 1602.

(2) Sess. xxv. cap. v. de Reg. et Monial.

(3) Giraldi, Exp. Juris Pontif. par. ii, § clx.

(4) Ibidem.

(5) Ibidem.

extra necessitatem, contrahitur excommunicatio, quapropter "ait Diana ex decreto S. C. non effugere excommunicationem uxores, quæ adhuc cum licentia Ordinarii intrarent monasterium causa adulterii, vel dissensionis cum viris."¹ Nec valebit licentia concessa puellæ ad docendam moniales artem, nisi nulla perita sit in monasterio, ex decreto S. Cong. 11 Martii 1586.

65. "Medicus non potest ingredi nisi ex licentia renovata in singulis trimestribus, ut ex decreto S. Cong. edito die 27 Martii, 1588. Nec non debet associari a duabus monialibus senioribus. . . . Medicus verò extraordinarius nequit ingredi ad libitum monialium, sed tantum in defectu ordinarii, vel quando cum ordinario habendum est collegium. Chirurgus potest quidem intrare ad secandam venam, et etiam Pharmacopola ad docendum (si opus sit) quomodo medicamentum sit parandum. Factores, Notarii, et similes etiam ingredi possunt, si necessitas urgeat, puta ad judicandum de ruina imminente, ad inveniendam scripturam necessariam in archivio, ad faciendum testamentum puellæ. Sic etiam ingredi possunt ex licentia fabri, hortulani, fabricatores, putearii, putatores, molitores, et similes, qui artem suam non possint extra commode exercere: item bajuli ad ferenda, quæ a monialibus ferri non possunt."² Infantes nondum doli capaces introduci non posse sæpius declaravit S. Congregatio.

66. "Confessarius verò ingredi potest ad ministranda sacramenta penitentiae, Eucharistiae, et extremæ unctionis moniali ægrotanti quæ ad confessionale non potest accedere: et non solum in periculo mortis, sed quoties ex præscripto regulæ dispensatur communicatio: item quoties illa monialis communicare consueverit. Ex declaratione S. Congregationis debet Confessarius ingredi indutus superpelliceo, et stola, atque sic ibi morari; debetque egredi, quin ad aliam monasterii partem se divertat, etiamsi esset ad visitandam aliam infirmam, quæ tamen non indigeat sacramentis. Confessarius sæcularis intrare debet sine socio, ut S. Congregatio declaravit; Regularis verò debet habere socium probæ vitæ et maturæ ætatis, ex Bulla Alexandri VII."³ Subjungit Giraldus "ita ut semper adinvicem videri possint."⁴ Pœna in Regulares negligentes hæc servare est ex-

(1) S. Alphonsus, l. vii. 225.

(2) Ibidem, n. 226.

(3) Ibidem, n. 227.

(4) Exp. Juris Pontif. p. ii. § clx.

communicatio ipso facto. “Dum autem Confessarius confessionem audit, debent assistere comitatrices ad januam, ita ut eum videre possint.”¹

67. “Notandum ex decreto Clementis VIII. unamquamque monialem debere solam dormire, ideoque tot cellas in unoquoque monasterio faciendas esse, quot ibi degunt moniales. . . . Sic etiam S. Congregatio Episcoporum et Regularium pluries statuit, puellas commorantes in monasteriis monialium causa educationis debere habere locum separatam a monialibus pro earum dormitione, sicut et pro operibus.”²

68. Etiam accessus ad monasteria colloqui causa absque ingressu intra septa Regularibus districte prohibetur: “in decreto S. Congregationis edito jussu Sixti V. anno 1590, Regularibus colloquentibus cum quibuscumque monialibus sive sui, vel alterius ordinis, vel cum qualibet muliere in monasterio degente, imposita est pœna privationis officii, vocis activæ et passivæ ipso facto incurrenda. Confessariis autem Regularibus fuit interdictum in ædibus monialium monasterio contiguis pernoctare; aut facere ut alii pernoctent, vel alias secum retinere; item ne in iis cibum sumant extrâ tempus confessionum generalium. Et hæc lex verius obligat sub mortali. . . . ex decreto S. Congregationis edito 1 Julii, 1626.”³ S. Congregatio 1 Maji, 1669, probante Innocentio IX. “declaravit Regulares qui ad monasteria monialium, quamvis ipsis Regularibus subjecta, absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum monialibus, peccare mortaliter, eosque pœna excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque statutis pœnis posse ab Ordinario tamquam sedis Apostolicæ delegato coerceri.”

69. Hæc pleraque ex S. Alphonsi, et Giraldi, celebris interpretis juris Pontificii, mutuati sumus, ut ostenderemus quanta sollicitudine Ecclesia invigilet Sanctimonialium puritati. Verba Tridentinorum patrum ponderanda sunt: “Bonifacii VIII. Constitutionem, quæ incipit: *Periculoso*, renovans S. Synodus, universis episcopis sub obstestatione divini judicii, et interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi

(1) S. Alph. l. vii. n. 227.

(2) *Ibidem*, n. 229.

(3) *Ibidem*, n. 232.

violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent."¹ Ad hæc animum attendere oportet, quum ex iis sancte servatis maxime pendeat sacri instituti decor, et illustrioris Christi gregis portionis integritas et salus. Ipsa calumniandi et prava omnia suspicandi libido, quæ hæreticos agit, cautos nos reddat necesse est, ne quid contingat sanctissimo proposito adversum, vel qua nebula offuscetur sanctimonialium fama. Equidem consuetudo legi clausuræ adversa a juris canonici peritis corruptela habetur; et vix potest vim obtinere ex Sedis Apostolicæ indulgentia, quæ si alicui episcopo ob specialia rerum adjuncta legis rigorem mitigandi fecerit facultatem, parce omnino et necessarias tantum ob causas eam vult adhiberi. Clausuræ lege non tenentur Sorores Charitatis, aliæque piæ feminæ quæ vota solemnia non emiserunt: sed quæcumque propositum castitatis servandæ fovent, debent persuasum habere eam nonnisi magna adhibita cautela servari posse; quas idcirco decet verecundia, modestia, gravitate sanctimonialium æmulari instituta. Sacerdotes autem norunt quanto cum discrimine famæ et salutis, feminarum, præsertim quæ sanctimoniam profitentur, consortium frequentetur.

§ III. DE PAUPERTATE.

70. Religiosorum communitates bona, seu immobilia, seu mobilia, possidere possunt, et eorum habere dominium, haud obstante voto paupertatis: hoc enim tantum exigit ut vovens se spoliet jure et facultate dominii. Equidem suprema bonorum administratio est apud Sedem Apostolicam, quum donatores ita voluisse meritò censeantur, ut utilitati Religionis consuleretur: sed nonnisi gravissimas ob causas se ei immiscet, justitia postulante ut res juxta specialem donatorum voluntatem impendantur. Soli fratres Minores suo instituto impediuntur ne bonorum dominium penes Ordinem retineant, quod S. Sedi tribuunt, eorum usum, revocabilem tamen, sibi servantes. De ea re varia extiterunt Pontificum decreta. Joannes xxii. noluit dominium illud acceptare, vel usum rerum quæ consumuntur a dominio distinguere;² sed Nicolaus III. aliique fratribus cesserunt instantibus ut Sedes Apostolica dominium sibi retineret.³ Cæteris

(1) Sess. xxv. cap. v. de Reg. et Mon.

(2) Extr. *Ad conditores*. § Quod autem.

(3) Extrav. *Exiit*.

communitatibus facultatem fecit concilium Tridentinum bona immobilia possidendi.¹

71. Singuli Religiosi vi voti paupertatis rerum proprietate spoliantur, adeo ut nihil suo nomine possidere queant, nec dominium ullum exercere.² Ex speciali quidem S. Ignatii instituto, qui simplicia vota in societate Jesu emisertur dominium omne rerum temporalium non abjiciunt,³ sed juri renuntiant de re aliqua disponendi absque Superioris venia: nequeunt tamen *Coadjutores formati*, qui scilicet solemnius se ligarunt, dominium habere,⁴ nisi eos a Societate contigerit legitime dimitti. Dispensationem aliquando datam esse constat aliis qui vota solemnia emisertur, eam postulante rerum necessitate, uti in regni Gallici eversione evenit.³

72. Plurimis Ecclesiæ sanctionibus voti paupertatis vis explicatur et inculcatur. "Prohibemus districte in virtute obedientiæ sub obtestatione divini judicii, ne quis monachorum proprium aliquo modo possideat, . . . Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed abbati vel priori assignetur."⁶ Ita Innocentius III. Consonat concilium Tridentinum; "Nemini regularium, tam virorum, quam mulierum, liceat bona immobilia vel mobilia, quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur."⁷

73. Religiosi beneficia habentes, ex jure et consuetudine, eorum redditus administrare valent in sui sustentationem et in pios usus: sed peccant eos impendendo in usus profanos, vel propinquis, qui

(1) Sess. xxv. cap. iii. de Regularibus et Monialibus.

(2) In ipsis primordiis Ecclesiæ plurimi propter Christum se divitiis spoliarunt: "The exercise of charity and contempt of the world in any extraordinary degree, as when men gave up their whole estate to the service of God, or use of the poor, was another thing that gave men the denomination and title of ascetics." Bingham *Antiq.* l. vii. c. i. S. Augustinum cum suis clericis vitæ communis rationem iniisse abdicato proprietatis jure fatetur, citatis his verbis: "Volui habere in ista domo episcopi meum monasterium clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate habere aliquid proprium." *Serm.* xlix. de diversis. Vide Bingham, *Antiquities*, l. vii. c. ii.

(3) Vide Constitutionem Gregorii XIII. "*Ascendente Domino*."

(4) Lessius de *Justitia et jure*, c. iv. § 1. Dub. v.

(5) Vide *Carriere de Justitia et jure*, Vol. i. par. 1. § 1. c. iv.

(6) Cap. vi. de *Statu monach.*

(7) Sess. xxv. cap. ii. de *Reg. et Mon.*

pauperes non sunt, largiendo. Qui, ex Superiorum licentia, vacant missionibus, simili sunt conditione, sed attendenda sunt documenta singulis data.

74. Non licet Religioso professo aliquid accipere, donare, permutare, vel in suos usus usurpare absque Superioris venia,¹ quæ tamen in rebus minutioribus et frequentioribus aliquando præsumitur. Qui autem celant res sibi donatas, ostendunt nullam sibi Superioris veniam suffragari. Quidquid Religioso obvenit, vel donatione, vel hæreditate, vel alio quovis titulo, non ei, sed Ordini cedit, etiamsi donator voluerit illud ei specialiter dare; nam voto paupertatis fit ut nequeat aliquid sibi acquirere. Peccaret igitur graviter jus suum in alium transferendo, vel aliud faciendo quo monasterium jure ex professione orto spoliaretur.

75. Qui superflua in suppellectili, vestibus, victu quærunt, paupertati religiosæ desunt: quo pacto facile peccant Religiosi extra conventum versantes, curæ animarum dediti. Nec prodest Superioris licentia: nam S. Congregatio Concilii, Tridentino decreto inhærens,² declaravit “Regulares præter suppellectilem, quæ statui paupertatis regularis convenit, non posse de licentia suorum superiorum alia bona mobilia superflua, et dependenter a voluntate eorundem superiorum, et ad solum usum proprium possidere seu retinere, et possidentes vel tenentes mobilia superflua non excusari propter licentiam superiorum a culpa et pœna.”³

76. Procurator, œconomus, et alii quibus bonorum administratio committitur, debent instituti regulas, et superiorum præcepta in suo munere servare: ipsique prælati non debent aliquid donare, vel bonis uti, nisi juxta institutum, et in pios usus.⁴

§ IV. DE OBEDIENTIA.

77. Votum obedientiæ servatur obtemperando Superiori secundum regulam præcipienti. Quod si regula ipsa sub culpa non obliget, ex fundatoris voluntate, ejus transgressio non est contra votum, sed pœnæ quam regula statuit reum facit obnoxium. Qui transgrediun-

(1) S. Basil. Constit. monast. c. xxxiv. Innoc. III. Cap. *Cum ad monaster.*

(2) Sess. xxv. cap. ii. de Reg.

(3) Apud Fagnanum in Cap. *Monachi.*

(4) Cap. ii. de donationibus.

tur "tamen possent venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, seu contemptu."¹ Quicquid autem ad vota spectans, vel ad instituti substantiam, graviter injungit Superior, *in virtute sanctæ obedientiæ*, vel simili forma verborum, si negligatur, lethalis est culpa. "Religiosi," inquit S. Thomas, "obedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis prælatis subduntur. Et ideo quantum ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conversationem pertinere."² "Votum autem professionis respicit principaliter tria prædicta, scilicet paupertatem, continentiam, et obedientiam, alia verò omnia ad hæc ordinantur. Et ideo transgressio horum trium obligat ad mortale. Aliorum autem transgressio non obligat ad mortale, nisi vel propter contemptum regulæ, quia hoc directe contrariaretur professioni, per quam aliquis vovit regularem vitam; vel propter præceptum, sive ore tenus a prælato factum, sive in regula expressum: quia hoc esset facere contra obedientiæ votum."³

78. Possunt etiam superiores ea præcipere et statuere quæ ad institutum servandum noscuntur necessaria, licet de iis nihil in regula sit, nihilque dum professio emitteretur cogitaretur. Id præsertim intelligendum de supremo præsule, Pontifice scilicet Romano, qui jure optimo injungit servanda omnia quæ ad instituti integritatem requiruntur. Sic clausura injuncta est monialibus omnibus a Bonifacio VIII., quum ea neglecta periclitaretur castitas.

79. Etiam cum vitæ periculo obedientiæ aliquando præstanda est, quando actio periculosa necessaria est, et instituto consona. Sic præcipere potest Superior, ut professus subveniat aliis professis peste infectis: etiam ut aliis sacramenta administret, si sacerdotes sæculares non sufficiant, præsertim quando institutum ad animarum salutem est directum.

80. Ex animo obediendum est, quum votum emissum sit de virtute colenda, non de externo tantum obsequio. Meritò igitur damnata est Michaelis de Molinos propositio: "Præpositis obediendum est in exteriori, et latitudo voti obedientiæ religiosorum tantummodo exterius pertingit. In interiori verò aliter se habet, quo solus Deus et director intrant."⁴ Equidem dicit S. Thomas: "in his quæ per-

(1) 2. 2. qu. clxxxvi. art. ix. *ad primum*.

(2) 2. 2. qu. civ. art. v. *Ad tertium*.

(3) *Ibidem*, qu. clxxxvi. art. ix. *Resp.*

(4) Prop. lxxv.

tinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo :”¹ sed plane loquitur de potestatis exercitio, quod in natura fundatur, vel humana nititur lege. Aliud dicendum de voto quod Deo fit, quodque virtutem colendam respicit. De æquitate præcepti haud facile est dubitandum :² attamen si res sit manifesto contra Dei legem, minime est facienda.

81. Qui regulas instituti quod professus est passim negligit, cum aliorum offensione, et sui detrimento, facile fit reus peccati mortalis, nam graviter nocet disciplinæ, et se magno objicit discrimini. Semper autem peccat graviter qui spernit regulam, vel Superiorem præcipientem : “ elatio quippe contemnentis,” docente D. Bernardo, “ in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, convertit in crimen gravis rebellionis nævum satis levem simplicis transgressionis :”³ sed contemptus non censetur, quod quis regulæ statutum levis putet esse momenti, vel modum agendi quem Superior servat, parvi faciat. “ Tunc committit aliquis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, vel regulæ : et ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam. Quando autem e converso propter aliquam particularem causam, puta concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulæ, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia, simile peccatum iteret.”⁴

82. Superior Religiosorum debet præesse in solitudine,⁵ et regularis observantiæ studio omnibus præire, docens exemplo magis quam verbo. Invigilare debet subditis, ne negligent sanctioris vitæ propositum, et omnem adhibere operam ut ad metam currant, iis virtutum exercitiis quæ suo statui præsertim conveniunt : ipse enim de animabus eorum rationem supremo judici est redditurus.⁶ Humilitate, mansuetudine, charitate se benignum et amabilem præstet : “ Rectorem te posuerunt ? Noli extolli : esto in illis quasi unus ex

(1) 2. 2. qu. civ. art. v. *Resp.*

(2) “ He who hath made a vow of obedience, hath divested himself of all pretences of contradicting what shall be imposed, and if his conscience shall check him in the instance he ought to look upon it as a temptation, and use it accordingly.” Jer. Taylor, *Ductor Dubitantium*, l. i. c. iii. rule 6. p. 114.

(3) L. de præcept. et dispens. c. xiv.

(4) 2. 2. qu. clxxxvi. art. ix. Ad tertium.

(5) Rom. xii. 8.

(6) Heb. xiii. 17.

ipsis. Curam illorum habe.”¹ In eo elucere debet Superioris studium, ut non tantum eliminentur vitia, sed et perfectio quærat, et specialia pietatis exercitia, quæ cuilibet instituto sunt propria, colantur, florescente disciplina religiosa. Quod si socordia sua et conniventia languescat pietas, et regularis observantia negligatur, facile erit reus gravioris peccati. Pulchre exponit Innocentius III. Superioris munia: “Præ cæteris potens sit in opere et sermone, ut exemplo vitæ, verboque doctrinæ fratres et instruere possit in bono, et a malo revocare. Zelum religionis habens secundum conscientiam, ut delinquentes corripiat et castiget, obediens foveat et confortet. . . . Vigilem curam et diligentem sollicitudinem gerens de omnibus: ut de officio sibi commisso dignam Deo possit reddere rationem.”² Quum munus hoc adeo sit arduum, liquet digniores esse eligendos: peccant igitur fratres qui laxioris vitæ studio Religiosum curant sibi præficiendum qui dignior eis non videatur.

(1) Eccl. xxxii. 1.

(2) Cap. vi. de Statu monach.

CAPUT III.

DE PARENTUM OBLIGATIONIBUS.

83. PARENTES ex ipso naturæ instinctu prolem alere debent: quod et jus civile¹ et canonicum² præcipit. Si sine gravissima causa eam brephotrophio tradant, peccant contra justitiam, onus alendi communitati imponendo: quod si egestate premanur, licet prolem sic exponere publicis sumptibus alendam, quum eum in finem domus illæ erectæ sint. Id etiam licet, juxta nonnullos, ad infamiam vitandam,³ nam ea fit copia ut infantibus consulatur, qui sæpe necarentur ad celandum crimen. Cæterum si valeant, oportet ut domui tribuant pecuniam qua damnum reparatur.⁴ Ea autem apud nos occurrit difficultas, quod infantes sic expositi sectariis vel infidelibus plerumque tradantur ex brephotrophio egressi: quapropter parentes catholici tanto discrimini salutis suam prolem temere objicientes nullatenus excusantur. Utrum autem egestas sit ratio legitima, qua excusentur, haud facile est dictu: cæterum si extrema laborent inopia, vel adeo gravi ut nequeant prorsus prolem sustentare, haud audemus eos damnare, qui, vitæ ut consulant, ex naturæ instinctu, prolem brephotrophio alendam tradunt, spem foventes ut aliqua eis postea nascatur occasio eam christianis documentis instituendi, et interim curantes ut baptizetur, ad salutem consulendum si forte e vita tollatur. Utrum infamiæ periculum habendum sit excusationi, his in rerum adjunctis, haud facile definitur. Puella quæ sibi et proli prospicere non poterit, infamia simul et inopia premente, excusanda videtur, si prolem brephotrophio committat, ad sibi saltem consulendum, et eo etiam animo ut si qua possit ratione prolis salutem consulat. Cui suppetunt divitiæ debet prolem nutrici tradere, et ejus christianæ institutioni deinceps providere, adhibita cautela ad suum

(1) Cap. *de alendis liberis*.

(3) Mayol Expos. iv. præc. art. i.

(2) Cap. *si quis*, dist. xxx.(4) ff. de lib. agnosc. l. *necare*.

dedecus tegendum. Quod si infamia inde immineat “ potest tunc ea de causa eum hospitali exponere hac conditione ut expensis satisfaciatur, si potest, rectamque illius institutionem curet”;¹ sed hoc perdifficile est.

84. Mater tenetur, sub veniali saltem culpa, prolem proprio lacte nutrire, sic enim fert ipsa natura: excusatur tamen quæ afflictæ quum sit valetudinis nequit munus illud nisi cum vitæ discrimine obire: sed nutricem bonam debet exquirere: vix autem excusationi habenda est consuetudo apud mulieres divites et altioris conditionis inducta. Jus civile matri relinquit onus prolem nutriendi ad triennium “ remedium alimentorum majori trimo” concedens.² Jus commune patris obligationem prolem sustentandi agnoscit; sed qua ratione implenda sit ex legibus specialibus pendet:³ facile tamen pater censetur sese contractu obligasse ad solvendum quæ necessaria sunt.⁴

85. Proli haud legitimæ necessaria a patre suppeditanda sunt.⁵ Leges Statuum fœderatorum magistratuum, vel judicum, arbitrio plerumque permittunt definire quid sit solvendum; eum patrem habentes quem mater jurata affirmat prolem genuisse.⁶

86. Parentes debent filios bonis imbuere artibus pro statu suo et vitæ conditione, adeo ut graviter peccent qui id omnino negligunt, vel qui sumptibus inanibus, vel intemperantia se impares faciunt ei præstando. Debent etiam eos documentis Christianis imbuere, eosque ad virtutum exercitium instituere, mansuetudinis exemplo et omni pietatis officio: “Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos in disciplina et correptione Domini.”⁷

(1) Mayol Expos. iv. præc. art. 1.

(2) Cod. tit. xlvii. n. 9. De patria potestate.

(3) Vide 43 Eliz. c. 2. in adnotationibus Chittii ad Blackstonii Comm. l. i. n. 448. “A parent may, under circumstances, be indicted at common law for not supplying an infant child with necessaries.”

(4) “During the minority of a child . . . the parent is absolutely bound to provide reasonably for his maintenance and education, and he may be sued for necessaries furnished, and schooling given to a child under just and reasonable circumstances.” Kent’s Comm. vol. ii. p. iv. Lec. xxix.

(5) Cap. v. de eo qui duxit.

(6) Vide Digest of Laws of Pennsylvania, art. *Fornication and Bastardy*. et Blackston, l. i. n. 458.

(7) Eph. vi. 4.

Ecclesiasticus monet quandam severitatem servandam, ut a patris nutu pendere discant: "Filii tibi sunt? Erudi illos, et curva illos a pueritia illorum."¹ "Qui diligit filium suum, assiduatur illi flagella, ut lætetur in novissimo suo. . . Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illus. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus dum infans est, ne forte induret, et non credat tibi, et erit tibi dolor animæ."² Hæc monita ita sunt accipienda, ut severitas vel dulcedo adhibeatur, pro puerorum indole et conditione. Moribus autem nostris vix convenit severitas, quum pueri ipsi, se ad libertatem natos noscentes, durioris disciplinæ sint impatientes: sed cavendum ne liberæ dentur eis habentæ, quo ruant præcipientes in vitia.

87. Quod ad institutionem attinet, doctrinæ christianæ rudimentis imprimis imbuendi sunt, et ad omnia munia religionis informandi: sed et fusior instructio, qua contra hæreses grassantes muniantur, præbenda pro eorum capacitate. Peccant igitur graviter parentes qui negligunt filios ad pietatem instituere, eosque fidei amittendæ discrimini objiciunt, hæreticis magistris vel infidelibus committendo, omni ommissa cautela.

88. Moribus filiorum ut consulant parentes, debent eos a malorum consortio procul tenere, et pecuniam, fomitem vitiorum, parce supeditare. Delinquentes corripiendi sunt et puniendi, prima præsertim adolescentia, nam maturiores vix ferunt monita ipsa, multo minus verbera. Sed monitis et exemplis præsertim ad pietatem adducendi sunt: qua de causa graviter peccant patres-familias munia religionis, cum filiorum damno, negligentes. Filix magna cum diligentia custodiendæ sunt, et a consortio pravorum removendæ: qua in re matris sollicitudo exerceri præsertim debet: sed et patris auctoritas plurimum potest. Quam sæpe contingit puellam vitiari, patre absente, ut potui vacet, et matre ipsa nimiam indulgente filix libertatem exeundi, vel domi excipiendi amicos! "Filix tibi sunt? Serva corpus illarum, et ne ostendas faciem hilarem ad illas. Trade filiam et grande opus feceris, et homini sensato da illam."³

89. Tenentur parentes filiis liberam relinquere status vitæ electionem, præsertim quæ spectat continentix integræ propositum, vel matrimonii; nam "non tenentur . . . filii parentibus obedire, de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujus-

(1) Eccl. vii. 25.

(2) Eccl. xxx. 1. 11.

(3) Eccl. vii. 26.

modi.”¹ Hinc concilium Tridentinum anathemati subiecit eos qui “quomodocumque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem. . . Simili quoque anathemati subiecit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impederint.”² Nec debent parentes cogere filios matrimonium inire volentes, ad eam electionem faciendam quæ sibi fuerit probata, nam “quorum unum corpus est, unus debet esse et animus,” uti animadvertit pontifex filiorum libertatem vindicans.³ Cæterum filios decet parentes consulere, nec iis invidiis quid temere in re tanti momenti statuere.

90. Debent etiam parentes mediocrem saltem adhibere diligentiam ut bona acquirant quibus providere filiis possint; in iis verò elargiendis merita viresque singulorum attendenda sunt: nec enim robusto homini, qui et vitis sit deditus, suppeditanda sunt quæ prodigat, nec infirmo deneganda auxilia necessaria. In bonorum distributione quæ fit sub mortem, legum et consuetudinis, sicut et meritorum, habenda est ratio. Jus civile exigit ut pater filiis suis testamento provideat; “nisi forsitan probabuntur ingrati, et ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento,”⁴ alioquin irritum habetur testamentum tamquam inofficiosum.⁵ Jus commune liberam relinquit facultatem bona sua pro arbitrio distribuendi: sed naturale jus videtur postulare ut necessariæ eorum sustentationi saltem consulatur.⁶ Consuevit olim in plerisque Europæ regnis hæreditas tribui filio majori natu, gravata tamen legatis et oneribus in cæterorum utilitatem: sed apud nos omnibus filiis et filiabus portio eadem hæreditatis contingit: a quo more vix discedi potest absque querelarum et discordiæ discrimine. Si filius male se gesserit, et moribus adhuc

(1) S. Thomas, 2. 2. qu. civ. art. v. *Resp.*

(2) Sess. xxv. cap. xviii. de Reg. et Mon.

(3) Cap. de nupt. xxxi. quæst. ii. n. 3.

(4) Nov. cxv. cap. iii

(5) Auth. *Sed hodie*, C. de inoff. test.

(6) “The writers on general law allow that parents may dispose of their property as they please after providing for the necessary maintenance of their infant children, and of those adults who are not able to provide for themselves.” Kent’s Comm. Vol. ii. p. 4. Lec. xxix. Vide et Grotium de jure Belli et Pacis, l. ii. c. vii. n. 3. et Blackstone, l. i. n. 448.

liberioribus sit, est justa causa cur eum pater non donet pari hæreditatis portione: sic etiam dicendum de filia quæ impudica fuit, vel nupsit prodigo: sed gravis plerumque requiritur causa inæqualis distributionis: nec tamen cogitur pater omnia sua bona dare filiis, quum et amicis legata possit relinquere, et pietatis causa quæ voluerit donare. Equidem leges Status Delavariensis cavent, ne hoc fiat, nisi instrumento adsignationis factæ annum integrum ante mortem: qua in re leges Angliæ imitantur. Deficiente testamento hæreditas æqualiter distribuitur legibus nostris inter filios et filias, tertia parte bonorum mobilium tributa viduæ, quæ et fruitur tertia parte bonorum immobilium per vitam suam.

91. Tutor, vel curator, quum sit patris loco, eadem erga pupillos obire debet munia: ideoque tenetur ad curam eorum diligenter gerendam. Debet eos recte institutere, et magistros optimos idcirco seligere, qui eos documentis christianis et bonis artibus instituant. Si parentes fuerint Catholici, debet omnino curare ut pupilli res fidei edoceantur, et munia sacra impleant: acatholicorum autem curam non debet assumere, quum non possit hæresi favere eos in ea educando, et alioquin videretur violare fidem testatori vel Curix præstitam, nisi ejus arbitrio permissum sit eos pro conscientia sua instruere. Res eorum fideliter administrare debet, et eorum utilitatibus consulere: qua de causa leges plerumque jubent ut pecunia detur mutua, vel *actiones* comparentur in societatibus publicis, vel alias cum lucro impendantur: de quibus rationibus lucri ex pecunia alias disseremus: interim id animadvertentes, quum ipse debeat solvere usuram *legalem* si pecuniam neglexerit ita impendere, et S. Congregatio sæpius responderit non esse inquietandos qui eam recipiunt, eum posse tuta conscientia ex legis auctoritate agere ad se indemnem servandum, rebus pupilli utiliter gestis.

92. Magistri debent discipulos litteris et scientiis imbuere diligenter, et omnia adhibere operam ut proficiant. Peccant igitur munus docendi usurpando, si non sint idonei. Equidem non eadem ubique in didimagistro exigitur peritia; sed pro loci et adjunctorum ratione, debet satis instrui litteris ut munus quod profitetur exequatur: peccat quippe contra justitiam, et ad restituendum tenetur, si scientiam jactando pecuniam accipiat, conditionem ob quam datur non valens implere. Sed et peccare censendus est graviter qui necessariam in docendo diligentiam omittit, puerosque otio torpescere sinit, cum temporis pecuniæque jactura. Moribus discipulorum debet pros-

picere, librosque pravae ex eorum manibus eripere, juvenesque delinquentes punire, seu e schola dimittere, ne alios suis inficiant colloquiis, et exemplis. Sed et oportet discipulos fidei doctrina instruere, et ad pietatem informare, quando id per parentes liceat: acatholici autem pueri nequeunt, parentibus invitis, ad fidem traduci, nisi ipsi quærant de ea instructionem. In scholis igitur in quibus acatholici cum catholicis conveniunt, præstat ut tempus opportunum seligatur pueris catholicis in rebus fidei instituendis seorsum ab acatholicis. Graviter autem peccant magistri qui non curant ut pueri proficiant litteris, et probos colant mores, sed et fidem servent integræ, quatenus penes ipsos est. Magnum igitur munus eorum est, de quo ratio supremo judici reddenda: "Quid majus," inquit Chrysostomus, "quam adolescentulorum fingere mores?"¹

(1) Hom. lx. in Mat.

CAPUT IV.

DE HERIS ET MANCIPIIS.

93. QUUM plerisque in Statibus meridionalibus servitus vigeat, officia quibus domini erga servos, servique erga dominos tenentur, explicanda necessario sunt, ne sacerdotes alterutra ex parte errent. Equidem domini tenentur ad subministrandum eis necessarium victum et vestitum, et subsidia omnia quibus vitæ consulatur; quum enim toti pendeant servi ex dominorum arbitrio, si hæc denegentur, manifesto vitæ discrimini objiciuntur: attamen delicatiora eis præbere non oportet, nam, docente Spiritu Sancto, "qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem."¹ In statibus nonnullis solent heri mancipiis tribuere quolibet mense certam quandam mensuram grani quod vocant Indicum, ut se sustentent: quod ipsi pistrilla vel pistillo plerumque debent conterere: caro suilla alicubi adjicitur: sed alibi mancipia carnem nullam recipiunt ab heris: unde furti occasio illis facile oritur. Qui eos fere nudos circumire sinunt, et contra frigus non protegunt, vel cibum quo vesci nequeant dant, a gravi culpa non sunt immunes, si vita periclitentur. Qui ægrotantes non curant, senesve vel alias labori amplius non idoneos non satagunt remediis sublevare, victuque convenienti vitam illis servare, gravissime peccant, quum mortem sic accersere velle videantur. Sic olim contigit servo cujus verba referuntur: "Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cæpi nudius tertius."²

94. Debent domini opus vires servorum haud excedens ab iis exigere, quin tamen otii indulgendi dent occasionem; quum enim litterarum servi careant delectamento, in crimina facile incidunt otiosi:

(1) Prov. xxix. 21.

(2) 1 Reg. xxx. 13.

quapropter qui malevolo sunt ingenio labore sunt edomandi; qui bona sunt indole mitius æquiusque habendi sunt: "Servo malevolo tortura et compedes, mitte illum in operationem ne vacet: multam enim malitiam docuit otiositas. In opera constitue eum: sic enim concedet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus, et non amplifies super omnem carnem: verum sine iudicio nihil facias grave. Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta."¹ Hanc rationem servandam cum Onesimo ad fidem converso voluit Apostolus: "jam non ut servum, sed pro servo carissimum fratrem."² Sed hæc non exigunt ut nimia sit necessitudo et familiaritas herum inter et servum: satis est ut eum benigne tractet. Quum autem qui dicuntur *inspectores*, dominis haud consciis, mancipiis imponant duriora onera, vel eos severius et crudelius tractent, domini debent homines humanis moribus præditos seligere, quibus id muneris demandetur.

95. Servorum delicta castiganda sunt, ne impunitas scelerum patrandorum pariat audaciam, juxta mox recitata Ecclesiastici verba: attamen crudelitas omnino evitanda est, nam monet Apostolus heros; ut æquos se præbeant: "Vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia et illorum et vester Dominus est in cælis: et personarum acceptio non est apud eum."³ Qui igitur ira abrepti servos levi de causa verberant, vel verberandos jubent,⁴ peccant eo gravius quo levior est causa, et verberatio vehementior, præsertim cum membrorum vel vitæ periculo: nec ullatenus valet coram Deo excusatio, quod de re sua agatur, etiamsi lege civili nulla decerneretur pœna domino servum percutienti. Cavendum omnino ne membris vel vita privetur, nisi ex publica auctoritate iudicio legitimo: nec enim privatus quisque irreparabile debet inferre damnum.⁵ Docet S. Thomas licere patribus verberare filios, et dominis heros, correctionis causa, nam "dicitur Prover. xiii. 'Qui parcit virgæ, odit filium suum.' Et infra xxiii. 'Noli subtrahere a puero discipli-

(1) Eccli. xxxiii. 28.

(2) Philem. 16.

(3) Eph. vi. 9.

(4) Est Carolopoli et Neo-Aureliæ locus designatus quo se conferunt servi, herorum jussa deferentes, ut plagarum certus numerus iis insigatur. Alibi plæge irrogantur ab inspectore qui servorum gerit curam, heri nomine.

(5) "The statute regulations follow the principles of the civil law in relation to slaves, and are extremely severe; but the master has no power over life or limb." Kent's Comm. vol. ii. n. 253.

nam : si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percutes eum, et animam ejus de inferno liberabis.' Et Eccles. xxxiii. dicitur : 'Servo malevolo tortura et compedes.'¹ "Quia filius subditur potestati patris, et servus potestati domini : licite potest verberare pater filium et dominus servum causa correctionis et disciplinae."² Cæterum moderatio est adhibenda : "dicit enim Apostolus ad Ephes. vi. 'Vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros.' Et infra subdit : 'Et vos, Domini, eadem facite servis, remittentes minas.'³ Igitur cavendum ne pœna irreparabilis infligatur, quæ non nisi a suprema potestate irroganda est. "Sicut autem civitas est perfecta communitas, ita princeps civitatis habet perfectam potestatem coercendi. Et ideo potest infligere pœnas irreparabiles, scilicet occisionis vel mutilationis. Pater autem et dominus, qui præsunt familiæ domesticæ, quæ est imperfecta communitas, habent imperfectam potestatem coercendi, secundum leviores pœnas, quæ non inferunt irreparabile nocumentum. Et hujusmodi est verberatio."⁴ Ad dominos intra limites continendos, libertas lege veteri decernebatur servo, si eum oculo denteve ab hero percuteunte privari contigerit : "Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscus eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit servo, vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos."⁵ Qui percutiendo interfecerit servum, reus cædis habebatur : qui tamen pœna immunis erat, quoties servus dies aliquot superstes fuerit, damnum enim quod opera ejus amissa patiebatur herus, in pœnam censebatur. "Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, et mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit. Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est."⁶

96. Servis matrimonii ineundi, ejusque juribus utendi, libertas relinquenda est, salvo tamen heri jure ad operam servi : nec enim licet servis nuptias contrahere contra rationabilem heri voluntatem, iis in rerum adjunctis in quibus ab opera quam præstare debet, abstrahatur. Porro quantum res sinunt, curare debent heri ut conjuges simul morentur, vel se invicem invisendi habeant copiam, et ut filios penes

(1) 2. 2. qu. lxxv. art. ii. Sed contra.

(2) Ibidem, Respondeo.

(3) Ibidem, ad secundum sic proceditur.

(4) Ibidem, ad secundum dicendum.

(5) Exod. xxi. 16.

(6) Deut. xxi. 20.

se habeant, et domesticam imitentur et colant vitam, quæ cum conjugio legitimo conjuncta est. Peccant igitur conjuges procul a se invicem temere separando, præsertim quoties vinculum necessitudinis omnino dirumpitur, et manifesto concubinatus discrimini objiuntur. Qui servos conjugio ligatos extra Statum mittunt, conjugibus retrò manentibus, peccant si haud gravi ducantur ad vendendum ratione. Cæterum si pravus sit servus quem frustra quis tentavit ad bonam redigere frugem, non audemus damnare herum, qui eum procul misit, verens ne mortem vel malum aliud illi domi moliretur.

97. Vendere servos licet ex eorum infelici conditione: “jus enim domini in servum,” inquit Lessius, “est despoticum quo potest illi imperare, illoque uti in suum commodum, illum vendere permutare, donare;”¹ sed quatenus fieri possit, venditio hujusmodi vitanda est, refugit enim animus ab hominis mercatu. Quoties ob divisionem hæreditatis, vel ob æs alienum, vel alia gravi de causa contigerit venire, oportet omnino dominum quærere Catholicum, et qui humanus sit et justus: nec enim potest herus curam illius in obvium quemque rejicere. Quod si sub hasta vendatur ex legis auctoritate, excusandus videtur qui servum licitatori tradit juxta venditionis leges. Excusandus etiam erit qui obvio cuique vendit servum, a qua mortem sibi suisve timet, nisi statim e domo dimittatur: sed cavendum ne emptori nil cogitanti pernicies fiat.

98. Servorum salutem herus providere debet, quum eorum conditio eos subsidia salutis quærendi privet facultate. Igitur heri est illis ea suppeditare, curando ut rudimenta doctrinæ christianæ addiscant, et eis faciendo copiam ministerii sacerdotalis ad suscipienda sacramenta. Debet etiam cavere ne promiscuo utantur concubitu, cujus periculum manifestum est ex congregatis in locum unum plurimis utriusque sexus: et alias invigilandum est morum puritati et pietati colendæ. Graviter igitur peccat herus qui utilitati suæ totus intentus, nil curat de animarum salute, servisque omnem denegat sacerdotalis ministerii copiam; vel qui eos instrui rebus fidei non studet, vel omnem omittit cautelam ad morum integritatem necessariam. Gravissime autem peccant qui obstant ne servi munera necessaria pietatis obeant, vel qui morum fovent corruptelam pessimo suo exemplo, et sollicitationibus iniquis. Qui flagitia dissimulando tolerant eatenus

(1) De Justitia, c. i. Dub. i.

excusantur, quatenus graviora timenda sunt mala si repugnent. Sic incendium, vel venenum aliquando timetur, si servus aliunde veniens ad vitiandam ancillam vi repellatur: et fœtus in utero extinctio, si puella mala consuetudine irretita castigetur. Quod si quis faveat puellæ delictis ob utilitatem prole sibi adventuram, vel renuat consentire ejus matrimonio absque gravi causa, peccati arguendus est.

99. Servi debent dominis obedire, ita enim præcipit Apostolus: “*Servi obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus: scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber.*”¹ Igitur obedire oportet Christi causa, et divinam adorare ordinationem in rerum conditione, qua quis alteri subjicitur, cælesti mercede servis fidelibus et piis proposita. Alias dicit Apostolus: “*Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnunt quia fratres sunt: sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt.*”² Igitur honorandi sunt heri, nec religionis specie servitia subtrahenda sunt, ne societatis ordine violato, infidelibus sit occasio Christi nomini contumeliose detrahendi. Ex dilectione qua omnes Christiani tamquam fratres junguntur, necessaria officia famulatus sunt peragenda, ut ita Deo sint gratiora. Idem præcipit Petrus, qui nec vult servitia denegari pessimis dominis crudeliter servos tractantibus “*Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injuste.*”³ At, animadvertente Lessio, “*in vita membrisque tuendis et conservandis servus non subest domino, sed est sui juris.*”⁴

100. Peccant servi opus sibi injunctum negligendo, vel curam rerum sibi commissarum; non tamen violant justitiam, sed obedientiam domino debitam: “*non enim actiones servi sunt debitæ domino lege justitiæ, sicut mercenarii, qui pretium pro illis accipit: nec cogitur in foro conscientiæ compensare, etsi negligentiùs labora-*

(1) Eph. vi. 5.

(2) 1 Tim. vi. 1.

(3) 1 Pet. ii. 18.

(4) De Justitia, c. i. dub. 1.

verit.”¹ Multo magis peccant a dominis surripiendo quæ apud socios prodigant. Quum autem plerumque careant peculio, et domini eorum laboribus fruuntur, satis videntur facere, quoties diligentiam adhibent magnam in re Domini augenda. Quod si damnum alteri intulerint, nequeunt domino surripere quo illud reparent. In iis quibus ad sui sustentationem in domo heri utuntur, consensus quidam sæpe præsumitur, vel reparatio haud adeo urgeri censetur. Qui nocte circumcursant, ut fœminas invisant, præter impudicitæ peccatum, ligant se aliis criminibus ob pericula quibus se objiciunt, et dominis faciunt injuriam, eo quod noctem pleramque ducendo in-somnem, vix possint labori vacare die sequenti. Qui negligunt fidei documenta addiscere, et munia Religionis explere, oblata occasione, peccati manifesti rei sunt.

(1) Lessius de Justitia et Jure, S. ii. c. viii. dub. iii. n. 20.

CAPUT V.

DE FORENSIBUS OBLIGATIONIBUS.

§ I. DE JUDICE.

101. JUDEX debet legum pollere scientia, et justitiæ amore flagrare :¹ “ Diligite justitiam qui judicatis terram.”² “ Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates : ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in æquitate tua.”³ Re bene expensa, et partium adversarum auditis rationibus, debet judicare, haud ex gratia vel odio, sed juxta æquitatis dictamina, et legum sententiam, personarum discrimine neglecto. Sic præcepit Moyses judicibus a se constitutis : “ Audite illos, et quod justum est judicate : sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.”⁴

102. Qui scientia necessaria carens munus judicis suscipit, peccat discrimini erroris in judicio se objiciendo. Quod si inde proveniat damnum alicui, tenetur ad illud reparandum, quum injusta sit ejus causa. Litis impensæ quæ fiunt ad rescindendum judicium, debent a judice sustineri, quando ignorantia fuit ejus causa : secus si humano errore contigerit, judice perito legum et æquo juris arbitro, nam “ rem quæ culpa caret in damnum vocari non convenit.” Qui mu-

(1) Quanti intersit reipublicæ ut justitia vigeat, exponit Storius : “ Without justice being freely, fully, and impartially administered, neither our persons, nor our rights, nor our property can be protected. And if these, or either of them, are regulated by no certain laws, and are subject to no certain principles, and are held by no certain tenure, and are redressed, when violated, by no certain remedies, society fails of all its value ; and men may as well return to a state of savage and barbarous independence.” *Comm. Const.* l. iii c. vi.

(2) Sap. i. l.

(3) Eccl. vii. 6.

(4) Deut. i. 16.

neribus corruptus, vel odio, vel gratia, damnum pravo iudicio scienter intulit, ad illud reparandum plane tenetur: deest enim omnis excusationis umbra.

103. Leges sequi debet iudex in omnibus quæ civili potestati subijciuntur: " Bonus iudex," inquit Ambrosius, " nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati: sicut audit, ita judicat: et sicut se habet negotii natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur: examinat causæ merita, non mutat."¹ Sic et præscribit jus civile, munus iudicis definiens: " Ne aliter judicet quam quod legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est."² Hinc non licet æquitatem sequi, contra legis dictamina in iis in quibus ob utilitatem publicam obligationes relaxatæ sunt. Nec damnare licet aliquem licet plane reum, nisi probatus sit reus juxta iudiciorum formam. Privata idcirco non licet uti sententia; sed testimonia et documenta in iudicio oblata sequi oportet. Nemo damnandus est inauditus, et sine testibus.³

104. Quandocumque lex dubia est, iudex eam interpretationem sequi debet quæ sibi magis probanda videtur, perspecta aliorum etiam qui iudicia tulerunt auctoritate: nam veritatem et æquitatem sequi pro viribus debet. Quod si ad partem minus probabilem declinaret, in manifestum errandi periculum se projiceret. Meritò igitur damnata est propositio: " Probabiliter iudico, iudicem posse iudicare juxta opinionem etiam minus probabilem."⁴ Id etiam fieret cum damno tertii. Quod si æque probabiles videantur contententium rationes, vel legis interpretationes, possessori favendum est in causis civilibus;⁵ reo in causis criminalibus;⁶ sed numquam licet munus accipere ut quis iudicium pro alterutra parte ferat. Damnata est idcirco ab Alexandro VII. propositio: " Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio."⁷ Plerumque potest iudex ex aliquo juris principio sententiam ferre, licet testimonia, vel instrumenta dubitationem omnem non tollant.⁸

(7) In Ps. cxviii. Serm. xx.

(2) Instit. de officio iudic.

(3) Clement. ii. de sentent. et re jud.

(4) Prop. ii. inter damnatas, ab Innoc. XI.

(5) Reg. lxv. juris in 6.

(6) Reg. xi. juris in 6.

(7) Prop. xxvi.

(8) Leg. xxi. § de testibus.

105. Debet iudex causas celeriter expedire, servata tamen mora e legibus præscripta: "jurgantium controversias celeri sententia terminare, et æquitati convenit et rigori."¹ Peccat igitur qui se facilem præbet advocatis moras nectere quærentibus, ut jus actoris eludant, vel molestiam reo inferant; vel ut reum a justa damnatione eripiant. Quod si nimis festinanter causam ad exitum duci jubeat, ut amico gratificetur cum alterius detrimento, vel ut populi in reum odio satisfaciat, suum prodit munus.

106. In rebus civilibus iudicis sententia acta forensia et legum tenorem necessariò sequitur, licet gravamen forsitan alicui inde oriatur: publica enim utilitas exigit ut iudicia sic gerantur: et valet publica eam concedere potestatem in bonum commune, cui singulorum jura cedunt.

107. Carcere includere reum iudici licet, nam blasphemus in carcerem missus est a Mose, donec Dei voluntas de pœna ei infligenda innotesceret.² Et ut sapienter animadvertit S. Thomas: "Homo qui abutitur potestate sibi data, meretur eam amittere. Et ideo homini qui peccando abusus est libero usu suorum membrorum, conveniens est incarcerationis materia."³ Cæterum ne pœnam subire quis videatur innocens, præcedere debent criminis indicia gravia testium juramento probata, nam "incarcerare aliquem, vel qualitercumque detinere, est illicitum, nisi fiat secundum ordinem justitiæ, aut in pœnam, aut ad cautelam alicujus mali vitandi."⁴ Jure communi cavetur ne civis innoxius carcere includatur;⁵ et reis fit facultas, præstitis vadimoniis, libertate fruendi, donec iudicium subierint: nisi

(1) Cap. ii. de sent. et re judic. De causis criminalibus statuit constitutio Statuum fœderatorum: "In all criminal prosecutions, the accused shall enjoy the right to a speedy and public trial, by an impartial jury of the State and district wherein the crime shall have been committed." Article vi. Amendments to Const. United States.

(2) Lev. xxiv. 12.

(3) 2. 2. qu. lxxv. art. iii. *Ad tertium.*

(4) *Ibidem, Resp.*

(5) "By 16 Car. i. c. x. if any person be restrained of his liberty by order or decree of any illegal court, or by command of the king's majesty in person, or by warrant of the council board, or of any of the privy council, he shall, upon demand of his counsel, have a writ of *habeas corpus* to bring his body before the court of king's bench or common pleas, who shall determine whether the cause of his commitment be just." Blackstone, l. i. n. 135. Vide et Const. U. S. § ix. n. 2.

criminum capitalium accusentur, cum magna verosimilitudine seu præsumptione reatus.¹

108. Utrum iudex damnare possit innocentem, qui juxta acta et probata reus videtur, inter theologos disputatur, plerisque S. Thomæ affirmanti assentientibus: "Iudex si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem nec hoc potest, non peccat, secundum allegata sententiam ferens: quia ipse non occidit innocentem, sed illi qui eum asserunt nocentem."² Alii negant cum S. Bonaventura, quibus assentimur, quum respublica nullam ei concedere possit in innocentis vitam auctoritatem.³ Cæterum moribus nostris duodecim jurati homines judicant de crimine, et iudex tantum legis sententiam, qua pœna sancitur, profert. Si quis ex duodecim repugnet, non poterit reus haberi, ideoque si ei de innocentia constet, omnino debet repugnare. Si iudici constet ex privata scientia eum esse innocentem, qui tamen reus in iudicio probatus est, et declaratus, sententiam proferens tantum fungitur officio; nec videtur causa efficax mortis, quam plerumque impedire valet, intercessione apud gubernatorem. Si juratorum hominum iudicium actis et probatis non nitatur, sed maligno animo, vel temere ex ignorantia, prolatum sit, poterit iudex indicare eos sui muneris limites excessisse, et rei vel legis errore laborare. Novo concessio iudicio erit quomodo error tollatur: quod si iudici sit persuasum suam sententiam executioni fore demandandam, vix putamus eum posse eam proferre in innocentem, licet declaratus sit reus. At contra sentit Carriere, "cum pronuntiandum non habeat de innocentia aut reatu accusati, sed tantum de applicatione pœnæ."⁴ De mutilatione etiam intelligenda hæc quæ de morte disputavimus.

109. Peccat iudex reum inducendo fraudulenter, vel contra juris ordinem ad se prodendum, vel aliqua utendo notitia injuste extorta. Numquam licet munera pro ferenda sententia accipere, quum justitia sit administranda, juxta causæ merita, ex legum præscripto; et iudex a republica sustentetur ea conditione ut gratis erga omnes suo funga-

(1) Vide Amend. Const. U. S. et Const. Pennsylv. art. ix. § xiv.

(2) 2. 2. qu. lxiv. art. v. ad tertium.

(3) Vide Jeremiam Taylor, Ductor Dubit. l. i. c. 2. p. 84.

(4) De justitia et jure, vol. ii. n. 753.

tur munere. Imo justissime prohibetur ne sponte oblata dona, nullo apposito onere, a litigantibus accipiantur,¹ ob periculum ne judex ullo prorsus pacto a juris et justitiæ tramite declinet. Consonant veteris Legis documenta: "Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum."² Quod si judex munus extorserit ob sententiam ferendam, illud restituere debet, quum injuste sit sumptum. De obligatione restituendi munera sponte oblata, et nulla adjecta conditione, non est una omnium sententia: nobis non videntur necessariò restituenda, quum libere volenti ea dare injuria non fiat accipiendo.

110. Inquisitio generalis an leges serventur, fit a judice, vi sui muneris;³ sed jure Anglico et Americano fit a juratis hominibus, qui duodecim saltem numero esse debent, vel ad summum viginti tres.⁴ Specialis inquisitio de crimine cujusdam fieri nequit, nisi præcesserit infamia, vel semiprobatio, vel gravis aliqua causa:⁵ injuria enim alioquin fieret innoxiiis hominibus, suspicione criminis temere iis injecta. Consonat constitutio Americana, prout emendata est.⁶

111. Equuleo olim torquebatur reus, præcedentibus tamen indiciiis gravissimis criminis, ut ex ejus confessione plena fieret probatio. Si equuleo liberatus confessionem retractarit, iterum torquebatur: sed si tertio tortus ac confessus, tertio retractasset, absolutus dimittebatur. Viri illustres, vel in dignitate constituti, doctores, milites, senes, impuberes, prægnantes, et nondum confirmatæ a partu equuleo torqueri nequibant. Jure Anglico reus respondere recusans haud equuleo torquebatur, sed in carcere dorso jacens, ferri magno

(1) Leg. xviii. § de offic. præsid. et Leg. vi. § de offic. procons. et authentic. Ut judices sine quoque suffragio. Cap. x. de vit. et honest. c. xi. de rescript. in 6.

(2) Deut. xvi. 19.

(3) Cap. i. de offic. jud.

(4) *Grand jury*. Vide apud Blackstone, l. iv. n. 303.

(5) Cap. xxi. et xxiii. *de accusat.*

(6) "The right of the people to be secure in their persons, houses, papers, and effects, against unreasonable searches and seizures, shall not be violated; and no warrants shall issue, but upon probable cause, supported by oath or affirmation, and particularly describing the place to be searched, and the persons or things to be seized." Article iv. *Amendments to Constitution of United States*. "No person shall be held to answer for a capital or otherwise infamous crime, unless on a presentment or indictment of a grand jury, except in cases arising in the land or naval forces, or in the militia, when in actual service, in time of war or public danger." Article v.

pondere opprimebatur, donec responderet, vel expiraret.¹ Ubique invaluit jam mitior iudiciorum forma, et constitutione Americana præsertim cavetur ne quis contra se in causa criminali ferre testimonium cogatur.

112. Pœnam lege statutam debet decernere iudex irrogandam, juratis hominibus reum damnantibus. In iis in quibus arbitrio ejus pœna a lege permittitur, æquo animo eam statuere debet, publicam utilitatem, morumque emendationem præ oculis habens.

§ II. DE ACCUSATORE.

113. Accusare dicitur qui criminis reum aliquem refert iudici legitimo ut puniatur, illudque probandum in se suscipit. Qui defert crimen superiori ut emendetur reus, vel ut communi utilitati consulatur, qua possit meliori ratione, denunciare illud dicitur, quoties illud probandi onus non suscipit.

114. Quicumque specialiter ad munus invigilandi deputati sunt, accepta mercede, tenentur ad crimina commissa ab aliis contra dominorum utilitatem referenda: secus quæ sua conniventia contingunt damna debent reparare. Sic fiscales debent fraudantes vectigalibus gubernium capere et accusare: quod si munere accepto conniveant fraudi, tenentur ad damnum reficiendum. Sic domus vel agri custos furibus debet resistere, eosque captos tradere magistratui ut puniantur: quod se neglexerit, et furto silentio saltem faverit, reus ipse est, et ad restitutionem obligatur. Privatus quisque debet reos accusare, vel denunciare, quoties agitur de damno reipublicæ gravissimo, vel etiam innocui hominis. Liquet quemque ad id muneris erga rempublicam teneri, ne malum serpat cum magno plurimorum detrimento: et ad innocentis hominis damnum etiam præcavendum, ne opprimatur: "libera eum qui injuriam patitur de manu superbi."¹ Sic qui novit aliquos pactum inter se iniisse aliquem interficiendi, debet eos denunciare, vel alias saluti innocentis consulere.

115. Accusatio, vel denuntiatio fieri potest nulla præmissa monitione, quoties prudenter timetur ne reus monitus occultius peccet, et

(1) Vide apud Blackstone, *Peine forte et dure*, l. iv. n. 325.

(2) "No person . . . shall be compelled, in any criminal case, to be a witness against himself." Article v. *Amend. to Constit. U. S.*

(3) *Ecl.* iv. 9.

cum majori reipublicæ civilis, vel christianæ pernicie. Sic sacerdos pravum prodens animum, vel prava principia, statim denuntiandus est episcopo, ne cum animarum damno sacrum ministerium exerceat, eo perniciosius quo occultius. Quod si grave non sit publici damni discrimen, disceptatur utrum peccetur statim accusando reum, ommissa monitione ex qua speretur fructus. Negantibus videtur suffragari S. Thomas: "Dicendum secundum alios, quod in accusatione non agitur ad emendationem peccantis, sed ad bonum commune, scilicet justitiam conservandam per punitionem delinquentis. Et ideo accusatio in judicio bona conscientia potest fieri, etiamsi monitio non præcedat. Nec est contra præceptum Domini, quod intelligitur, quando agitur ad emendationem peccantis."¹ Equidem eo Evangelii loco Christus Dominus præcipue loquitur de peccato in nos admissio, quod ad publicum tribunal non est deferendum, nisi post conatus ad fratrem lucrandum: sed de peccatis quæ in communitatis detrimentum cedunt alias dicendum; sæpe enim plurimi interest ut statim denuntientur, et puniantur ad mores servandos, vel emendandos. Non igitur nimis anxie inquirendum, utrum privata monitio sit præmittenda: sæpe enim prodest accusatio publicis moribus, vel innocentis famæ.

116. Quando quis nequit probare delictum, licet certò illud noverit, non tenetur ad illud deferendum, ne ipse malignus videatur: sed imminente damno alterius, vel reipublicæ, debet aliquatenus illud indicare, ut caveatur periculum.

§ III. DE TESTIBUS.

117. Testes duo saltem plerumque requiruntur ut res in judicio probata habeatur. Sic in lege veteri de causa criminali præscriptum est: "Non stabit testis unus contra aliquem, quicquid illud peccati et facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum."² Consonat jus civile: "Unius responsio testis omnino non audiatur."³ Attamen ad impediendum matrimonium sufficit unus testis, qui probatæ fidei sit.⁴ Sic et leviores pœnæ imponuntur, uno teste suffragante in iis præsertim rebus in quibus plures vix

(1) In iv. dist. x. art. iii. qu. i. ad quartum.

(2) Deut. xix. 15.

(3) Cod. iv. 20. 9.

(4) Cap. xxv. de sponsalibus.

haberi possunt. Sic custodes, vel officiales publici, fidem faciunt de furtis vel aliis delictis, in quibus reos deprehenderunt. Imo ipsa mortis pœna irrogatur nonnumquam solius accusatricis testimonio de stupro sibi illato, quando scilicet duodecim juratorum hominum iudicio nihil occurrit quo infirmetur: v: g: si puella bonæ sit famæ, et vim sibi illatam paulo post retulerit fido amico, vel parenti, et adjuncta loci et personarum respondeant, et res in iudicium brevi sit deducta, et si reus fugerit ne caperetur.¹ Jus commune unius testimonium satis habet, eo quod plurima sint quæ uni tantum innotescunt.²

118. Testes debent sensu externo id quod testantur percepisse, oculis scilicet vidisse, auribus audisse, manu contrectasse, vel alia certa ratione, ita ut rem gestam referre valeant. *Oculati testes*, qui præsentibus erant, et rem viderunt, vel voces audierunt, *auritis præferuntur*, qui quæ ab aliis ceperunt narrant.³ Testes dotibus ornari debent quæ fidem faciant, scilicet veritatis et integritatis studio, et bona fama. Dicuntur autem omni exceptione majores, quando nihil iis objici valeat, cur non sint ad testandum excipiendi.

119. Jure civili a ferendo testimonio repelluntur mancipia, quum ob eorum humilem conditionem censeantur facile ad falsum testimonium ferendum inducendi: minores ætate viginti annorum in criminalibus, in civilibus autem impubes: inimici partium: consanguinei et domestici actoris, exceptis quibusdam casibus: infames: perjuri: socii criminis: persona vilis et inops, quæ videtur facile corrumpenda, non autem pauper honestus: deliri et semifatui. Mulieres etiam jure canonico repelluntur in causis criminalibus. In criminibus quibusdam, v: g: hæresis, læsæ majestatis, falsæ monetæ, omnes ad testandum excipiuntur, ob reipublicæ periculum; sed non ideo reus punitur, nisi ex adjunctis roboretur et confirmetur testimonium.

(1) Vide Blackstone, l. iv. n. 214.

(2) "One witness (if credible) is sufficient evidence to a jury of a single fact, though undoubtedly the concurrence of two or more corroborates the proof. Yet our law considers that there are many transactions to which only one person is privy; and therefore does not always demand the testimony of two." Blackstone, l. iii. n. 370.

(3) "In some cases (as in proof of any general customs, or matters of common tradition or repute,) the courts admit of *hearsay* evidence, or an account of what persons deceased have declared in their lifetimes, but such evidence will not be received of any particular facts." Blackstone, l. iii. n. 368.

Quando delictum est clam commissum, vel ubi copia testium haberi nequit, omnes ad testandum admittuntur.

120. In America fœderata mancipia ad testimonium ferendum non admittuntur, nisi alicubi quando agitur de aliis mancipiis in causa criminali.¹ Liberti vel liberi nigri coloris in Statu Delavariensi testes excipiuntur, defectu testium albi coloris, in causis criminalibus universis: sed eorum testimonium non excipitur adversus hominem albi coloris, ut probetur pater esse prolis spuria.² Minores quatuordecim annis ad testandum admittuntur, iudicis arbitrio: majores non rejiciuntur, nisi constet eos haud satis nosse juramenti naturam.³ Consanguinei testimonium ferre valent, sed conjuges nequeunt pro alterutro vel adversus alterutrum testari. Uxoris tamen testimonium adversus maritum excipitur, quando se male tractari, verberari, vel alias injuria affici queritur.⁴ Domestici actoris etiam admittuntur.⁵ Infames excluduntur, ii scilicet qui rei probati sunt iudicio gravioris criminis, nisi venia iis a suprema auctoritate sit concessa, et *inhabilitas* sublata.⁶ Perjurii semel rei probati semper repelluntur.⁷ Particeps criminis admittitur ad testandum:⁸ et in

(1) "No slave shall be admitted a witness against any person in any matter, cause, or thing whatsoever, civil or criminal, except in criminal cases, in which the evidence of one slave shall be admitted for or against another slave." *Statute of New Jersey, 14 March, 1798.*

(2) Act Feb. 1, 1799, in *Digesto* art. *Negroes and Mulattoes.*

(3) "It is to be presumed, that every person of the age of fourteen years is a competent witness, till the contrary appear." *Notes to article: Witnesses. Digest of Laws of New Jersey, citans Penn. 415. 728.*

(4) "It is no objection to a person's being a witness that he is related to either of the parties: but husband or wife cannot be witnesses for or against each other, except where the woman complains of an offence of her husband against her person, as for assault and battery." *Ibidem.*

(5) "A servant of a tradesman, from necessity, is permitted in an action by his master to prove the delivery of goods." Chitty, note on Blackstone, L. iii. n. 370, note 30.

(6) "In New York, conviction for a felony, and for that alone, incapacitates a person from being a witness on account of infamy: the incapacity may be removed by pardon." Chitty, *ibidem*, note 31. Vide et *Digest of Laws of New Jersey, art. Witnesses, Act 7 June, 1799, Sect. 1.*

(7) "No person, who shall be convicted of perjury, or of subornation of perjury, although pardoned for the same, shall be admitted as a witness, in any case." *Digest, ibidem.*

(8) "It seems to be an universal rule, that a *particeps criminis* may be ex-

crimimbus gravioribus spes veniæ ei datur, si alios probet reos.¹ Qui lucrum aut damnum ex litis exitu habituri sunt, non admittuntur,² ne suæ utilitati cum veritatis et alterius detrimento studeant. Deliri, amentes, semifatui excluduntur. Generatim jure communi Anglicano et Americano testes facile admittuntur, et juratorum hominum duodecim arbitrio permittitur quæ eis tribuenda sit fides.³

121. Tenentur ad testificandum qui a legitimo Superiore, servato juris ordine, præcepto coguntur, vel qui testimonium norunt necessarium esse ad præcavendum grave reipublicæ vel Ecclesiæ damnum, vel etiam innocentis. “ Si requiritur testimonium alicujus auctoritate superioris, cui in his, quæ ad justitiam pertinent, obedire tenetur: non est dubium quin teneatur testimonium ferre in his in quibus, secundum ordinem juris, testimonium ab eo exigitur, puta in manifestis, et in his de quibus infamia præcessit. Si autem exigitur ab eo testimonium in aliis, puta in occultis, de quibus infamia non præcessit, non tenetur ad testificandum. Si verò requiratur ejus testimonium non auctoritate superioris, cui obedire tenetur, tunc distinguendum est: quia si testimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab injusta morte, seu pœna quacumque, vel a falsa infamia, vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad testificandum. Et si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim in Psalmo lxxxi. ‘ Eripite pauperem et egenum de manu peccatoris liberate.’ Et Proverb. xxiv. ‘ Erue eos, qui dicuntur ad mortem:’ et Rom. i. dicitur: ‘ Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.’ Ubi dicit Glossa: ‘ Consentire, est tacere cum possis redarguere.’ Super his vero quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi

examined as a witness in both civil and criminal cases, provided he has not been incapacitated by a conviction of crime.” Chitty ubi supra.

(1) Vide Blackstone, l. iv. n. 330.

(2) “ All witnesses, of whatever religion or country, that have the use of their reason, are to be received and examined, except such as are *infamous*, or such as are *interested* in the event of the cause.” Blackstone, l. iii. n. 370.

(3) “ All others are *competent* witnesses: though the jury from other circumstances will judge of their *credibility*.” Blackstone, *ibidem*. “ The old cases upon the competency of witnesses have gone upon very subtle grounds. But of late years, the courts have endeavoured, as far as possible, to let the objection go to the credit, rather than to the competency of a witness.” Lord Mansfield, 1 T. R. 300.

cum a Superiori compellitur, secundum ordinem juris. Quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur. Vel si immineat periculum accusatori, non est curandum: quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit. Alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet eo nolente."¹

122. Nequit testari qui rem novit ex confessione, nam sub sigillo arctissimo ei committuntur quæ dicuntur confitendo. "De illis quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet testimonium ferre: quia hujusmodi non scit ut homo, sed tamquam Dei minister; et majus est vinculum sacramenti quolibet hominis præcepto."² Interrogatus idcirco respondere debet, veluti rei penitus ignarus, nisi aliunde ei innotuerit: nam qui oculis suis eam vidit, non ideo prohibetur respondere, quod deinceps ea fuerit in sacro tribunali declarata. Advocati, alique qui vi sui muneris a clientibus rerum notitiam acceperunt, nequeunt ea in eorum damnum uti, nam ea fiducia communicata est ut nemini proderetur.³ Idem dicendum videtur de chirurgo, obstetrice, vel fidissimo amico cui arcani naturalis obligatio est imposita: attamen quamvis alicubi onere revelandi secreta sibi commissa eximantur nonnulli ex his,⁴ eos communi jure teneri ad plenum præbendum testimonium, dicunt jurisperiti.⁵ De iis quæ sub secreto naturali communicantur sapienter pro more dicit S. Thomas: "Quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur: puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur vel testificando, vel denun-

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxx. art. i. *Resp.*

(2) *Ibidem, ad secundum.* Libertas sacerdotis hac in re vindicata est Neoboraci, Revdo P. Antonio Kohlmann e S. I. in jus vocato ut nomen furis, qui rem sibi commiserat restituendam, proderet. Vide libellum: "Catholic Question."

(3) Blackstone, l. iii. n. 370.

(4) "In New York, physicians, surgeons, and clergymen, are not now allowed to disclose matters confided to them in their professional character." Chitty, *Ibidem*, n. 32.

(5) "The purposes of public justice supersede the delicacy of every other species of confidential communication. In the case of the duchess of Kingaton, it was determined that a friend might be bound to disclose, if necessary in a court of justice, secrets of the most sacred nature which one sex could repose in the other. *Ibidem.*

tiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum : quia in hoc frangeret fidem quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia quæ quis prodere non tenetur, unde potest obligari ex hoc, quod sibi sub secreto committuntur : et tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris : quia servare fidem est de jure naturali. Nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de jure naturali.”¹

123. Peccat graviter testis falsum dicendo, nam “testis mendax peribit:”² tenetur etiam ad reparandum damnum, si quod obvenerit ex ejus testimonio. Sed et veritatem supprimendo, vel occultando,³ peccat, quum vi juramenti debeat integram dicere veritatem.⁴ Quod si se occultet ne ad testandum advocetur, peccat, quoties grave damnum ex ejus absentia oriturum est innocenti, nisi forte excusetur ob gravius malum alteri ex ejus testimonio impendens. Utrum autem teneatur ad restituendum, qui se subtrahendo in causa est ut actor causa cadat, disceptatur : sed si post citationem quis se subtraxerit adeo ut alter suo jure cadat, haud dubium est peccari, et ad restitutionem obligationem contrahi, nam legitimo præcepto repugnatur cum gravi alterius damno. Idem dicendum videtur, quoties alter privatur suo jure, licet citationem eluserit, se occultando ne fieret : nam revera causa est efficax cur debitum non exigatur.

124. Jure communi Anglico et Americano quis ad testandum obligatur præcepto sub mulcta, quod *subpœna* dicitur, addito etiam damno quod ex ejus absentia provenit parti.⁵ Si negligat adesse citatus, vi ducitur.⁶

125. Qui instrumenta supprimit, vel lacerat, vel injuste apud se

(1) 2. 2. qu. lxx. art. i. *ad secundum*.

(2) Prov. xxi. 28.

(3) Cap. i. de crim. fals.

(4) “The oath administered to the witness is not only that what he deposes shall be true, but that he shall also depose the whole truth : so that he is not to conceal any part of what he knows, whether interrogated particularly to that point, or not.” Blackstone, l. iii. n. 372.

(5) Vide Blackstone. l. iii. n. 364.

(6) “The usual mode of proceeding against witnesses, for disobedience of the writ of subpœna, is by the summary process of an attachment for a contempt . . . but the court will not grant an attachment against a witness, unless all the necessary expenses of the journey to and from, and the witness’s stay at the place of trial, be tendered at the time of serving the subpœna.” Chitty, note 28. Ibidem.

retinet, ut alter cadat causa, injuriam etiam facit, et damna reparare debet. Hinc jussit Alexander III. ut causa caderet qui ita agit.¹

§ IV. DE REO.

126. Reus a judice interrogatus respondens se reum non esse,² non ideo mentiri censendus est, quia ex omnium consensu verba illa significant se nolle crimen fateri, vel ejus luere pœnas, nisi in judicio probetur.³ Ideo consuevit judex reum delictum fatentem monere, ut appellet patriam, crimen denegando.⁴ Jure autem Romano interrogabatur reus post indicia criminis data, quæ semiplenam probationem constituebant, et tenebatur respondere, crimen confitendo, uti plures theologi post D. Thomam censuerunt:⁵ sed quum nostra judiciorum forma sit diversa, necesse non putamus in ea discutienda opinione immorari.

127. De sociis criminis solebat olim interrogari a judice reus, quos prodere tenebatur, quoties gravia jam contra eos suppetebant indicia, et communis utilitatis intererat ut detegerentur: secus non ita.⁶ Legibus tamen Anglicis venia datur reis quorundam criminum, si alios suo testimonio reos probent:⁷ et ex consuetudine spes veniæ datur reis plerisque ea conditione ut socios indicent et probent.⁸

128. Quærunt theologi utrum reo damnato criminis quod revera patravit, licet novum quærere judicium, appellatione interposita. Apud nos novi judicii copiam aliquando dat judex eo quod duode-

(1) Cap. iv. De test. cogend. et cap. Si quis. xii. qu. ii.

(2) "The general issue or plea of not guilty." Blackstone, l. iv. n. 338.

(3) "And of this he puts himself upon the country."

(4) "Upon a simple and plain confession, the court hath nothing to do but to award judgment: but it is usually very backward in receiving and recording such confession, out of tenderness to the life of the subject; and will generally advise the prisoner to retract it, and plead to the indictment." Blackstone, l. iv. n. 329.

(5) 2. 2. qu. lxxix. art. 1.

(6) L. ultim. cod. de accusat, et cap. i. de confessis.

(7) Blackstone, l. iv. n. 331.

(8) "This admission to be a witness amounts to a promise of a recommendation to mercy, upon condition that the accomplice make a full and fair disclosure of all the circumstances of the crime, for which the other prisoners are tried, and in which he has been concerned in concert with them." Chitty in Blackstone, loc. cit. n. 13.

cim jurati homines videantur ei juxta leges, vel juxta acta et probata, haud tulisse sententiam, vel quod reus novi aliquid alleget. Eum in finem solet rei advocatus curiam orare ne sententia proferatur, et rationes afferre quare vel totum judicium habendum sit irritum, vel in irritum mittatur.¹ Improbant plures theologi omnem appellationem a justa sententia, utpote eo directam ut justitia eludatur, et afferunt testimonia plura quibus appellationes iniquæ damnantur:² sed pace eorum dixerim reum posse omni subsidio adminiculoque legis uti quo pœnam evadat, salva veritate. Si quid latuerit vitii in judicii ratione, utique valet illud proferre, ne sententia consequatur effectum: sicut enim ante judicium latum, potest legitima omni ratione se tueri ne damnetur; ita postea, ne damnatio firma sit, et executioni demandetur.³ Equidem pœnam a lege delicto destinatam nemo subire intelligitur, nisi omni deficiente præsidio quo se tueatur: satisque fit publicæ justitiæ si quandoque irrogetur, ita ut semper timenda sit. Iniquæ autem appellationes eæ sunt quæ jura aliena lædunt, vel ordinem publicum subvertunt, cum disciplinæ et justitiæ detrimento.⁴

129. Reus juste capitis damnatus tenetur ad subeundam pœnam, et ideo ad eas actiones sine quibus irrogari vix potest: sed nequit aliquid facere quo vitam sibi ipse tollat, quum id naturali se servandi instinctui repugnet. Sux necis reus igitur foret qui omnem cibum recusaret eo consilio ut mortem arcesseret: vel qui se cultro, vel telo alio, in carcere occideret. "Nullus ita condemnatur," inquit S. Thomas, "quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiat. Et ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur: quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiat quod justum est eum pati."⁵ Quum pœnam capitis nemo intelligatur pati libenter, non peccat reus fugi-

(1) "The practice of setting aside verdicts upon motion, and granting new trials, has superseded the use of both sorts of attaints." Blackstone, l. iii. n. 404.

(2) Vide apud Antoine, Tract. de oblig. c. v. § iv. qu. ii.

(3) "Whenever he appears in person, upon either a capital or inferior conviction, he may at this period, as well as at his arraignment, offer any exceptions to the indictment, in arrest or stay of judgment." Blackstone, l. iv. n. 376.

(4) De hujusmodi appellationibus plane loquitur S. Thomas, 2. 2. qu. lxxix. art. iii.

(5) 2. 2. qu. lxxix. art. iv. ad secundum.

endo, effringendo carcerem, doloque et vi moderata utendo, qua sibi consulat: utitur enim naturali jure vitam servandi, obicesque sibi objectos tollit absque nimio aliorum damno.¹ Cæterum peccaret incendendo carcerem cum manifesto discrimine mortis aliorum, vel occidendo custodem vel alium quemquam, ut evaderet. Quod ad alios attinet qui instrumenta illi suppeditant quibus carcerem effringat, vel equum quo evadat, semel e carcere egressus, vel alias suam præstant operam, videntur excusari posse, quum fuga illi liceat, ideoque operam præstant jure suo utenti. Plerique tamen damnant alios præter reum carcerem effringentes, vel vim adhibentes, quum ipsi nullum jus habeant resistendi sententiæ executioni, et ordinem publicæ justitiæ violent.

130. Qui injuste damnatus est potest executioni sententiæ, vi adhibita, resistere, uti docet S. Thomas, quum enim damnasset reum resistentem justæ sententiæ, subjunxit: "Alio modo condemnatur aliquis injuste: et tale judicium simile est violentiæ latronum: secundum illud, Ezech. xxii: 'Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem.' Et ideo sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis principibus, nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur."²

131. Plerique theologi censent reum ad mitiorem pœnam subeundam teneri, quam judex ob crimen juste decreverit; nec posse eam absque peccato evadere. Qui carcere includendus erat per tempus haud diuturnum, peccat, juxta illos, fugiendo ne detineatur: qui mulctam solvere ex judicis sententia tenetur, peccati reus est, si eam detrectet solvere, et dolo vel vi evadat. Cæterum existimo pœnas omnes ita a lege statui, et a judice decerni, ut irrogandæ sint a justitiæ ministris; ideoque damnare non audeo eum, qui, jure alieno illæso, se subducit, dummodo tamen vim non adhibeat, et publicum ordinem non perturbet.

§ V. DE OBLIGATIONIBUS ADVOCATI.

132. Advocatus debet probe nosse leges, et judiciorum formam, et instrumentorum conficiendorum rationem, ut clientibus operam

(1) Vide Jer. Taylor, Duct. Dub. l. iii. c. 2. vol. ii. p. 72.

(2) 2. 2. qu. lxxix. art. iv. *Resp.*

præstet utilem et tutam. Diligenter debet clientis sui gerere negotia, quærere utilitates, et omne impendere studium, ut incepta felicem habeant exitum. Arcana sibi commissa debet fideliter custodire, nec notitia comparata in clientis detrimentum uti. Huic debet ingenue pandere causæ naturam, et quis ejus exitus verosimiliter futurus sit. Causam autem ita gerere oportet, ut justitiæ et æquitati consulatur, et fraus omnis et mendacium procul habeantur.

133. Quoties lege vel consuetudine pretium, vel stipendium, assignatur, non debet advocatus majus exigere: quapropter justitiam violat, et ad excessum restituendum tenetur, qui exigit summam majorem consueta ob instrumenta conficienda. Quod ad honoraria pertinet, pendent plerumque ex litis magnitudine, et advocati præstantia; et licite accipiuntur quæ sponte dantur a clientibus: sed qui nolunt suam præstare operam clientibus in rerum discrimine, nisi amplissima pecunia accepta, justitiam videntur violare, præsertim si clientes in illa rerum positura nequeant ad alium recurrere. Debent idcirco restituere excessum, habita ratione laboris, et peritiæ suæ, et consuetudinis receptæ. Qui verò cum clientibus paciscuntur se nihil postuluros ultra impensas necessarias in lite prosequenda, nisi causa vicerint, possunt mercedem longe majorem exigere ob conditionem illam sponte susceptam, præsertim si causa valde dubii exitus sit. Quod autem nonnulli quartam, vel tertiam partem, vel etiam dimidium rei de qua agitur, sibi ideo vindicent, vix potest cum justitiæ legibus conciliari, quoties paupertas vel alia dura rerum conditio clientibus necessitatem assentiendi imposuit. Sapientissime idcirco et justissime jure civili hujusmodi pacta vetita sunt,¹ utpote clientibus injusta, et occasionem præbentia advocatis per fas et nefas ad exitum felicem rem perducendi. Cæterum quum apud nos lex non obstat, de pactis juxta æquitatem judicandum est.

134. Non licet suscipere causæ manifestò injustæ patrocinium, quia qui operam suam præstat injustitiæ patrandæ, vel vindicandæ, in causa est ut patretur, vel obicem objicit ne reparetur. “ Illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adjuvando, sive qualitercumque consentiendo: quia consilians et coadjuvans, quodammodo est faciens. Et Apostolus dicit ad Rom. i. quod ‘ digni sunt morte non solum qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus:’ unde et supra dictum est quod omnes

(1) L. liii. § de pact.

tales ad restitutionem tenentur. Manifestum est autem, quod advocatus et auxilium et consilium præstat ei, cujus causæ patrocinator. Unde si scienter injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat, et ad restitutionem tenetur ejus damni quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit.”¹ Quod si injustitiam facienti faveant leges, ob vitium aliquod, vel defectum tituli, vel instrumenti, non audeo damnare advocatum qui suam dat operam clienti legum præsidio uti volenti, ut jus alterius eludat: nam illius non est conscientias regere, sed legibus studere. Monendus tamen foret cliens se non ideo solvi naturali obligatione. Sic qui debet alicui quandam pecuniam, quam alter sibi deberi nequit iudicio probare, ab advocatione absque culpa mihi videtur defendi, quum legis præsidio utatur. Qui colonum agris domoque exturbare vult ob tituli defectum, quem fraude ipse induxit, advocati utitur opera, quin hic peccet, nam jus lege tributum urget: sed gravissime peccaret, et restituendi obligationem contraheret, qui fraudi clientis consentiens instrumentum ita conficeret.

135. Quando causæ justitia dubia est, videtur licere advocatione partes clientis suscipere defendendas, iudicis enim est rem certo ex legis auctoritate definire:² monendus est autem cliens dubii exitus ne impensas litis temere et inutiliter faciat, et se injuriæ alteri faciendæ discrimini objiciat. Quod si æquitas faveat clienti, lege adversante, utique licebit causam suscipere, si spes aliqua affulgeat felicitis exitus, et omnem adhibere operam artemque ad vincendum.

136. Si post causam bona fide susceptam iniquitas ejus advocatione innotescat: v: g: si cliens illi prodat instrumentum esse fictum, vel crimen falsò impactum; debet advocatus eam deserere, quin fidem violet. “Advocatus si in principio credit causam justam esse, et postea in processu appareat eam esse injustam, non debet eam prode, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti

(1) S. Thom. 2. 2. qu. lxxi. art. iii. *Resp.*

(2) “An honourable barrister will never mis-state either law or facts within his knowledge, but he is justified in urging any argument, whatever may be his own opinion of the solidity or justness of it, which he may think will promote the interests of his client; for reasoning in courts of justice and in the ordinary affairs of life seldom admits of geometrical demonstration.” Chittii adnotatio 23, in Blackstone, l. iv. n. 357. “Judicis est semper in causis verum sequi; patroni nonnumquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere.” Cicero de off. l. ii. c. xiv.

revelat. Potest tamen et debet causam deserere, vel eum cujus causam agit ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno." Ita S. Thomas.¹

137. In causa prosequenda peccat advocatus si diligenter non invigilet clientis utilitatibus, vel quid prudenter vel socorditer omittat, quo deficiente cliens causa cadat. Peccat etiam litium ambages quærendo, ut impensas augeat:² vel differendo litis judicium injustis exceptionibus et cavillationibus, justitiæ eludendæ, vel lucri privati studio. Peccat etiam aliquid falsi consultò proferendo, vel fraudem faciendo in judicio, præsertim cum alterius detrimento.³ Peccat suadendo clienti ut falsum juret, vel eum in necessitatem pejerandi veluti conjiciendo, indicando spem alias nullam esse victoriæ: peccat etiam sinendo clientem falsum jurare. Peccat testes falsos exquirendo, vel ficta instrumenta, vel leges falsas et judicia citando, vel leges detorquendo cum alterius damno. Quod si ingeniose detorqueantur leges ab obvio sensu, ut reus supplicium evadat, non videtur peccari: nam id fit absque alicujus damno, et pœna non est irroganda nisi, ex judicis auctoritate, lex applicetur delicto. Peccat secreta clientis adversario prodendo, vel aliquod præbendo adminiculum, quo cliens vincatur: vel suadendo clienti ut transactionem faciat iniquam.

138. In causa criminali actoris partes non debet suscipere, si iniqua sit accusatio, et perjurio innitatur. Quod si dubia sit, Antoine censet advocatum peccare;⁴ sed eum damnare non audemus, re nondum judicio eliquata. Post monitionem, ne actor odio vel mentis somniis se sinat abduci, putamus posse advocatum ejus urgere accusationem moderate tamen et legitime.⁵ Reo pauperi in minoribus

(1) 2. 2. qu. lxxi. art. iii. *ad secundum*.

(2) *Cap. ult. de injur.*

(3) "If in a just cause the advocate or party may not tell a lie, I conclude that much less may he do it in an unjust cause, and for the defence of wrong... Artifices and crafty intercourses may be used to defend a just cause that can no other way be defended, but they may not be used to promote an evil cause; because they of themselves, though they be indifferent, yet not serving a good end but an evil, do therefore become evil." Jer. Taylor, *Duct. Dub. l. iii. c. ii. Vol. ii. p. 91.*

(4) *Tract. de Oblig. c. v. § v. n. 5.*

(5) "In all criminal prosecutions, especially where the prisoner can have no counsel to plead for him, a barrister is as much bound to disclose all those circumstances to the jury, and to reason upon them as fully, which are favourable to the prisoner, as those which are likely to support the prosecution." Chittii adnotatio 24 in *Blackstone, l. iv. n. 357.*

criminibus, quæ "*miademeanors*" audiunt, advocatus a iudice dabitur; in facinoribus præcipuis, quæ scilicet pœnam mortis merentur, et etiam in furto parvo, jure Anglico nulla erat advocati copia; sed legibus nostris fit facultas utendi advocati opera.¹ Decet advocatum eam non denegare, præsertim ei qui videtur injuria accusatus: "Erue eos qui ducuntur ad mortem; et qui trahuntur ad interitum liberare non cesses."² Sed et atrocissimi facinoris manifeste reo non est deneganda, quum pœna nonnisi post judicium legitimum sit subeunda.³

139. Pauperibus omnibus ad jus suum manifestum prosequendum advocati opera deesse non debet, præsertim quum plurium utilitates facile queant promoveri: cæterum non tenetur advocatus ad magnas subeundas impensas ut illis consulat. Eorum jura certa qui sibi comparat parva pecunia, justitiã plane violat, et ad restituendum tenetur.

140. Peccant advocati qui tituli vitium discentes ex muneris sui exercitio, ea utuntur notitia, ut, aliena opera, rem sibi comparent, clientiparte quadam et dolo ereptam. Peccant etiam qui clientibus falsò suadent titulum esse vitiosum, litisque exitum incertum, ut in se jus transferatur modico pretio.

§ VI. DE OBLIGATIONIBUS OFFICIALIUM FORENSIUM.

141. Omnes officiales forenses tenentur ad sufficientem comparandam notitiam suorum munerum, ut iis rite fungantur, ne sua imperitia aliis sint detrimento, nam "imperitia culpæ adnumeratur."⁴

(1) "The law restricting the aid of counsel on indictments still prevails in England. It has generally been repealed in the U. S. and as is believed much to the benefit of the community, and without the evils apprehended in England." Chitty, adnotatio 33 in Blackstone, l. iv. n. 34. "In all criminal prosecutions, the accused shall enjoy the right to a speedy and public trial, and to have the assistance of counsel for his defence." Art. vi. Amendments to Const. U. S.

(2) Prop. xxiv. 11.

(3) "Let the circumstances against a prisoner be ever so atrocious, it is still the duty of the advocate to see that his client is convicted according to those rules and forms, which the wisdom of the legislature has established as the best protection of the liberty and the security of the subject." Chittii adnotatio 23. in Blackstonium, l. iv. n. 357.

(4) Dig. l. i. tit. xvii. de Regulis juris, n. 132.

Cavendum etiam ne mercedem amplio~~re~~rem quam statuit lex, vel consuetudo recepta, exigant : nam excessus restituendus foret, utpote cum injuria dantis exactus. Varia sunt officialium publicorum et forensium nomina, varianturque munia, pro locorum diversitate.

142. Referens dicitur qui sub tribunali sœdens breviter notat et refert quæ a testibus dicuntur, vel quæ afferuntur instrumenta, et causæ merita, ut judicium feratur. Peccat autem si sua negligentia, vel inscitia, vel partium studio, aliquid minus accurate referat.

143. Secretarius juramentum ministrat, instrumenta litis in scrinio servat, judicis sententiam transcribit, et authentica tradit partibus documenta. Fidelis sit et accuratus oportet, et utrique contendenti æquus.

144. Procurator clientis sui nomine comparet, et omnia parat litis instrumenta, quibus advocatus possit rem gerere. Apud nos advocatus junior hæc obit munia, et utrumque munus idcirco idem habetur. Quæ igitur de advocato dicta sunt, procuratori etiam accommodari possunt.

145. Scriba pleraque apud nos instrumenta conficit, quibus rerum proprietas transferatur, vel quis ad aliquid præstandum se obliget. Debet igitur callere rationem ea conficiendi ut lege valeant, et pro more diligens de titulo instituere examen in scriniis publicis, ut noscatur utrum ex omni parte validus sit.

146. Tabellio, seu notarius, operam præsertim impendit cambialibus præsentandis-ut acceptentur et solvantur, et *protestationem* facit, quæ publicam obtinet fidem, ea non fuisse acceptata, vel soluta.¹ Hæc protestatio exigitur quando de externis cambialibus agitur, ut lis deinceps rite instituatur:² externa autem plerumque censentur quæ a cive alicujus Status ad civem in altero Statu versantem diriguntur.³ In Louisiana notarius conficit testamenta : et ubique instru-

(1) "The certificate of a foreign notary, under his hand and seal of office, of the presentment by him of a bill or note, for acceptance or payment, and of his protest thereof for non-acceptance or non-payment, is received in all courts, by the usage and under the courtesy of nations, as presumptive evidence of the fact." Kent's Comm. vol. iii. lec. xlv. n. 94, note.

(2) Ibidem.

(3) "In *Buckner v. Finley & Van Lear*, 2 Peters' U. S. Rep. 586, it was decided, that bills of exchange drawn in one state, on persons living in another, were to be treated as foreign bills." Ibidem.

mentis quæ ab aliquo Statu ad alterum mittuntur fidem facit testimonio suo et sigillo. Peccat verò si testetur aliquid falsi, vel injustam exigat mercedem.

147. Apparitor est qui iudicis mandata partibus vel testibus annuntiat, et publica auctoritate homines, vel eorum bona capit. Debet fideliter munus exequi, nec aspere vel crudeliter aliquem tractare.

CAPUT VI.

DE OBLIGATIONIBUS DUCUM ET MILITUM.

148. **GRAVITER** peccant quicumque vi vel fraude milites conscribunt, quod præsertim contingit homines inebriando ut ad nomina danda militiæ inducantur. Debent idcirco, si valeant, eos solvere vinculo quod sui non satis compotes sibi injecerunt. Urgente necessitate quandoque coguntur cives publica auctoritate ad stipendia facienda, quod quidem licet.

149. **Duces** peccant milites aspere tractando, et crudeli nimis imperio regendo : temperare enim oportet severitatem disciplinæ morum humanitate, ne exulcerentur animi. Invigilare tamen debent ne crimina impune patrentur cum innoxiorum hominum damno : ideoque peccant, si sua culpa milites laxent vitis habenas, et aliena diripiant, vel vim inferant innocuis. Peccant etiam si negligant victum congruum iis suppeditare, et stipendia. Grassante bello præsertim curandum ne quid oneris inique imponatur civibus, quod rerum conditio non postulat, et ut æque distribuatur pro virium ratione. Hospitium idcirco militibus adsignandum, quando necessarium visum sit, apud cives, numeri et virium proportionem servata. Severissime vetandum ne innoxios lædant, vel regionem populentur. In pugna ipsa duces decet animo et virtute omnibus præire, quamvis non debeant se temere objicere discrimini, ne turma careat ducore. Nihil autem nimis periculosum injungendum est militi, nisi ob manifestam necessitatem : nec certamen temere ineundum, sed omni studio consulendum est militum vitæ. Erga hostes uti licet virtute aut dolo, nam : “ virtus an dolus quis in hoste requirat ? ” celare sua consilia, itinera inchoare quæ perficere nequaquam volunt, et

alia quæ dicuntur *stratagemata*, ut hostis incautius se gerens, vel deceptus, vincatur: hæc scilicet ex consuetudine intelliguntur esse artes militares, quibus si quis fallatur, sibi imputare debet. Fidem autem hostibus datam nullatenus frangere licet; aut bellandi rationem quam servant gentes omnes, violare.

150. Milites duci obedire debent in universis quæ spectant militiam, salva divina lege. Ideo debent stationem servare, inimicum aggredi, et fortiter pugnare, cum vitæ discrimine: nequeunt autem aliquid injussi facere, licet in suorum utilitatem et hostium detrimentum, nam præstat ut servetur disciplina necessaria, quam ut arbitrio cujuscumque utilitas quæratum cum damni periculo. Peccant autem qui contra ducis vetitum damnum hostibus,¹ multo magis qui concivibus suis, vel genti amicæ inferunt. Nil extra veniam ducis debent auferre, neminique ultra bellandi licentiam vim facere. "Neminem concutiatis," inquit Joannes, militibus sui muneris limites indicans, "neque calumniam faciatis: et contenti estote stipendiis vestris."²

151. Milites qui sine licentia ducis discedunt ad tempus ab exercitu peccant: qui autem penitus castra deserunt gravioris peccati rei sunt, et pænæ gravissimæ obnoxii. Cæterum qui jam e potestate ducis evaserunt, et aliò migraverunt, cogendi non sunt ad redendum, quum tanta eos maneat pœna, quam nemo sponte pati censendus est. Pœnitentibus igitur de fide fracta venia indulgetur absque reductu necessitate.

152. In bello manifeste injusto non licet stipendia facere: at tot esse possunt rationes cur bellum licite geratur, quamvis ex injuria forsitan occasio ejus sit orta, ut plerumque excusantur milites duci obtemperantes.

(1) Cap. Miles, xxiii. qu. v.

(2) Luc. iii. 14. *μηδεν διασεισητε, μηδε συκοφαντησητε*. In verbum prius scribit Bloomfield: "It is equivalent to, and indeed formed from the Latin *conculere*, which has been proved to have the signification 'to extort money by dint of threats.' *Διασεισειν* imports extortion by threats of *violence*; *συκοφαντειν* that by threats of unjust accusation, false information."

CAPUT VII.

DE ORDINE CIVILI.

§ I. DE MAGISTRATIBUS.

153. **MAGISTRATUM** nemo ambire debet qui leges non sit satis edoctus ad munus exercendum. Illud haud lucri studio, vel popularis captandæ auræ, vel ob privatam quamcumque utilitatem, bono publico proposito, obire debet: sed communem omnium salutem imprimis quærere, et quæ justa sunt et æqua facere, etiamsi odium vel detrimentum inde oriturum sit. Igitur peccant qui legum penitus ignari, et iudicio haud pollentes, munus hoc assumunt, cum periculo damni inferendi iis de quorum controversiis sententiam proferre debent. Peccant etiam si qui foveant jurgia litesve in sui lucrum, quum debeant pacem civium et utilitatem promovere. Peccant si qui sententiam proferant injustam, præjudiciis popularibus cedentes, vel privatorum utilitatibus studentes, cum innocentium damno. Peccant qui odio vel gratia a semita justitiæ deflectunt; et qui libertatem conscientiæ violari sinunt, pauperum filiis ab avita Religione ab heris contra leges abductis. Ubi quid faciunt juxta leges quod in Religionis detrimentum cedat, vel legibus mentique Ecclesiæ parum sit consonum, excusari videntur, quum suo nomine non agant, nec speciales casus respiciant; sed tamquam causæ universales erga omnes pariter se gerunt legum executione. Eorum non est legum pendere æquitatem, vel conscientias dirigere; sed leges exequi, et munia sibi demandata obire. Igitur non peccant in acta referentes matrimonia coram se contracta, de ligaminibus quæ ex lege Ecclesiæ oriuntur, haud solliciti: nec enim sacrum aliquem ritum perficiunt, sed testantur de consensu præstito. Attamen peccare videntur qui Catholicos

se adeuntes, dum copia est sacerdotis, facile excipiunt, quum animos addant peccantibus : sed si moniti nolint desistere qui nuptias inire quærun, et copia sñ acatholici magistratus qui eos excipiat, vel si magistratus recusando pœnæ seu multæ fiant obnoxii, non videntur culpæ rei quod operam præstent mere civilem.

154. Qui altiori magistratu fungitur, Gubernator scilicet, vel Præses, debet majori studio in omnium incumbere utilitatem : munera distribuere publica pro dotibus meritisque civium in Rempublicam, potius quam partium studio : leges probare vel vetare, pro mentis iudicio, publicam salutem quærens. Peccat autem qui suam iteratam electionem unice expetens, in munerum distributione et in legum sanctione, id præsertim considerat utrum suffragia plura sibi sit comparaturus, et eum in finem negligit civium plerorumque commoda. Peccat etiam qui leges executioni demandari non curat ; et tranquillitatem ordinemque publicum non tuetur ; et fiscum expilari sinit, hominibus nullius fidei pecunia publica concredita. Non peccat qui suarum partium homines, idoneos tamen, præ aliis designat : sed optandum omnino munera distribui pro meritis, partium studio neglecto, eosque in officiis retineri qui fideles et periti experientia noscuntur.

§ II. DE LEGUMLATORIBUS.

155. Legumlatores debent rerum esse periti, et publicam utilitatem præcipue quærere, deinceps eorum quorum suffragiis electi sunt. Equidem reipublicæ quisque imprimis debet consulere, quum cives omnes speciali teneantur affectu patriam prosequi : quapropter peccant qui locorum quorundam utilitates et commoda ad captanda suffragia promovent cum publico detrimento : et renuunt suffragari rebus quæ omnium intersunt, nisi alii se obligent ad præstanda suffragia rebus aliis quæ nullam habent publicam utilitatem. Peccant qui pecuniam fisci prodigunt in rebus nullius momenti, et ea negligunt perficere quæ plurima reipublicæ commoda allatura sunt : qui partium studio res profuturas rejiciunt : qui tempus inutilibus disceptationibus impendunt, cum fisci dispendio : qui suffragia dant vel spe mercedis, vel pactione quadam inita : et qui leges figendas refigendasque curant, ut rebus suis consulant cum aliorum detrimento. Qui senatores sunt, et suffragia ferunt de designatis a Gubernatore ad

jus dicendum, vel ad aliud munus publicum, peccant indignis suffragando, ex partium studio, vel dignos rejiciendo. Legumlatores Catholici non debent suis suffragiis probare quidquid doctrinæ Ecclesiæ adversatur: v: g: quod divortium a vinculo matrimonii detur ob adulterium, vel causam aliam: nec hæreses probare, vel *indifferentismum*, vel hæreticorum præconum usurpatum ministerium: cæterum culpandi non sunt quod legibus ferendis suam præstant operam, quibus civium omnium jura juxta Constitutionem vindicentur.

§ III. DE CIVIBUS UNIVERSIS.

156. Licet civibus ea omnia exercere privilegia quæ eis ex constitutione competunt: sed ordo servandus est, et charitatis leges haud negligendæ. In deligendis magistratibus utilitas publica præ oculis habenda est, et suffragia danda pro merito, adeo ut qui magis idoneus et utilis videtur præferatur. De iis qui munere publico funguntur, non temere loqui decet, nec maligne eorum res gestas carpere; quamvis liceat eas scrutari, et de iis publice loqui et scribere, quatenus leges permittunt, ut recte de iis judicetur, et utilitati publicæ prospiciatur. Observantia autem quadam colendi sunt magistratus, ratione muneris quod gerunt.¹ Leges sancte servandæ sunt, nec quid tentandum singulorum arbitrio contra legum auctoritatem.

157. Peccant, igitur, contra bonum publicum, qui pecunia, gratia, odio, utilitate privata ducti suffragia indignis conferunt. Peccant contra charitatem et justitiam qui occulta aliquorum delicta, quæ aliis non nocent, publicis foliis annuntiant, vel concionibus suis, vel colloquiis, ut eos a munere aliquo repellant. Rei pariter sunt qui contra conscientiam suam judicium magistratuum acta carpunt, ut iis conflent invidiam. Sed gravissime peccare censendi sunt, qui, legum sprete auctoritate, supremum vitæ ac mortis jus sibi usurpant, nulla præmissa, vel inani judicii forma.

158. Patriæ et concivium utilitates maxime quærendæ sunt, nam "post Deum est homo maxime debitor parentibus et patriæ. . . . In cultu autem patriæ intelligitur cultus omnium concivium, et omnium

(1) 2. 2. qu. cii. art. ii. *Resp.*

patriæ amicorum.”¹ Ita S. Thomas. Igitur oportet onera necessaria ad Rempublicam sustentandam libenti animo ferre, pro æqua cujusque portione, et militiam inire, jubente legitimo magistratu ob patriæ defensionem, vel ob ejus jura vindicanda : et hostes occultos proditoresque denuntiare : et omnia facere quæ ad Reipublicæ salutem requiruntur.

(1) 2. 2. qu. ci. art. i. *Resp.*

CAPUT VIII.

DE MEDICÆ ARTIS CULTORIBUS.

159. **TENENTUR** quicumque medendi artem profitentur, vel aliquam adhibent operam in remediis parandis, vel in sectione chirurgica, eam habere notitiam, qua valeant suas partes tutò et absque alieno periculo implere. Debent etiam necessariam præstare diligentiam in remediis adhibendis, ne errore aliquo, vel negligentia, damnum alteri obveniat. Remedia tutiora et certiora adhibenda sunt, quum munere suo, et pretio accepto obligentur ad ægroto vel afflicto consulendum qua meliori potuerint ratione. Quod si incerta certis præponant, periculum veluti facturi, peccant gravissime, quum proximum discrimini temere objiciant. Nec excusantur licet de pauperibus agatur, quibus suam operam dant gratis, et eorum periculo velint aliis consulere; nec enim hominis cujuscumque vita parvi facienda est. In rebus autem dubiis licet plura tentare, præsertim quæ perniciem non possunt afferre, quamvis forsitan non sint profutura. Quæ periculum gravis detrimenti afferunt, nequeunt adhiberi, nisi spes nulla alioquin affulgeat, spe aliqua inde concepta: non enim licet ad morbo medendum id facere quod verosimiliter mortem inducat: sed periculo gravissimo utrimque impendente, unicum quod superest remedium licet tentare, saltem ex consensu ægroti, qui ita sibi consuli ea qua meliori possit ratione novit.

160. Peccant gravissime et ad damna reparanda tenentur, qui medicæ artis ignari eam profitentur et exercent: fiuntque facile homicidii rei, temere dantes quæ perniciem mortemque afferant. Quum autem vita reddi nequeat, debent, quatenus possunt, superstitionibus de damno quod ex morte passi sunt, satisfacere. Peccant qui alio-

quin periti necessariam attentionem non adhibent ad intelligendum ægroti conditionem et morbum : quod in pauperibus curandis sæpe evenit. Peccant qui quid suadent contra Dei legem, et medicamenta præbent ad fœtum expellendum, vel ad impediendam generationem. Peccant etiam, qui fœtum vivum, egredi frustra conantem, instrumentis in partes secant, ut matri subveniant; non enim licet vitam nascituro eripere, etiam ad servandam a morte matrem. Peccant qui pauperibus necessariam denegant operam, ubicumque non sunt deputati medici publica auctoritate, et certo stipendio, ad id muneris obeundum. Qui morbos pudendos eorum quos curant temere divulgant, fidei fractæ plane arguendi sunt: cæterum non videntur peccare qui interrogati eos manifestant aliis in quorum potestate ægroti sunt. Sic hero morbus mancipii, matri puellæ conditio manifestatur. Jure Anglico chirurgus cogitur, a judice interrogatus, omnia quæ novit referre.¹

161. Ex lege Ecclesiæ, lata in concilio Lateranensi iv., debent medici ægrotos monere et inducere, ut medicos advocent animarum.² Constitutione speciali id jussit Pius V., vetans ne ultra tertium diem ægrotum inviserent nisi de ejus confessione constet: sed apud nos quum acatholici nobiscum permixti degant, non est lex illa moribus recepta. Igitur satis videtur si medicus catholicus nostrates invisens, eos moneat, gravi urgente periculo, ut confessarium arcessant.

162. Peccant medici honoraria exigendo majora consuetis: quamvis autem accipiant absque peccato quæcumque libere dantur, nequeunt exigere mercedem amplioem ea quam legis defectu consuetudo statuit.

163. Quæ de medicis diximus, de chirurgis, pharmacopœis, dentium curatoribus, et cæteris hujusmodi, debita proportione servata, sunt intelligenda: omnes scilicet scientiam debent habere suæ artis, et diligentiam adhibere et cautelam, et mercede justa contenti esse. Qui igitur aliquid hujusmodi aggreditur ignarus et imperitus plane peccat, et ad damna reparanda obligatur: sicut et qui medicamenta venditat quibus virtutem magnam falso tribuit.

164. De singulis opificibus speciatim disserere non vacat. Id in universum animadvertemus, omnes debere justitiam colere, et magno præcavere studio ne lucri amore aliquid admittant minus honestum.

(1) Vide Blackston. cum adnot. l. iii. n. 370. not. 32.

(2) Cap. *Cum infirmitas*.

Regulæ legesque singularum artium exercendarum ex consuetudine et communi omnium sensu plerumque innotescunt: a quibus non est facile recedendum.

Sed jam volumen primum claudimus, expositis morum regulis, conscientiæ scilicet iudicio, et legibus a Deo latis, vel divina munitis sanctione; et præcipuis explicatis muneribus eorum qui specialibus tenentur ligaminibus. De virtutibus tum theologicis, tum moralibus, altero quod mox aggrediemur volumine agendum erit.

